C.c.
b.
C
c : 6

J. i. 2.

LEGATVS.

Opus

CAROLI PASCHALII

REGIS IN SACRO CONSISTO-
RIO CONSILIARII ET APVD
Rhætos Legati.

Altera editio non paucis locupletata.



PARISIIS,
E' Typographiâ PETRI CHEVALIER, in
monte Diui Hilarij.

M. DC. XII.

Cum Priuilegio Regis.

INDEX
CAPITVM QVÆ HOC LEGATI
Libro continentur.

CAP. I. *Legatus definitur & eligitur.* 1

II. *Legatus dicitur Orator, Miniſter & nuncius.* 6

III. *Feciales quales fuerint legati.* 10

IV. *De caduceatoribus, præconibus, aliſque huius generis nuncijs.* 12

V. *De Caduceo: & legationibus ijs quæ ſignis plura demonſtrant quam verbis.* 15

VI. *Legatio eſt inuentum neceſsitatis.* 20

VII. *Quidam obeunt legationes nullo nomine. Conſilium non mittendæ legationis, ac tamen rem peragendi.* 24

VIII. *Vnus duas pluresve legationes obire non poteſt exceptis municipalibus. Legatus domeſticos titulos præ ſe ferre debet. Paritas & concordia legatorum.* 28

IX. *Vna legatio pluribus datur. & de multis legatis.* 33

X. *De legationibus diuinis.* 38

XI. *Inter quos propriè legationes commeant.* 41

XII. *A ſubitarijs dominis, atque adeo ab ipſis latronibus quandoque legationes miſſæ ad legitimè imperantes.* 46

XIII. *Cæteros memoro inter quos legationes commeant. Libera legatio. Votiua.* 49

XIV. *In cuius numinis tutela ſit legatio, & cui Reip. parti eam adſcribam.* 56

XV. *In legato deſidero genus, opes, rerum humanarum peritiam, eloquentiam.* 57

XVI. *Externa deſidero in legato.* 64

XVII. *E quo ordine legatus eligi debeat, vt reperiatur præditus ijs dotibus quæ domi militiæque rempub. tutam præſtant.* 69

XVIII. *Legatio dignis danda, habito prius delectu ingeniorum. De ætate legati.* 81

XIX. *Præter illa quæ ſupra dixi, ingeniorum ſpecimina, in dan-*

da legatione vitæ inſtitutum attenditur. 89

XX. Quandoque neceſſitas ijs legationes dari iubet qui nullam Reip. partem attigerunt, ne fœminis quidem exceptis. 93

XXI. Legatio nititur mandatis. Mandata dantur verbo aut ſcripto. De vtriſque hic agitur. 99

XXII. Ad ſeueritatem legationis maxime pertinet, nunquam mitti eam niſi explorato, priuſque impetrata fide publica. 109

XXIII. Qui legati proprie violari dicantur, qui non. 115

XXIV. Legatio & is cuius ea eſt, violatur dictis reſponſiſque ferocibus & contumelioſis. 119

XXV. Quibus factis lædatur ius gentium in perſona legati 121

XXVI. Pleraque vltionis genera in eos qui ius gentium violarunt in perſona legatorum. 125

XXVII. Quibus rationibus ipſi legati lædant ius gentium. 132

XXVIII. Violatori legationis an talio reddi poſſit. 134

XXIX. Quomodo legato iter faciendum. 137

XXX. Quos legatus in itinere conuenire debeat, quos non. 141

XXXI. Legatio per partem legatorum, aut per aliquem è comitibus perferri poteſt. 146

XXXII. De comitibus legati. 149

XXXIII. An vxor in legationem duci debeat. 152

XXXIV. De familia legati. 156

XXXV. Quibus honoribus & qua comitate excipiantur legati. 160

XXXVI. Hîc dico quibus de cauſis ſæpe differatur admiſſio legati. 169

XXXVII. Quibus de cauſis legatus ipſe differt ſuam admiſſionem. 180

XXXVIII. Congreſſionum & admiſſionum ſimilitudo. 184

XXXIX. De eadem re. 191

XL. Legatorum quidam excipiuntur vt exteri, quidam vt domeſtici. Vtrique monſtrantur. 196

XLI. Tempore pacis non admittere legationem, cuiuſcumque tandem illa ſit, Scythicum plane eſt. 201

Tempore

XLII. Tempore belli legationes hoſtium autom nino excluduntur; aut excipiuntur extra vrbem & caſtra: aut ſi nihil viſuræ ſunt niſi ipſis terrificum vtrobique admittuntur. 205
XLIII. Monentur illi qui legatione adeuntur, vt rem peragant ex dignitate: atque vt caueant externa ſcelera. 210
XLIV. Quando non permittatur legatis vt legationem edant in publico. 216
XLV. Monetur legatus vt cum res poſcit, prudenti moderatione magis quam intempeſtiua dignitate cenſeri velit. 218
XLVI. De hac eadem re. 222
XLVII. Legatio edi debet lingua eius imperij cuius eſt. 224
XLVIII. Quando legatus & princeps vtantur lingua exotica. 227
XLIX. De Interpretibus. 229
L. Audiendæ legationi debetur patientia. Quandoque legatis præripitur oratio diuerſis de cauſis. 235
LI. Modus edendæ legationis. 237
LII. De vi ſubitorum reſponſorum. 243
LIII. Quid ſequi, quid item cauere debeat legatus is, qui ad aliquid petendum miſſus eſt. 246
LIV. Cuiuſmodi mendacium vitare legatus, cuius item ſubſidio vti poſſit. 249
LV. An figuras & iocos admittat legatio. 252
LVI. Quanta debeat eſſe religio legati in ſeruandis mandatis. 255
LVII. Quando liceat legato diſcedere à religione mandatorum. 257
LVIII. De religione & poteſtate eius legati, cui data ſunt libera mandata. 261
LIX. An legatus cogi poſſit edere mandata. 263
LX. Quando legatus mandata promere debeat. 266
LXI. Quænam ſunt quæ legatus aduertere debet, etſi nihil ad legationem pertinentia. 269

LXII. *Quando legatus conſilium dare; quando accipere poſſit.* 271

LXIII. *Legatis non ſemper credi oportere.* 274

LXIV. *De ijs legationibus quas vocant illuſtres: & obiter de ritu ſanciendi fœderis.* 276

LXV. *Quædam vitia notantur quæ legato diligenter ſunt vitanda.* 289

LXVI. *Quædam circumſpectiones legatis neceſſariæ.* 295

LXVII. *Legato ſuus locus tuendus eoque aſſerenda dignitas legationis.* 301

LXVIII. *Qualia oſtendi legatis, cuiuſmodi ſermones cum his inſtitui debeant.* 304

LXIX. *De muneribus quæ ab imperio mittuntur ad imperium.* 312

LXX. *Aliæ quædam munerum proprietates.* 318

LXXI. *Quædam munerum cautiones.* 322

LXXII. *De remuneratione. Et an legato liceat mittere munera miniſtris regnantium.* 325

LXXIII. *An legatus ciuilibus actionibus teneatur.* 329

LXXIV. *An perduellionis recte legato dies dici poſſit. Quædam obiter de falſo legato.* 333

LXXV. *An aliæ actiones pœnales competant in legatum.* 340

LXXVI. *An legatus habeat iuriſdictionem in ſuam familiam.* 344

LXXVII. *De iis legationibus quas vocant ordinarias.* 353

LXXVIII *Quædam monetur is cui ordinaria legatio datur.* 364

LXXIX. *De reditu legati ad ſuos.* 369

LXXX. *Quædam quæ pertinent ad reditum legati.* 372

LXXXI. *De muneribus quæ dantur legatis diſcedentibus.* 375

LXXXII. *De reſponſis quæ dantur legatis, eorumque formis.* 380

LXXXIII *Quænam præter iam dictas ſint potiſſimæ laudes reſpon-*

ſorum. Quædam obiter de nuntijs. 383

LXXXIV. *Perſequor eas laudes quibus cenſentur ea reſponſa quæ legatis dantur.* 387

LXXXV. *De renunciatione legationis.* 395.

LXXXVI. *Quædam alia quæ pertinent renunciationem.* 403

LXXXVII *De præmijs quæ reuerſis legatis dantur.* 408.

Extraict du Priuilege du Roy.

HENRY par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre, A nos amez & feaux les gens de nos Cours de Parlement de Paris, Roüen, Thoulouze, Bourdeaux, Dijon, Grenoble, Aix, Rennes, Baillifs, Preuoſts, Seneſchaux desdits lieux, ou leurs Lieutenans, & à tous nos autres Iuſticiers & officiers qu'il appartiendra, Salut. Nos bien-amez Adrian Perier, & Pierre Cheualier Libraires Iurez en noſtre Vniuerſité de Paris, nous ont fait dire & remonſtrer qu'ils auroient recouuert les œuures *Caroli Paſchaly Regis in ſacro Conſiſtorio Conſiliary, & apud Rhetos Legati*, leſquelles ils deſireroient imprimer, ou faire imprimer, & mettre en lumiere : mais ils doutent qu'aucuns Libraires ou Imprimeurs de ceſtuy noſtre Royaume ne les imprime, ou faſſe imprimer (qui les fruſtreroit de leurs grands frais & miſes qu'il leur a conuenu, & conuiendra faire) Pour ceſte occaſion, Auons par ces preſentes permis & accordé, permettons & accordons de noſtre pleine puiſſance & auctorité royalle audit Adrian Perier, & Pierre Cheualier, de les imprimer, ou faire imprimer, & non autre, durant le temps & terme de dix ans, à cõpter du iour qu'elles ſerõt acheuees d'imprimer: comme plus à plain eſt porté par les lettres. Donné à Paris le dixhuictieſme de Mars, 1610.

Par le Roy en ſon Conſeil.

GOVYN.

INCLYTÆ SAPIENTIÆ VIRO

NICOLAO BRVLARTO SILLERIO GALLIÆ CANCELLARIO

CAROLVS PASCHALIVS S. P. D.

AMICI iamdiu monuerant, Nicolae Brularte Silleri, togatæ militiæ decus, ac typographus rogauerat vt legatum meum, qui ferè nuſquam compareret, recognitum luci redderem. Iamque operi manum admoueram, & quidem rebus turbidis, quæ me in hanc legationem miſſum derepente exceperunt. Nec enim clam te eſt, quot motibus res Rhætica per id tempus ageretur. Bene tamen erat quod gens diducta regiæ maieſtatis prouiſu & munificentia coaleſcere, eâdem ego vacuus propemodum eſſe cœ-

peram, cùm ecce triſtiſſimus de impro-
uiſo caſus. Immani parricidio Rex nobis
eripitur. Vt omnes bonos hæc tanta cla-
des compulerit ad vltimos metus, ipſe,
fateor, totis artubus contremui, totus
obbrutui. Ex hoc infauſto cæſpite repul-
lulare negotia, & curæ congeminari cœ-
ptæ. Inter quas cùm ſtudijs meis vix vn-
quam perennibus, veriùs quàm ſubciſi-
uis locus antea fuiſſet peranguſtus, tunc
quidem cœpit eſſe nullus. Enimuero le-
gatum meum ijs oculis intueri cœpi qui-
bus parentes chariſſima pignora miſeran-
tur quoties laborantibus opitulari ne-
queunt. Supprimi opus doctis & expe-
rientibus iamdiu probatum, non par ar-
bitrabar. Attentatum, nec penitus retra-
ctatum rurſus in conſpectum dari, homi-
nis erat nihil ſuam exiſtimationem, nihil
cunctorum iudicia verentis. Denique
ipſe mihi vim facio, ipſe explico æſtum
meum. Hac potiſſimùm fiducia librum
in manus reſumo, quòd penes me erant
non pauca huius argumenti, quæ poſt
huius ſcriptionis editionem è plurima
antiquitate conquiſitè excerpſeram.
Hæc diſpertita priſtinis agglutino. Quæ-

dam attondeo; hîc muto; alibi emendo. Hactenus hanc curam extendo. De ornanda ne cogito quidem, non Hercule fuga laboris, ſed quòd mihi id per ea quæ dixi, negatum. Quin & ſatis eſſe duxi ſi hæc politica diſtinctè & explicatè, non etiam comptiùs & ſublatiùs traderentur: Ergo nudum opus, multiſque commendationibus deſtitutum diuulgatur, prorſus cuiuſmodi ſunt metalla iam eliquata, nondum elaborata. Pro omni apparatu hîc diligentia elucet, & fides eminet. Illam in enarratione, hanc me in præceptorum veritate præſtitiſſe puto. vt effigiei additi colores veritatem magis exprimunt, ita ipſe præcepta, quò ſint exploratiora, exemplis illuſtribus, & niſi fallor, congruentibus communiui. Si quid præterea quiſquam à me exigit, ab huius ſeucritate prouoco ad publicam æquitatem. Eſt mihi ab ſæuitia doloris inſanabilis, eſt à moleſtiſſimis occupationibus contractum neſcio quid ſitus, qui limã refugit, & illud, quicquid eſt, quod lima non fit ſyncerius, ſed ſpecioſius. Hæc & priſtina & recens opera mea, planè nouum, & ex ſe reparatum opus,

in tuo nomine apparet, vir ampliſſime, vt exſtet publicum, & ad aliquam diuturnitatem ſtabile monumentum obſeruantiæ in te meæ. Huc me impulit & beneuolentia in me tua, & magnitudo virtutum tuarum, quarum nemo prudens non eſt admirator, nemo facundus non eſt buccinator. Hæ, nimirum, illæ ſunt quæ te in iſtud faſtigium ſublimarunt, vt eſſet qui rem Gallicam in hac ſua ſiue orbitate, ſeu viduitate ſubleuaret. Sed quòd tuas laudes audire non tui pudoris, nec de quoquam apud ipſum dicere eſt ſatis probi moris, hoc tantùm ago, vt legatum meum qui allegatu meo adit amplitudinem tuam, in clientelam accipias. Id ſi abs tua humanitate impetratum abſtulero, ipſe verò legatus pulchré proceſſerit, & me tu quidem non exiguo beneficio deuinxeris. Scripſi in Pago Aluonouo Rhætico. Anno Domini MDCXII.

LEGATVS.

OPVS CAROLI PASCHALII,

REGIS IN SACRO CONSISTORIO
Conſiliarij, & apud Rhætos
Legati.

CAPVT PRIMVM.

Legatus definitur & eligitur.

LEGATVS eſt is qui lectu miſſúque publico publicum negotium peregre agit, non militari manu, ſed eloquio & viribus ingenij. Cùm enim legare ſonet mittere, dictúmque ſit à legendo, legatus vtrumque ſignat & lectus & miſſus. Lectum accipio non è medio ſumptum, cuiuſmodi ſunt ij qui primùm publicis muneribus admouentur, ſed hinc excerptum, nempe è pluribus lectis vnum aliquem curatiùs enucleatum; eum qui ſit † τῶν ἀρίστων ἄριστος, καὶ πρώτων πρῶτος. E' talibus cōſtare Senatum Areopagiticum teſtis eſt apud Xenophontem Socrates. Hippias ille ſophiſta ventoſa lingua magis quàm vlla ſolida eruditione clarus hinc ſe cenſeri vult, quod vnus ex omnibus, ſcilicet, primoribus eligitur in eas legationes quæ mittuntur ad ciuitates.

Varro l. 4. de ling. lat.

Plutar. Sylla 870.

Xenoph. memorab. lib. 3. 618. 40.

Plato Hipp. mai. 281.

† Optimorum optimus, & primorū primus ſiue princeps.

Qui honos illi plus eſt quem agnoſcit Neoptolemus cum hæc Philoctetæ dicit,

Sophocl. Philoct. 428.

† καλὴ ἡ πίκτησις, ἐλλιπὼν ἕνα
κεκρῖσθ' ἄριστον.

† Pulchra poſſeſſio (eſt) vnum è Græcis iudicatum fuiſſe præſtantiſſimũ.

Xenoph. de inſtit. Cy. lib. 8. 159.

Cyrus vt ad maxima imperia, ſic ad legationes illos eligebat qui eſſent ipſa rerum columina. His aiebat ſe muniri ſicuti & muris & propugnaculis ſuæ felicitatis. Prior ille qualiſcunque delectus, ſuffragante gratia & facilitate, ſæpiùs admittit virtutem ſperatam veriùs quàm ſpectatam. At hic poſterior periculoſè aliam agnoſcit quàm eminẽtem & exploratam. Eadem prope cùm ſit ratio iudicum, meritò M. Tullius laudat Pompeium, quòd in cauſa Milonis delegerit è florentiſſimis ordinibus ipſa lumina. Ergo tota vita illius quem hæc electio defloret, cenſorio lumine eſt colluſtranda, mores acumine penetrandi, fama idemtidem interroganda, omnis res ſollerter eſt exputanda. Tantæ molis eſt eum bene eligere, cuius virtuti & felicitati creditur negotium vniuerſorum. Non ergo ſine euidente ratione inclytus ille conditor Iliados Aiacem & Vlyſſem legatos Agamemnonis nominauit, † κλητούς, hoc eſt, vt huic voci Euſtathius interpres eſt, † ἐξονομακλήδην ἐπιλέκτους, ſiue, † ἀριστίνδην ἐπιλελεγμένους, ac ſi dicat, impenſiùs quæſitos, & è quæſitis lectiſſimos. Certè lectæ huius appellationis prærogatiua veluti digito demonſtrat excellẽtiam pulcherrimi muneris. Neque enim quicquam deſideratur ab legato niſi vt hoc ſit quod eſſe dicitur, & in ſuo nomine probet eſſe omen. Id quod huc pertinet, vt is cùm peregre eſt, præbeat ſe principem, nempe ſapientia, & miniſtrum principis, nempe fide & induſtria. Hîc prætereunte manu piandus Plutarchus. Nequeo enim comminiſci cur homini † πολιτικωτάτῳ collibitum fuerit rem maximè ſeriam & ſeueram facere iocularem. Nam legationem cupienter petitãm & ambitione extortam ijs dandam cenſet, quos hoc munus arguat impares ac minores. Qui ij-

Cic. pro Mil.

† vocatos.
† nominatim electos
† viritim adlectos.

† publicarũ rerũ ſcientiſſimo.

Plutar. in Polit.

dem ita ſint ſarcinati, vt rideantur ſicuti impediti ac
dehoneſtati. Nullus eſt hîc ioco, nullus ludificationi
locus. Parum idoneus & indignus, palam & nullo
circuitu eſt reijciendus. Abſurdè ridentur vulnera,
quibus properè eſt opus medico. Obſecro num ſic
ornatus dimitti debet ille qui, vt ait Cicero, ſecum *Cic. philip. 8.*
peregre affert faciem & autoritatem Reipublicæ?
Hic quoque mihi compellandus eſſet Eprius Marcel- *Tacit. hiſt.*
lus fidenter firmans legatos priſco æuo non electos, *li. 4.*
ſed ſorte ductos, ſi non eſſet manifeſtus vanitatis,
dum plus ſeruit affectui quàm veritati; atque eâdem
plus tribuit fortuitæ & inexpectatæ felicitati, quàm
virtuti exploratæ. Sed fac rem, quod fieri potuit, va-
riaſſe, Priſcus ille Senatus priſca ſeueritate legi ſoli-
tus. At iſte in quo ſedit Marcellus, aulico ambitu, &
artibus captatricibus, & feminarum libertinorumq;
potentia, imò impotentia. Illa fuit ſoboles Romana,
& fruticetum virtutis feraciſſimæ. Iſta, colluuies &
quiſquiliæ propè totius Orbis. Inter vetera illa ac tam
generoſa nomina, totque inter lumina nulla ſors er-
rare potuit. At in Senatu tam diſcolori pronum fuit
ſorti deerrare ad parum idoneos. Ipſe quidem non-
dum legatos ſorte ductos inueni; quia † κλῆρος προ- *Philoſtr. vita*
νοεῖ οὐδὲν. Fateor ſpeculatores, aut nuntios infauſtæ *Apol.*
rei. Niſi legatis libet annumerare Homericum illum
Eurylochum cum viginti ſocijs. Speculatorum lecto- *Odyſſ. x.*
rum ſpecimen eſt Sophoclæus ille, qui nũciat Creon- *Sopho. Antig.*
ti iuſta Polynici fuiſſe facta. Adde quod aliud eſt ſors,
aliud ſors. Hæc eſt temeraria. Sed illius æquitas re-
nuntiat electos ab ipſo ſummo numine. Ergo & in *Plat. li. 6. de*
ipſis iudicijs nonnunquam ſorte res diſcreta. Hinc *leg.*
eſt quod ſortium & auſpiciorum eadem prope eſt ra- *l. ſed cum am-*
tio, par fides, æqualis autoritas. Ipſa imperia, ipſumq; *bo. D. de pro-*
adeò principatum fateor aliquando fuiſſe munus ſor- *curat.*
tis, etſi plerumque parum vtiliter. Sed enim etſi Deus
præeſt ſorti, non tamen hinc conficitur, excludi hu-
manam prudentiam, cuius ſalutaris effectus eſt ſa-

† ſors præcogitat nihil.

piens electio. Quis, qui modò ſit ſuæ mentis, probet iudicem, medicum, architectum ſorte electum, non experimento probatum? Sors alibi ſit domina. At hîc nullæ ſunt eius partes. Non loquor de illa ſorte quam ſupra dixi errare non poſſe quòd quocunque cadit, in optimum quemque cadit. Hoc ipſum Plato ſenſit, vbi vult è numero Cenſorum ſuorum legi eos qui mittuntur ad communia ſacrificia & ſpectacula Græcorum. Neſtor, Homericus ille ſapiens, iuſſu, vt credibile eſt, Agamemnonis, eligit eos quos mitti oportuit ad Achillem; principem quidem legationis Phœnicem, altero loco Aiacem, tertio Vlyſſem, quorum, ſcilicet, in perſonis eſſet ſumma dignitas; quiq; idonei eſſent illi perſuadendo & expugnando, cuius implacabilis animus ipſi Agamemnoni & cuncto exercitui pertimeſcendus fuit. Certè reges è fidiſſimis amicorum plerunq; legatos eligunt. *Bocchus*, inquit Salluſtius, *ex omni copia neceſſariorum quinque delegit, quorum & fides cognita, & ingenia validiſſima erant. Eos ad Marium, ac deinde, ſi placeat, Romam legatos ire iubet. Agendarum rerum, & quocunque modo belli componendi licentiam illis permittit.* In Republica leguntur è Senatu, nimirum ipſi principes Senatus, quamlibet ibi populus rerum potiatur, vt apud Demoſthenem quinio ille Athenienſium. Quæ electio ſic demum rata eſt, ſi confirmatur decreto populi. Cuius rei exemplum præbent Ariſtophanæi illi in Lyſiſtrata legati; etſi ad rem turpiculam miſſi, nec ſatis dignam quæ hîc memoretur. Qui tamen locus ſignat hunc, de quo agimus, morem eligendi legatos. Huius generis fuit electio Scopeliani, qui à quibuſdam populis mittebatur ad regem Aſiæ in hoc, vt is ſicuti alter Orpheus, alterue Thamyris ab regia munificentia retinenda apud ſe plantandæque vineæ facultatem impetraret. Legati in veterum monumentis frequentiſſimè dicuntur eligi. Tales ſunt iſti apud Didonem miſſi.

Plato li. 12. de leg.

Iliad. 9.

Salluſt. Iug.

Demoſth. de cor.

Ariſtoph. Lyſiſtr.

Philoſtr. Scopel.

—— cunctis nam lecti nauibus ibant *Virg.1. Æne.*
Orantes veniam, & templum clamore petebant.

Sequentibus ſeculis frequens ſanè mos. Quo exem-
plo miſſus fuit Mezaberus ad Abaros, Nadoes à *Menand. ecl.*
Choſroe ad duces Romanos vaſtantes Armeniam, *legat.*
Elpidius ab Senatu ad Chaganum. Nempe adhuc *Theophy de*
ſub principib⁹ Senatui ius fuit eligere legatos. Eum- *legat. Rom. ad*
que lectum denique princeps firmum habebat. An- *gen. cap. 2.*
xium hîc, ſi vſpiam, æquum eſt eſſe principum iudi- *Priſc. ecl. leg.*
cium; ne alijs tantum munus imponant, quàm vnis
illis, quorum erga ſe fidem multis magniſque docu-
mentis perſpexerint. In hoc delectu id potiſſimùm
aduerti ſolet, an is cui legatio datur, ſit illi gratus ad
quem mittitur. Et verò Cæſar Numerium ex amicis *Plut. Pomp.*
Pompeij Brunduſium miſit, cùm id ageret, vt Pom-
peius ex æquo rem tranſigi pateretur. Vix quiſquam,
opinor, vſque eò effrons eſt, vt ſeipſe ad hoc munus
eligat. Hanc tamen tantam impudentiam Demo- *Demoſth. de*
† à ſe ele- ſthenes Æſchini exprobrat, cùm ait, ipſum † αὐτοχειροτόνητον *fal. legat.*
ctũ legatũ. πρεσβευτὴν iſſe ad Philippum. Hanc ipſam
audaciam Dinarchus obijcit ipſi Demoſtheni. Vbi *Dinarch. in*
iſte, inquit, audiuit Philippum poſt Chæronenſem *Demoſth.*
pugnam in noſtra impreſſionem facturum, ipſe ſibi
legationem decreuit, vt hoc nomine velaret fugam
ſuam. Paulò poſt addit; Cùm domi pugnandum fuit,
iſte verò ſuo ſibi ſuffragio legationem dedit; & hac
ſpecie vrbe ceſſit. Quoties cum hoſte ferro eſt cer-
nendum, eſt cuſtos domus; videlicet, inter eos qui
domi manent, legatus; inter legatos fugitiuus. Qui-
dam tamen interdum reperti, quos nec vocatos nec
electos ingenita ſuorum charitas coëgit ſeſe ingerere
huic muneri, nempe re in ſummum diſcrimen addu-
cta. Id quod & bono exemplo, & proſpero euentu ſę-
pe fieri illa exempla docent quæ memoro ſuis locis.
Sæpe fit, vt is quem aditura eſt legatio, diſertim no-
minet illos quos ſibi mitti vult. Hic frequens eſt tu-
mor illorum quib⁹ alti ſunt atroceſque ſpiritus; qui-

que ſibi ſupplicari æquum cenſent. Hoc ingenio fuit Attila, cuius mandatu Maximinus dixit Romanis ijs qui erant apud ſe, Velle regem eam legationem quæ ad ſe deſtinetur, dari Nemo aut Anatolio, aut cuipiam è ſenatoribus. Neque enim, inquit, noſter eſt admiſſurus alios.

Priſc.ed.lega.

CAPVT II.

Legatus dicitur Orator, Miniſter & Nuncius.

LEgatos Græci vocant πρεσβευτὰς & πρεσβέας, ab eo, credo, quod eoſdem oportere eſſe ſenes, id eſt, ſenili prudentia præditos. Sæpe audiunt oratores non ſemper ab orando, quod valet precando, quaſi ſemper orator precator adſit. Etſi perſæpe mittitur qui hoc aut illud roget, vt in his Ouidij verſibus,

Ouid.lib.4. Metam.

Ergo tam placidas orator miſſus ad aures,
Vt propior patriæ ſit fuga noſtra roga.

Virgilius quoque eos legatos qui quidpiam rogatum mitterentur, propriè vocauit oratores,

Virg.11.Æne.

Iamq; oratores aderant ex vrbe Latina
Velati ramis oleæ, veniamq; rogantes
Corpora per campos ferro quæ fuſa iacebant
Redderet, ac tumulo ſineret ſuccedere terræ.

Plut.probl.45. Non item veriſimile eſt dici eos ἀπὸ τοῦ παρορμᾷν ab hortando & incitãdo, quod eſt inuentum Plutarchi planè inrito acumine. Ne à priſco quidem verbo Adorare, hoc eſt, Agere. Nam quilibet rabula cathedrarius hoc pacto ſit orator. Non vt Feſto ſomniare libuit, & quidem inſomni ἀπὸ τοῦ ἀρατῆρες, quòd orator reges obteſtetur, ſed veriſimilius ab hac ipſa voce ἀρητὴρ quà ſignat ſacerdotem, cuius munus eſt ſupplicare Deo,

Feſt. Adorare.

Feſt.Oratores.

Homer.Iliad. primo.

— † ὀλέκοντο δὲ λαοὶ
Οὕνεκα τὸν Χρύσην ἠτίμησ' ἀρητῆρα.

† peribant populi eò quod Chryſam

Ἀτρείδης. ὁ γὰρ ἦλθε θοὰς ἐπὶ νῆας ἀχαιῶν
Λυσόμενός τε θύγατρα, φέρων τ' ἀπερείσι' ἄποινα.

Lubet hic ſequi M. Varronem, qui hanc vocem deriuat ab oratione, quæ cùm ſit acerrimum telum legationis, nimirum ad res arduas vnus ille legatur qui ſit, vt Ennius ait,

Flos delibutus populi, Suadaq́ medulla.

Enimuero legatus, vt alibi dico, eſt perlator verborum & ſermonis. Huius, videlicet, ſuaſu durities aut ponitur aut frangitur, iræ mitigantur, odia detumeſcunt, clementia ſuadetur, animi verſantur ac tractantur. Ex hac ingenij & eloquentiæ perennitate ſæpe manant triumphi legationis. Hoc ego puto eſſe mellcum illud vocis modulamen, quo aures Getarum bellè tactas, & feros animos flexos ait Athenæus. Hoc eſt lepidum illud ſuſurrum, ſiue ſirenes illa verborum, quæ Græcis eſt † ψυχαγωγία, ſiue † τῆς ἀκοῆς ἐπαγωγὸν, & † μελιζειν τῆς φωνῆς. Nec ſanè abſurdè traditum eſt Deorum ſermone Gigantes, ferox genus, eſſe victos. Et Lacedæmone ſuauiloquentia ſeditionem ſedatam aiunt. Vt verum ſit priſcum illud † ἕρπει ἄντα τῷ σιδάρῳ τὸ καλῶς κιθαρίσδειν. Equidem ſic puto, † τὸν λόγον dictam fuiſſe † εἰρήνην, pacem, eam, ſcilicet, quam progignit victoria legati. Verè & argutè Antipater dicebat, ſibi populum Athenienſem, cuius Demoſthenes eſſet legatus, non eſſe antagoniſtam, ſed Hercule Demoſthenem. Quòd ſi cuipiam alij Athenienſes legationem darent, facilem ſibi victoriam ſpondebat: Sed præſente Demoſthene querebatur ſe nequicquam mittere legatos, quibus nulla eſſet facultas contra huius eloquentiam erigere trophæum. Ea re quo ſeculo, quibuſque in vrbibus eloquentia vigebat, in illis vix cuiquam dabatur legatio, qui non idem omnium conſenſu diſertiſſimus haberetur. Apud Platonem Socrates ait, Gorgiam Leontinum Sophiſtam Athenas publicè legatum fuiſſe, non eò tantùm quòd omnium Leontino-

Sacerdote inhonorato Atrides. Hic enim venit celeres ad naues Achiuorum, liberaturúſque filiam, ferénſque infinita dona.

Varro li. 6. de lin. lat.

Verſ. Enni relatus à Gellio li. 12. c. 2.

Athen. li. 14.

† animi illecebra.
† quod attrahit auditum.
† dulcedo vocis.
† ſuccedit pro ferro pulchrè citharã pulſare.
† orationem.
† pacem.

Phornut. in Pallade 71.

Plutar. Lycur. 97.

Phornut. in Hor. 76.

Lucian. in encom. Demoſth. 916.

Plato in Hipp. maio. 282.

rum præſtantiſſimus haberetur, ſed etiam quòd populum luculentis concionibus tenere poſſet. Cur non homines expugnet hæc ſermonum vis, cùm ea Deos flecti conſtet? Huius generis eſt illud Homericum,

Homer. Iliad. α.

† Οἱ δὲ πανημέριοι μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο.

† Hi verò perpetem diem cātu Deum placabant.

Itaque quòd legatus non in hoc mittitur vt perturbationes animi cantu componat, non vt prolectet aures inepta mulcedine; ne quidem vt loquentiæ tympanis cuiquam obſtrepat, ſed vt armis eloquentiæ domitet animos, meritiſſimo dicitur orator, vt hac voce ſubinde admoneatur officij ſui; idq́; ſtruat, vt è legatione domũ remeet ſaltem auctior vna ſyllaba, & qui mittitur orator redeat exorator. Hæc enim eſt operoſa gloria legationis. Generali quoque appellatione legati dicti ſunt † ἄγγελοι καὶ διάκονοι. Et quidem Mercurius celebris ille Deorum internuntius donatus eſt proprio epitheto † Διάκτωρ, ὡς διάγων τὰς τῶν θεῶν ἀγγελίας. Hoc quoque munus vocatur † ἀγγελίη. Ergo legatione continetur nuntiatio, & legatus non abſurdè dicitur nuntius; Sed non contra; Neque eum qui ſimpliciter ſit nuntius, honeſtaueris auguſta appellatione legati. Munus nuntij eſt pars quædam legationis, ſed non ſolennis & omnimoda legatio; certè functio legati, non item decus ac ſplendor legationi congenitus. Hinc eſt quòd interdum legati per contemptum vocati ſunt nuntij, vt in hoc loco Liuij, *Rhodios nuntios in orbe terrarum arbitria belli paciſq́ agere. Deorum nutu arma ſumpturos, poſituroſq́ Romanos.* Sed enim nuntiorum alij alijs ſunt honoratiores. Quidam ſunt veluti exſcripti quidam legati; certè legatorum dignitati proximi. Et verò apud Virgilium Iupiter hac appellatione ipſum Mercurium honeſtat, quem mittit ad regem Iarbam,

Etymol. διάκτωρ.

† nuntij & miniſtri.

† vt ille qui peragit ea quæ à Dijs nuntiãtur.

† nuntiatio.

Liu. l. 34. 150.

Virgil. Æneid. lib. 4. 181.

Nauiget, hæc ſumma eſt, hic noſtri nuntius eſto.

Et hi quidem ſæpe ſunt viri honeſto loco nati ſemper induſtrij, qui à regnantibus mittuntur ad regulos, alioſque

alioſque omnes quorum opes ſunt in excelſo quidem, ſed ipſi infra culmen, dignitatemque regiam. Hi ſunt maiores Duces, quorum magnitudine ac ſplendore Italia ferè, tum Germania gemmaſcit. Cum iſtis vix imperatoria & regia maieſtas quicquam agit eorum opera quos vocamus legatos, ſed per nuntios quales deſcripſi, ſi rem ac munus ſpectes, reuera legatos, ſi nomen ac dignitatem legationis, minimè; niſi fortè iſti Duces ac principes quopiam conueniant de rebus grauiſſimis. Tunc enim non ad vnum aliquem, ſed ad conuentum tot principum mitti ſolent legationes. Et quoties tales conuentus legationibus adeuntur, vniuerſus ille conſeſſus honeſtatur ea appellatione, ſiue titulo, qui eſt ſupra fortunam ſingulorum. Quo exemplo, Patres ij è quibus conſtat Concilium à legatis ipſis regiis appellantur Sanctiſſimi, cùm hæc tam auguſta vox propriè ſepoſita ſit demonſtrando culmini Pontificio. Chriſtianiſſimorum regum peruetuſtus mos eſt, vt ſuas legationes ad eos tantùm deſtinent qui tituli dignitate ipſis æquantur, quales ſunt & reges & imperator, exceptis quibuſdam rebuſpublicis, cuiuſmodi ſunt Veneta, Heluetica, Rhætica; idque ſingulares ob cauſas. Ad eos qui vocantur Archiduces aut maiores Duces, vix vnquam, vt maieſtate impares, & gradu inferiores. Et hi quidem hoc ipſum tam æquo animo ferunt, quàm non indignantur ſe in eo gradu magnitudinis eſſe, qui poſt regum ſublimitatem eminet ſupra cæteros mortales. Itaque nec iſti nuntij, quamuis à tanto rege miſſi, ea pompa & comitatu incedunt, qua ſolent illi qui ſunt circumfuſi ſplendore legationis; illi, inquam, quibus vulgò nomen Ambaſciatoribus; cùm illis aliis nomen ſit nuntiis, miſſis, agentibus, reſidentibus. Hoc diſcant illi qui ſimulatque quempiam ab rege Chriſtianiſſimo quopiam mitti vident, hunc, nullo delectu vocant legatum; tantoque regi audent iniuſtè dicere, tanquam ſi non ſatis

ex dignitate ipſius legationes incedunt. Inſpexerunt, credo, iſti detriti pudoris homines literas & mandata regia; planeque ſciunt an ibi talibus indatur nomen legatis, an nuntiis.

CAPVT III.

Feciales quales fuerint legati.

SEquuntur Feciales, qui erant nuntij populi Romani Quiritium, per quos bella indicebantur. Arietem enim immittebant in fines hoſtium. Eſtque adnotatum, inter ſigna aquilæ & concordiæ arietis ſimulachrum à ſignifero geſtatum. Id quod etſi rariſſimum fuit in exercitu Romano, tamen à Traiano contra Dacos eſt vſurpatum. Sæpe hi Feciales dabantur comites ijs, qui Romanis exercitibus imperatores præerant. Sæpeque conſulebantur ab ipſis Conſulibus de forma indicendi bella. Quod autem Fecialis & eſſet, ac diceretur legatus, liquet ex hoc loco Liuij. *Hæc dicenti Feciali Poſthumius genu femur quanta maxima poterat, vi percutit; & clara voce ait, ſe Samnitem ciuem eſſe, illum legatum Fecialem à ſe contra ius gentium violatum; eò iuſtiùs bellum geſturos.* Paulò poſt in verbis Pontij ducis Samnitium, *Gerite bellum, quando Sp. Poſthumius modò legatum Fecialem genu perculit. Ita Dij credent, Samnitem ciuem Poſthumium, non ciuem Romanum eſſe; & à Samnite legatum Romanum violatum, eò vobis iuſtum in nos factum eſſe bellum.* Hi Feciales numero fuerunt viginti; & maximo ipſorum nomen fuit Paterpatratus, rem, vt erat, demonſtrante hoc nomine. Nam propriè Paterpatratus is eſt qui & eſt patrimus, id eſt patrem habens, & qui habet liberos. Tantæ homo ſanctitatis, vt ſæpe depoſitarius fieret earum feminarum quibus hoſtica manus pepercerat, quæque adeò vt forma præcel-

Colum. Traiani. *Varrò in vita patr. teſte Nonio in Feciales.* *Liu. lib. 21.* *Liu. lib. 9. 532.* *Plutarch. Probl. 62.*

lentes ſeponebantur. Si qua item deditio, aut liberi corporis venditio fieret, huius manu fiebat. *Quid? quem Paterpatratus dedidit, aut ſuus pater populuſve vendidit, quo is iure amittit ciuitatem?* Alteri fuit verbenario nomen. Hic, quoties Feciales mittebātur ad hoſtes clarigatū, hoc eſt, res raptas clarè repetitū, ferebat priuos lapides ſilices, priuaſq; verbenas, & ſagmina à Prætore accepta, id eſt *viuax è ceſpite germen*, ex arce cum ſua terra euulſum. Ea herba noſtris eſt verbenaca, Græcis ἱεροβοτάνη, quaſi dicas ſacra herba, qua, ſcilicet, Iouis menſa verritur, & domus purgantur luſtranturque. Neque tantùm iſti erant aſſeclæ imperatorum, ſed & comites legatorum; vt quæ ab vtriſque aduerſus hoſtes, aut cum hoſtibus acta erant, ipſi pacta, rataque facerent eo ſolenni ritu, quo bella indici, aut fœdera feriri ſolitum. Ideoque Fecialem à fide & faciendo dictum volunt. Quæ omnia continebantur priſco illo iure Feciali, quod dicitur fuiſſe inuentum Heſſi cuiuſdam, aut Sertoris Reſij, aut ab Equicolis Romam tranſlatum ab Anco Martio, aut ab Tullo Hoſtilio, ſiue etiam ab ipſo Numa. Neque enim quid huius ſit, definio, nec ad id quod agimus magnopere pertinet. Ad præſcriptum huiuſce iuris iſti Feciales legati, ſiue oratores (nam ſic quoque appellantur in priſcis legibus) cognoſcebant de legatis læſis, pace, bello, inducijs. Nec ideo tamen habiti in numero maiorum ſacerdotum, quamuis electi eſſent è præſtantiſſimis familiis, ipſorumque perpetuum eſſet ſacerdotium. Neque etiam ludis magnis præſederunt, quamuis id quoque tentatum; ac licet alios legatos ſapientiſſima antiquitas & fas gentium circundederit veneratione ſacerdotali.

Cic. pro A. Cęcinna orat. 12. 628.
Plin. lib. 22. cap. 29.
Ouid. lib. 4. faſt.
Varro de vita patr. lib. 20. citat Non. in Feciales.
Dionyſ. Halic. in excerpt.
Varro lib. 4. de lin. lat.
Cic. lib. 1. offic.
Valer. Max. lib. 10.
Plin. de vir. Illuſt.
Feneſt. de magiſtr.
Halic. lib. 2.
Liu. lib. 9.
Tacit. lib. 3.
Cic. Verr. 3.

CAPVT IIII.

De caduceatoribus, præconibus, aliiſque huius generis nuntiis.

HVic fere vſui antiquitus inuenti † Κήρυκες. Quippe horum interuentu bella quoque indici ſolẽnis mos fuit. Qui mos totus manabat ab illa priſca fide, quæ nemini bellum inferri patiebatur, niſi cui id priùs prædictum eſſet, aut indictum. Ideoque prudenter adnotatum eſt ab Ariſtide, callidè caduceatoribus Philippum non vti, nempe ea mente vt incautos opprimat. Eorundem miniſterio pacta ſolennia duorum pluriumve imperiorum, adhibito ſacrificali apparatu, ijſque ritibus qui eò pertinebant, peragebantur, vt in hoc loco,

† Κήρυκες δ' ἀνὰ ἄστυ θεῶν φέρον ὅρκια πιστὰ,
Ἄρνε δύο, καὶ οἶνον εὔφρονα καρπὸν ἀρούρης
Ἀσκῷ ἐν αἰγείῳ. φέρε δὲ κρητῆρα φαεινὸν
Κῆρυξ Ἰδαῖος, ἠδὲ χρύσεια κύπελλα.

Ea propter Græcis κήρυκες erant ἑρμηνέες σπονδοφόροι, ἐκεχειροφόροι, ἄγγελοι, paululùm diuerſi ab ijs qui dicebantur † θεωροὶ καὶ πρέσβεις, ſed tamen his proximi, vt ſupra dixi de nuntiis. Coniunguntur enim, inquit Pollux, caduceator & legatus. Quæ verba Pollucis hoc ſignant; Caduceator ſiue præco ſæpe dicitur legatus; ac reuera talis eſt. Ipſe Ariſtides illa quæ caduceator expoſuit non dubitat vocare πρεσβείαν legationem. Hanc quoque interpretationem aſſerit locus Platonis, Ei qui nondum, inquit, attigit quadraginta annos nullo modo peregrinari liceat. Priuato quoque nemini; at publicè † κήρυξιν ἢ πρεσβείαις, ἢ καὶ τοῖσι θεωροῖς. Iſti etiã quoties quopiã mittenda eſſet legatio, præmittebãtur ad impetrandum

Ariſtid. συμμαχ. 45.

Pollux lib. 4. cap. 12. 154.

Pollux lib. 8. 317.

Ariſtid. παραθῶν. 13.

Plato de leg. lib. 12. 950.

Polyb. in ecl. legat. 41.

† Caduceatores.

† Præcones per vrbem ferebant, quæ ad fidũ fœdus ſanciẽdũ pertinent Agnos duos & vinum lætificans, fructũ terræ In vtre caprino. ferebat verò cratera ſplendidum Præco Idæus & aureas pateras.

† Interpretes, pactorũ & induciarũ latores, nuntij

† Legati qui mittebãtur ad conſulẽda oracula & legati.

† Caduceatoribus aut legationibus, aut theoris.

legatis aduentum & ſecuritatem. Talis fuit Æthalides ille, quem Argonautæ donatum virga Mercurij parentis ſui eduxerunt è naui. Hic ipſe propter commercia, itiones, inquam, & reditiones dictus eſt ἑτερήμερος, id eſt, nunc eſſe inter viuos, nunc inter mortuos. Apud Æſchylum ille rex Argiuorum miratur Danaidas auſas eſſe ingredi ditionem ſuam non præmiſſo caduceatore, aut aliquo ductore. Sæpiſſimè à victo mittebantur ad victorem, primumque reddebant literas † τοῖς πρυτανέσι. Hæc omnia vt enucleatiùs tradantur, ſciendum eſt, fuiſſe tria genera caduceatorum ſiue præconum. Nam vtramque vocem pro vna vſurpamus. Primi generis fuit † ὁ τῆς τῶν μυστικῶν, & renuntiabat eos qui in ſacris certaminibus eſſent victores. Altero loco fuerunt ij quorum munus verſabatur circa pompas, id eſt, ad hos pertinebat cura ordinandæ publicæ, & ſolennis alicuius pompæ. Hi erant è genere Euinidarum. Tertij generis numerantur illi qui in foro venalia proclamabant, hoſque vocabant ἀστυβοώτας, vrbanos ac vulgares præcones; cuiuſmodi eſt Mediolanenſis ille apud M. Tullium. Primi illi etiam vocabãtur legati πρέσβεις. Inde verbum illud peruulgatum, † τῷ κήρυκι καὶ πρεσβείᾳ χρηματίζειν, Inde ἐπικηρυκεύεσθαι hoc eſt † διὰ κήρυκος πρὸς συνθήκας τινὰς ἢ πρεσβείας ποιεῖν. Ipſi dicebantur κηρῦξαι, res ipſa κήρυγμα; Horum munus ἐπικηρυκεία, nempe quoties id agebatur vt cum hoſtibus iniretur amicitia, aut illis quidpiam denuntiaretur. Certè iſti, vt Feciales, mittebantur clarigatum, atque ad edendas legationes cuicuimodi eſſent. Horum ore ipſa dicta terriloqua ſæpe pronuntiata, & minæ tumidæ intentatæ. Talis fuit legatio Cyri miſſa ad principem Armeniorum, Tomiris ad Cyrum, Xerxis ad Græcos. Iſti hac denuncitatione peracta, plerunque nullius reſponſum morabantur, exemplo Iridis quæ ab Ioue ad Iunonem miſſa, expoſitis mandatis, illico redijt. Huius generis

Apollon. Rhod. Arg. lib. 1. 3.

Æſchyl. Supplic. 315.

Pollux lib. 8. 317.

† magiſtratibus.

† qui ſacra tractabat aut de ſacris iudicabat.

Pollux lib. 8. 319.

Etymol. ἐπιμελητής.

Etymol. ἀστ... C... n I. P... *nem* ... *rat. 38. 205.*

† caduceatori & legationi operã dare.

† miniſterio præconis ad pacta aut ad legationes venire.

Pollux lib. 8. 326.

Etymol. ἐπικηρυκεύεσθαι.

Zonar. in Cyr. Herodot. lib. 1. & 7.

Homer. Iliad. 8. 295.

eſt Virgilianus ille, cuius miniſterio Turnus prouocat Æneam ad ſingulare certamen,

Virgil. 12. Æneid.

Nuntius hæc Idmon Phrygio mea dicta tyranno
Haud placitura refer, cùm primùm craſtina cælo
Puniceis inuecta rotis aurora rubebit
Non Teucros agat in Rutulos, &c.

Atque vt omnia eſſent comparia, ad id muneris eligebantur vocaliſſimi, qualis fuit præco Agamemnonis, cui ea re inditum nomen Εὐρυβάτης † ἀπὸ τοῦ εὐρὺ βάζειν. Itaque apertè, alta, inquam, & clara voce omnia loquebantur, vt profitetur iſte apud Æſchylum, † ab late loquendo.

Aeſchyl. Supplic. 33.

† Ἀλλ' ὡς ἂν εἰδῇς, ἐννέπω σαφέστερον.
Καὶ γὰρ πρέπει κήρυκ' ἀπαγγέλλειν τορῶς
Ἕκαστα.

† Sed vt ſcias dicam apertius. Etenim oportet præconem renuntiare valde ſingula.

Talis in ore præconum legatio fuit ſimplex miniſterium; ea re potiſſimùm quòd caduceator nihil addebat de ſuo, ſed illa ipſiſſima verba pronuntiabat quæ ipſi eſſent mandata & indita. At ſequutis temporibus ipſi legati hoc munere ſunt functi. Cuius rei exempla etſi toto hoc opere ſunt diffuſa, tamen hæc paucula hîc excerpere viſum. Legatos Senatus cenſuit mittendos, *qui protinus*, inquit Liuius, *eant trans Alpes, & denuntient Gallicis populis, multitudinem ſuam domi contineant. Alpes prope inexſuperabilem finem in medio eſſe. Non vtique ijs melius fore, qui eas primi peruias feciſſent.* Cùm C. Caſſius *auſus eſſet ſuam prouinciam relinquere, & in alienam tranſire; exercitum nouo & periculoſo itinere inter exteras gentes ducere, viamque tot nationibus in Italiam aperire, ob id verò patres indignati. Ergo frequentes decernunt, vt C. Sulpitius Prætor tres ex Senatu nominet legatos, qui eo die proficiſcantur ex vrbe, & quantum accelerare poſſent Caſſium Conſulem, vbicunque ſit, perſequantur. Nuntient ne bellum cum vlla gente moueat, niſi cum quo Senatus gerendum cenſuerat.* E quo loco illud aduertendum, non ſolùm id quod ſupra dixi, penes Senatum ius poteſtatemque fuiſſe eligendi

Liuius lib. 29. 439. Liu. lib. 33. 107. Liu. lib. 33. 107.

legatos, ſed eam ipſam facultatem ipſum Senatum quandoque permiſiſſe maioribus magiſtratibus, vt hic Prætori. Superioribus legationibus adnecto illam quam Senatus miſit in Macedoniam ad res repetendas, renuntiandamque amicitiam regis. Neque enim aliud quàm hæc ipſiſſima verba legatis fari licuit. Iſtis annumerantur illæ quæ mittebantur expoſtulatum hanc aut illam iniuriam. Sæpe præcones veſaniente bello mittebantur ad petenda illa quæ eſſent iuris gentium, vt corpora ad ſepulturam, ad redimendos captiuos, ad petendam pacem ſequeſtram, ad dirimendos pugnantes, vt Hectorem & Aiacem apud Homerum. Iſti plerunque è plebe, ſed priores illi priſco more è Senatu legebantur. Omnes caduceatores religioſa antiquitas vel inter medios armorum fluctus præſtitit inuiolabiles reſpectu iuris gentium. Illos primos etiam ob hoc potiſſimùm quod credebantur diuinæ ſtirpis eſſe. Nam à Ceruco, ſiue Ceruo, qui ipſus Mercurio prognatus eſſet, & Pandoſia filia Cecropis orti perhibebantur. Indeque nominati Κήρυκες, † γένος ἱερὸν Ἑρμοῦ, quod genus à regio differre Plato tradit. Huius ſtirpis perhibetur fuiſſe Andocides vnus ex illis decem rhetoribus qui nominantur à Plutarcho. Hinc eſt quod Homerus vocat Eumedem † κήρυκα θεῖον.

Liu. lib. 32.60. *Iliad. 7.* *Demoſth. de cor. mil. 332.* *Pauſan. lib.* *Pollux lib. 8. 319.* *Plato in polit. 10.2.260.* *Plutarch. Andoc. 1533.*

† ſacra progenies Mercurij.

† præconē diuinū, hoc eſt, diuinæ ſtirpis hominem.

CAPVT V.

De caduceo: & legationibus ijs quæ ſignis plura demonſtrant quàm verbis.

RESTAT caduceum clariſſimum legationis inſigne. Nam à Mercurio Deorum nuntio caducifero poſteris ſuis mortalium nuntijs traditum.

Homer. Iliad. 1.

Odyſſ.9. præcipua veneratione conſpicuum. Et verò Vlyſſes cùm mitteret qui noſcerent Lotophagos, & luſtrarent loca incomperta, his addidit caduceatorem

Euſtath. in lib.1. Iliad. † διὰ τὸ ἄσυλον, ait Euſtathius. Nempe & in media barbarie † τὸ κηρύκειον cum caduceatore ſanctum erat. *Caduceatori*, inquit Cato, *nemo homo nocet*, niſi fortè

Pauſan. lib.9. quiſpiam Læſtrigon, aut Cyclops, aut Hercules ille, cui ex atrocitate facti inditum nomen † Ῥινοκολούστης, aut Ægyptij illi Memphitici. Caduceum (nam hoc quoque etſi tritum, non parſi ſcribere) antiquitas

† propter aſylum ſiue ſecuritatẽ, i. ne violarentur.
† caduceũ.
† narium amputator.

Etymol. κῆρυξ & κηρύκειον. vocauit virgam Mercurij, ſiue baculum mediocris longitudinis, qui eſſet niuibus concolor, cui lubricis amplexibus ſupernè inhærérent angues duo minimè criſtati, mas & femina in ſpeciem literæ Φ. poſtea que additum cornu Amaltheæ vtrinque ſurgens. Cæterùm Mercurius autor & lator eius ſignat os ſuauiloquum, vt ait Ennius, ipſamque adeò dicendi facultatem piperatã & artificem. Albedo ab ſe læta omnia; ſerpentes prudentiam; vterque ſexus omen ſoluti Herculanei nodi, hoc eſt, felicem fœcunditatem comitem, teſtemque pacis; Cornua Amaltheæ bona otij & altæ pacis, quæ eſt finis legationum.

Macrob. lib.1. Sat. Hinc eſt quod ſanctitas caducei extenta eſt ad genituras hominum, & religionem concubitus. Quippe matrimonium cenſetur ſobole, propitijſque laribus, vnde quies & omnia vitæ commoda. Hinc illud de caduceo, quod ſiniſtra Oſiris tenebat,

Iuuenal. Sat. 6.

Ille petit veniam quoties non abſtinet vxor
Concubitu ſacris, obſeruandiſque diebus.
Magnaque debetur violato pœna caduceo.

Plin. lib.29. cap.3.87. Plinius quonam ſpectet caduceum his verbis interpretatur. *Hic complexus anguium, & efferatorum concordia cauſa videtur eſſe, qua exteræ gentes caduceum in pacis argumentis circumdata effigie anguium fecerint. Neque enim criſtatos eſſe in caduceo mos eſt.* Aduerſus iniurias ita muniti caduceatores eò penetrabant quò legatis aut illicitum fuit, aut intutum. Cuius vſus

quòd

quòd vel in illa florida nouitate mundi fuit neceſſarius, eodem prope partu editum eſt cum gente mortalium. Nam primæuum illud genus hominum natum in aruis, Lucret. lib. 5.

Durius, vt decuit, tellus quos noua creaſſet,

Ideoque nullis adhuc neque legibus, neque moribus conciliatum, cùm ſibi quiſque valeret, ſibi quiſque prædam auferret, arietare cœpit, pugniſque rem agere. Quibus non ſatis virium iræ ſuppeditantibus, cõtinuò manus fragminibus iniectæ; ſimulque hinc inde certatum

Miſſilibus ſaxis, & magno pondere clauæ.

Dein gliſcente auaritia cædis minutatim plures hinc inde conglobari cœpti. Hinc procuſa bella. Hæc excepit laſſitudo ac tædium. Fortè & ſubiit pœnitentia, & rediit humanitas, cuius ſuaſu concordiæ iniecta mentio, nempe ſermonis conciliatu, & miniſterio alicuius internuntij. Ab hoc quicquid obuij periculi erat propellebat caduceator, ſicuti † Διὸς ἄγγελος, haud ſecus quàm hodie à lictore ſubmouetur magiſtratui. Ea re priſco æuo in publicis tabulis aiunt ſcriptas fuiſſe leges latas de † Deliaſtis ad hunc modum, Caduceatores duo ſunto, ex caduceatorum fecialium ſtirpe. Atque adeò caducea ferrea atque ærea in priſcis Lauiniatum adytis fuiſſe ſcripſit Tymæus. Et caduceum aureum in illa ſolenni pompa Ptolemæi Philometoris ab Sileno petaſato circumlatum; itemque alium Mercurij, ſiue, vt loquitur Apuleius, Mercurialem, rurſuſque alium inauratum cubitorum quadraginta quinque tradit Athenæus. Nempe caduceum magnitudinis tam enormis inuentum puto vt procul aſpici poſſet; ac proinde obuius quiſque iniuria ſibi abſtinendum intelligeret. In æde Anubis numinis Ægyptij aureum fuiſſe caduceum, autor eſt Lucianus. Atque hac quidem ratione antiquitas legatorum ſecuritati proſpexit. Hoc fuit priſcorum caduceatorum munus. Iſtis vix

† Iouis nuntius.

† Deliaſtæ dicebantur ij qui Delum mittebantur ad conſulẽdũ oraculum.

Athen. lib. 6.

Dionyſ. Halic. lib. 1.

Athen. lib. 5.

Apul. Metam. lib. 11.

Lucian. Toxari, 625.

quemquam hodierno die aſſimilare poſſum extra eos qui nobis ſunt Araldi, regesve, quos vocant, armorum, qui ſunt ſolennes nuntij regnantium. Qui quoties violantur, eâdem iuri gentium vim fieri conſtat. Vtrique inſigniuntur veſte picta & verſicolori, nempe eius imperij à quo mittuntur, inſigniis ſegmentata. Hæc veſtis quia ſucceſſit in locum caducei, ipſis videlicet, eſt pro munimento. Iſtis annumero tubicines, æneatores, tympaniſtas, tabellarios, alioſque militares nuntios & libelliones, quos iura belli, vel ipſa inter hoſtium agmina tutos præſtant. Horum miniſterio hinc inde mittuntur literæ, teſſeræ, dicta quandoque arcana & occulta, quandoque publica & ſolennia; ſæpe ita tecta & obſcura, vt illi vni quos inter commeant, quid ijs ſignetur, ſciant, non etiam illi quorum aut ori aut manibus creduntur. De hoc genere fuerunt illa quæ nuntius Periandri expoſuit Thraſybulo, & Tarquinij Sexto filio. Ille altiores ſpicas, hic ſūma papauera baculo decuſſa renūtiauit. Etſi apud Laërtium legitur epiſtola hac ipſa de re miſſa Periandro. Vt literæ victoris imperatoris, ſic tales nuntij ſæpe miſſi ſunt laureati per prouincias, vt in ipſo aditu ex habitu aduenientis præſumi poſſet lubentia & iucundiſſimus affectus. Id quod accidit in obitu Maximini. Horum miniſterio nuntiorum ſiue caduceatorum obitæ ſunt legationes, vt ita dicam, mutæ, & plura ſignis quàm verbis demonſtrantes, nimirum per quædam obſcuritatum & ænigmatum inuolucra. Tale fuit Scythicum munus Dario miſſum, quod conſtitit ex mure, rana, aue, quinione ſagittarum; ad cuius ſiue coniecturam, ſiue interpretationem vnus Gobrias callidè euaſit, illud minitantis eſſe donū, vt erat, interpretatus. Huius fermè generis fuerunt ficus à Patroclo miſſæ ad Antigonum. Propemodum ſimili modo Clemens Alexandrinus, vbi interpretatur quædam Ægyptiorum ænigmata, ait, quoſdam in nauigio, alios in cocodrilo ſolem de-

Herodot. lib. 5. Ariſtot. lib. 3. polit. cap. 9. & lib. 5. cap. 10. Liu. lib. 1. Laërt. lib. 1. in Biante. Herodian. lib. 8.

Herodot. lib. 4. Athen. lib. 8. Athen. lib. 8. Clemen. Alex. lib. 5. Strom. 242. 30.

monſtrare. Additque in Ægyptia Iouis vrbe, in æde cui nomen Pylo, infantem eſſe figuratum, quod eſt ſymbolum generationis, vt ſenex interitus ſiue corruptionis. Dei item ſymbolum ait eſſe hieracem, vel accipitrem; odij piſcem. Adumbratus hic legationum ſenſus interdum ſignificantior & efficacior fuit illis quæ verbis & accurata oratione peraguntur. Eaque re illa loquendi ratio in legationibus diu retenta à rudi illo ſeculo manauit ad ſollertiora. Nam & Scythæ ad magnum Alexandrum miſerunt donum quod hoc loquebatur, acciperet vtrum mallet pacem an bellum. *Dona,* inquiunt legati eorum, *à nobis data ſunt, ne Scytharum gentem ignores, iugum boum, aratrum, & ſagitta, & patera. His vtimur cum amicis & aduerſus inimicos. Fruges amicis damus, boum labore quæſitas. Patera cum his vinum Diis libamus. Inimicos ſagitta eminus, haſta cominus petimus.* Hoc ferme exemplo ab ipſo Senatu Romano haſta & caduceum Carthaginem miſſa, facta Pœnis poteſtate accipiendi vtrum mallent. Haſce Pomponius nominat teſſeras, quas ait à † Q. Mutio Carthaginienſibus prolatas. Qui mos in Græcia fuit antiquiſſimus, vt docet Polybius hiſce verbis, † βουλόμενοι τὸ δὴ λεγόμενον ἅμα καὶ τὸ δόρυ καὶ τὸ κηρύκειον πέμπειν πρὸς τοὺς Βυζαντίους. Quippe hæc vox iam prouerbio increbuerat. Vt quoque iſta ab Ariſtide vſurpata, vbi ſignat eos, qui ſiue eſt pugnandum ſiue loquendum, in vtrumque ſunt parati, † καὶ ἅμα τῷ κηρυκείῳ καὶ τῷ σιδήρῳ χρωμένους. Hanc legationem, quam obijt M. Fabius non Q. Mutius apud Carthaginenſes Silius Italicus deſcribit in his verſibus,

Q. Curt. lib. 8.

Zonar. lib. 2.

Pompon. l. 2. ff. de orig. iur.

Poly. lib. 3. Iornand. in lib. ſucceſſor. & Zonar. lib. 3.

Ariſtid. κοι. ἀπολ. 151. 6.

† legendũ Fabio vt infra dico

† volentes, quod tunc dicebatur, ſimul & haſtam & caduceũ mittere ad Byzantios.

† Et ſimul caduceo & ferro vtentes.

Bellum ſe geſtare manu pacemque profatus
Quid ſedeat, legere, ambiguis neu fallere dictis
Imperat. Ac ſæuo neutrum renuente Senatu,
Ceu clauſas acies, gremioque effunderet arma,
Accipite infeſtum Libyæ, euentuque priori
Par, inquit, bellum; & laxos effudit amictus.

Sil. Ital. lib. 2.

Menand. ecl. legat. 98.

Simili locutione Romanus imperator vſus eſt aduerſus Choſroem. Paratus, inquit, ſum quocunque is ducet, ſequi, ſiue gladium eligat, ſiue otium. Haſta, nimirum, & gladius nihil ſignabant niſi bellum. Ergo Herodes ille ſatrapes legatus ad duces Romanos in ea concione quam apud ipſos habuit, ait, † δόρυ ϗ ξίφος ὡς γεγηρακότα χαιρέτωσαν, perinde ac ſi dicat, pro bello amplectimini pacem, vt ipſe in ſequentibus interpres eſt. Hinc eſt quod apud Ariſtophanem Spartanus caduceator interrogatus an homo ſit, an † Coniſſalus, reſpondet, Caduceator ſum per Deos Lacedæmone profectus pacis & fœderum gratia. Id quod ſi non nouum, at certè parum in vſu erat, vt caduceator de pace & fœderibus mitteretur. Nam plerunque ad indicenda bella proficiſcebantur. Probulus Athenienſis reſpondet, † K' ἄπειτα δόρυ δῆθ' ὑπὸ μάλης ἥκεις ἔχων. Id, ſcilicet, quod erat veriſimilius. Ideo caduceator addit, Minimè, Iouem ſupernum teſtor. E' ſuperioribus conficitur, latè patere appellationem legati. Nam etſi propriè demonſtrat illos, qui honeſtantur hoc tanto nomine; quique ſunt circumfuſi illo ſplendore qui legationis proprius eſt, tamen & illos quoque amplectitur, quos ſola huius miniſterij fidelitas commendat, cuiuſmodi ſunt feciales, caduceatores, tubicines, alijque publici nuntij, qui, antiquitate non renuente, quodammodo dici poſſunt legati, ſed me Hercule minores, multumque infra dignitatem illorum, quorum de perſonis & munere potiſſimùm hîc agimus.

Theophil. in hiſt. legat. 56.

† Haſta & gladius vt potè quæ iamdiu cõſenuerunt, valeant.

† i. Dęmon.

† Ac deinde haſtam. i. ſignũ haſtæ ſub axilla ferens.

Ariſtoph. Lyſiſtr.

CAPVT VI.

Legatio eſt inuentum neceſſitatis.

LEgationem nulla curioſitas, nulla voluptas inuenit, ſed ſola neceſſitas. Imbecillitate, ſcilicet,

& ſorte humana regnãtes eò mittunt legatos quò ſe ipſi capeſſere nequeunt. Horũ diligẽtia in rem præſentem, quamlibet longinquam perducuntur; alieno ore cogitatè loquuntur & commodè. Denique aliena ſapientia, vt ait columen ſapientiæ, ſubducunt ſe ingentibus periculis. Ea re Mardonius haud inſcitè irridet deliramenta Græcorum, qui quamlibet † ὁμόγλωσσοι, malunt ſeſe bellis collidere, quàm mittendis vltro citroque legationibus coaleſcere. Quod homini eſt loquela, hoc ſunt imperijs legationes. Nempe quarum ope perferuntur hinc inde preces, queſtus, denunciationes, conſilia, & quicquid illud eſt quod ratio amat vſurpare ne res deducatur ad manus. Hoc ſanè conſilio, vitando, ſcilicet, bello Agamemnon legationem dedit Vlyſſi & Menelao ad Troianos. Neque enim ad aliud miſſa, quàm vt Helena viri penatibus redderetur. Similiter Sylla Archelao præfecto Mithridatis, Si regi, inquit, iniuria facta eſt, æquius fuit queſtum mitti legatos ad Senatum, quàm impetu iri in aliena, & ſæuitiam intendi in iugulum tot innocentium. Verbum eſt nugatoris, ſed ipſum haud meHercule nugatorium, *Omnia prius experiri quàm armis ſapientem decet*. id eſt, humanitati multo magis affine eſt lites verbis finiri quàm armis. Itaque ſiquid vſpiam ſciſſum eſt aut lacerum, continuò hæ conciliatrices aduocandæ vt remedia, quibus quidem nihil eſſe medicamentoſius tam priſca quàm hodierna experientia cognitum. Atque ideo planè immanibus & efferis annumerantur illi, quibus nullus eſt vſus neque præconis, neque legationis. Neque verò hæc remedia ſemel aut iterũ, ſed quandocunque res poſtulat implorari debent. *Impatiens ſenſus eſt*, ait Caſſiodorus, *ad primam legationem protinus arma mouere*. Nec Darius dubitauit tertia legatione Alexandri animum explorare. Quod ad exemplum Periander ad Lycophronem filium, Heraclius ad Choſroem, Iuſtinianus ad Gili-

Salom. Prou. cap. 25. v. 14.

Herodot. li. 7.

† vnius linguæ.

Homer. Iliad. α.

Appian. Alex. Mithrid.

Terent. Eun. actu 4. ſc. 7.

Pollux li. 1. 31.

Caſſiod. Var. 3. ep. 4.

Diodor. Sic. lib. 17. bibl.

Herodot. lib. 3.

Zonar. Heracl.

merem ſemel miſſas legationes alijs inſuper cumularunt. Verba ſunt Philippi ad milites ſeditioſos, *Mementote rem eſſe cum ciuibus, quibus ſpem gratiæ citò abrumpere, ad bellum ciuile properantium eſt. Altera legatione an mitigari poſſint, experiamur.* Marcianus cùm à Gezericho nihil eorum quæ petierat impetraſſet, ei alteras literas, & Bledam Epiſcopum miſit legatum. Apud Euripidem chori alloquentis ciuitates hæc ſunt verba, & quidem Euripidæam ſapientiam repræſentantia; atque adeò exprobrantia calamitates quæ vitari potuerunt, † Πόλεις τ' ἔχουσαι διὰ λόγου κάμψαι κακὰ Φόνῳ καθαιροῦνθ' οὐ λόγῳ τὰ πράγματα. Meritò ergo Cyrus legationem ponebat inter eas res quæ ſunt maximi omnium momenti, nimirum vt ſine bello impetretur id quod ſuadet æquitas, & poſtulat neceſſitas. Quòd ſi omnis hic labor diſperijt, tunc verò irritanda eſt virtus animi; minimeque committendum, vt quæ primò fuit ſapientia ſenſim fiat ſtulta patientia; & odioſa ceſſatio prodat animum tenuem & infirmum. Quin ſemper tali re, pectus peracet his qui ſciunt quid regnum ſit, quid principatus. Animoſè Beliſarius legato Choſrois, *Siquid*, ait, *à conterminis gentibus deſideratur, id poſtulatum ijs mittitur per legatos. Si ab iniuſtis iuſta obtineri non queunt, manus, ſcilicet, conſerenda.* In hanc ſententiam edita eſt illa legatio apud Euripidem, quæ præconi data eſt ad Cadmæorum tyrannum, † Κἂν μὲν θέλωσ' αἰνέσαι, παλίσσυτος Στεῖχ'. ἢν δ' ἀπιστῶσ', οἵδε δεύτεροι λόγοι. Κῶμον δέχεσθαι τὸν ἐμὸν ἀσπιδηφόρον. Proh fidem! Impiumne fratricidam, eundemque audacem corruptorem perfeciſſe vt pro legionibus legatio ad ſe mitteretur in Africam? ô fortuna quantum infelicitatis iam tum parturiebas. Tuque adeò libertas vt iam tum morti ferè ægrotabas. Neſcio quid tale Philippus Conſul exprobrat patribus conſcriptis. Talem legationem

Procop. lib. 1. belli Vandal.
Q. Curt. lib. 10. 185.
Priſc. ecl. legat. 58.
Euripid. Supplic. actu 3. 291.
Xenoph. de inſtit. Cyr. hiſt. lib. 8. 160.
Procop. lib. 2. belli Perſ.
Euripid. Supplic. actu 2. 284.
Salluſt. bel. Jug.
In orat. Philip. Cõc. poſt Salluſt.

† Cum poſſent ciuitates declinare mala, clade nõn verbis rerum procellas amolimini.

† Et ſi quæ petitis annuãt, verſo pede redeas. Si verò abnuãt, hic ſit alter ſermo, armatã iuuentutẽ vt expectet meam.

M. Tullius ad M. Antonium iteratò miſſam non immeritò ſtomachatur. *Iterum legatos? Quid? ille faceret inducias? ante Conſulis, oculoſque legatorum tormentis Mutinam verberauit. opus oſtendebat, munitionemque legatis; Ne punctum quidem temporis, cùm legati adeſſent, oppugnatio reſpirauit. Ad hunc legatos? Cur? an vt in eorum reditu vehementiùs pertimeſcatis?* In eodem luto hærebat Theodoſius decernenda ad Maximum Gratiani interfectorem legatione. Sed hominem Iuſtina artificioſè reduxit in viam. Iuſtinianum auerto nihilo magis Romanum; potiùs timidum gelidùmque cunctatorem. Ea, nimirum, erat fruticatio rugoſi rancidique imperij, cuius cùm omnis prope vigor iam diu eſſet decoctus, non mirum ſi tunc torpor fuit pro ſapientia. Quid, obſecro, minus regium fuit aut Imperatorium, quàm ad Choſroëm violatorem fœderum, vrbes Romanæ ditionis expugnantem miſſitare legatos? Quid aliud eſt, palam fateri, ſe defectum viribus, aut animo, imò vtroque? Mihi non alius rex eſt, quàm is vnus quem hinc trabeatæ, hinc paludatæ laudes circumſiſtunt. Scriptores adnotarunt, ridiculè Valerianum miſiſſe legatos ad Saporem de pace cum opulentis donis; ſcilicet, ſeriùs quàm oportuit, cùm Perſa iam reſciſſet ea mala quibus Rom. exercitus conflictabatur. Et verò hæc legatio irrita, vt meruit, dimiſſa eſt. Huiuſmodi plures inutiles ac ſuperfluæ legationes omiſſis neceſſarijs, mittuntur à regnantibus, vt animaduerſum eſt à Plutarcho. Regiè Artaxerces, qui, ſpretis literis Alexandri Principis Romani. Non verbis, inquit, rem geri oportet, ſed armis. Hac laude etiam viget Stilicho.

Iam non prætumidi ſupplex Orientis ademptam
Legatis poſcit Libyam, famuloſue precatur
Dictu turpe ſuos, ſed robore freta Gabino
Te duce Romano tandem ſe vindicat ira.

Cic. Philip. 8. 51. 453.

Zoſim. lib. 4.

Petr. Patric. ecl. legat. 20.

Plutarch. ἐι πρεσβ. ποιτ. 147.

Herodian. lib. 6.

Claudian. li. 3. de laud. Stilich.

Hinc liquet, rebus arduis, & Repub. ancipiti vtendum duplici ſpe, mittenda legatione, atque interim expediendis armis, vt cum prudentia virtus paria faciat.

CAPVT VII.

Quidam obeunt legationes nullo nomine. Conſilium non mittendæ legationis, ac tamen rem peragendi.

HVc vſque multa genera legatorum vnà cum ſuis appellationibus mihi ſunt memorata. Superioribus annumerari debent illi, quibus, quamuis nullo legationis, publicæue curæ nomine, tamen adeſt vis & illud quod in munere legati præcipuè ſpectari debet. Hoc genus legationum non ambulat via regia aut militari, ſed ſubrepit deuijs tramitibus. Obitur, ſcilicet, ab illis qui cultu priuato tegunt multam calliditatem, cuius ope negotia publica latenter tranſiguntur. Huic muneri mercatores exiſtimantur idonei. Nam obtentu quæſtus delati ad longinqua neque ne deprehendantur, timent, neque deprehenſi erubeſcunt. Non neſciuit hanc technam Annibal. Cùm enim ab Antiocho legatio Carthaginem apertè mitti non poſſet, ipſe Ariſtonem quemdam Tyro mercatorem dilegit. Hunc Carthaginem miſit ad illos quibuscum ſibi erat communis rerum teſſera. Hos monuit vt ſimulatque reſciſſent ab ſe impetum factum in Italiam, Carthaginenſes apertè impellerent ad defectionem. Etſi non ſum neſcius hoc negotium aliter memorari à Iuſtino. Hoc ipſo aſtu Pelopidas eſt vſus, cùm ad Sfodriam Spartanum miſit quemdam mercatorem cum pecunia & mandatis magna de re. Nam de Piræeo in poteſtatem

Appian. Alex. Syr.

Iuſtin. li. 31.

Plutarch. Pelop.

poteſtatem reducendo tunc quidem agebatur. Ergo admodum prudenter Honorij ac Theodoſij reſcripto cautum eſt, *Ne mercatores tam imperio Romano, quàm Perſarum regi ſubiecti vltra ea loca, in quibus fœderis tempore cum memorata natione Imperatoribus conuenit, nundinas exerceant; ne alieni regni (quod non conuenit) ſcrutentur arcana.* A' COSS. qui erant in Africa miſſus eſt Sextus Quæſtor in oppidum Iugurthæ Vaccam fidei cauſa. Sed huius rei ſpecies fuit acceptio frumenti priùs imperati. Ergo quod hic Sextus præ ſe ferebat & palam, inuentum fuerat ei rei tegendæ quæ verè agebatur. Quo aſtu ſæpe occuluntur rerum maximarum conſilia. Dicitur Domitianus ad auertendam ſuſpitionem belli, quo nec opinantes Germanos opprimere voluit, *Profectionem ſuam cenſu obtexuiſſe Galliarum.* Haſce quoque legationes non frequentiùs obeunt alij, quàm immanes quidam lupi, qui cultu paſtorũ euertunt diſiectantq; hædilia, vt oues deglubant. Nam quò pertinent tot itiones ac reditiones, curſus & recurſus, quibus negotium religionis aut pacis impiè obtenditur? cùm interim ob ſæuos horum laniatus Chriſtiana Reſpub. iamdiu lacera aſpiciatur ac deformata? Dantur quoque hæ legationes ipſis exulibus, ipſiſque adeò captiuis, ijs qui putantur eſſe gratioſi apud ſuos. Autore Guicciardino Ludouicus XII. ad Genuenſes legauit Michelem Ricciũ Doctorem Neapolitanũ exulem, qui ibi ortam ſeditionem ſedaret. Huic ipſi poſtea idem rex dedit legationem ad Florentinos. Carthaginienſes legarunt Regulũ non quidem exulem, ſed captiuum ad Senatum Romanum. Cui, vt hoſtium legato, Senatus extra vrbem datus. Hoc exemplo Totilas cuidam captiuo remiſſo Romã literas dedit ad Senatum. Ad ſimiles legationes ſicuti ad præfecturas deſtinantur quandoque homines principibus ijs quorum hæ legationes ſunt, inuiſi, ſed ad longinquas, & odioſas. Nẽpe iſti honeſta hac ſpecie quopiã

L. mercatores, C. de cõmerc. & mer.

Salluſt. Iug.

Frontin. lib. 1. Stratag. cap. 1.

Procop. lib. 3. be. Goth.

Cic. pro do. ſua. terrarum proijciuntur. *M. Cato inuiſus quaſi per beneficium Cyprum relegatur. Ejciuntur duo quos improbi videre non poterant, alter per honorem turpiſſimum, alter per honeſtiſſimam calamitatem.* Similiter Suetonius ait, *Sueton. Cal. cap. 1.* Germanicum fuiſſe expulſum ad componendum Orientis ſtatũ. Quidam hoc colore eripiuntur præſenti exitio, aut ſaltem odio; veluti Scipio Naſica, vt *Plin. de vir. illuſtr.* inuidiæ ob mortem Tiberij Gracchi ſubtraheretur, *Valer. Max. lib. 5. cap. 3.* per ſpeciem legationis miſſus eſt in Aſiã. Hac eâdem ratione P. Lentulus in Siciliam ſeceſſit. Sic ab Tiberio Germanicus in Orientem, ab Nerone Otho in Luſitaniam amotus. *Jn catal. vet. poet.* *Cur Otho mentitus ſit, quæritis exul honore? Vxoris mœchus cœperat eſſe ſuæ.* Cicero dicit, non *Cic. ad Att. lib. 15. ep. 6. 483.* dubitare quemquam prudentem quin ſuus diſceſſus deſperationis ſit non legationis, id eſt ſe, qui nomine futurus ſit legatus, reuera adductum deſperatione rerum publicarũ, ſimulatam eam legationem ſuſcepiſſe. Legationibus odioſis prudentes vt abſtineant, cenſeo, ne & ipſi hinc ſibi & odium & perniciem contrahant, vt illi legati Rhodij quorum in Senatu *Liu. lib. 35. 204.* Romano hæc ſunt verba, *Ex ſordido diuerſorio vix mercede recepti, ac prope hoſtium more extra vrbem manere iuſſi in hoc ſqualore venimus in Curiam Romanam Rhodij:* Talthybius & Eurybates, illi præcones Homerici inuiti adierunt Achillem, quamuis miſſi ab Agamemnone.

Jliad. 1. † Τὼ δ' ἀέκοντε βάτην παρὰ θῖν' ἁλὸς ἀτρυγέτοιο.

Et paulo poſt,

† Τὼ μὲν ταρβήσαντε, καὶ αἰδομένω βαςιλῆα
στήτην.

† Hi autẽ inuiti iuerunt iuxta littus maris infructuoſi.
† Hi quidẽ timentes & reueriti regem Steterunt.

Quidã à regnantibus peregre mittuntur hac lege, ne priùs aſſumant nomen legati, quàm hoc aut illud, quale ſit, explorauerint. Id quod ſibi ab Ludouico vndecimo iniunctum fuiſſe Gaguinus memorat. Poſtremò & illud ſciendum, exquiſitũ prudentiæ genus eſſe, non ſtatim mittere legationem quò negotia poſtulant, ſi eſt vt alia ratione cõmodè confieri poſſint,

ſed calidè id agere vt ſimus implorati magis quàm implorantes. Adeò vt quæ ſupplicãdi noſtræ partes fuerant, hæ transferantur in eos, qui, dēpta hac arte, precibus adeundi erant. Exemplum eſt apud Polybium multis verbis, quæ recidere viſum, & in hæc coarctare. Bello Cleomenico Peloponneſus vrgebatur. Ibi Aratus Achaicæ libertatis vindex acerrimus etſi ſciebat in ſocietate Macedonũ ſuę genti multum eſſe præſidij, tamen ſuper ea re veritus eſt mittere legationem ad Antigonum, ne ex eo & Cleomeni, & Ætolis hoſtibus audacia accederet, ſuis metus multiplicaretur, tanquam ex vltima rerum deſperatione alienę opes circũſpectarentur. In hoc æſtu tutiſſimus ei conſiliorum portus hic eſt viſus. Non erat neſcius Megalopolitanos Spartanis conterminos belli malis eſſe circumuentos; neque ipſis quicquam opis eſſe in Achæis, qui eodem bello diſtinebãtur. Ergo Macedonum auxilia imploraturos iure eius fœderis quod eſſet inter vtramq; gentem. Ideo per Nicophanem & Cercidã vtrumque ciuem Megalopolitanũ occultè tenuit, vt ipſi ciuitatis allegatu adirēt Achęos, petētes vt ipſorum cõceſſu iter ad Antigonũ ſuſciperent. Re impetrata ac peracta, profecti ad regem legati, editis mandatis, de negotio quæ ab Arato edocti fuerant cum rege diſſerunt. Hæc eò pertinebant, vt rex certior fieret quantum momenti in eo eſſet, ne Cleomenes & Ætoli rerum Peloponneſi potirentur. Id ne eueniat, Peloponneſios iuuãdos auxilijs. Si enim deſerantur, enimuero Ætolos eo ſucceſſu tumidos ab ipſa Macedonia minimè temperaturos. Ne multa, Res ita acta cum Antigono eſt, vt is Arati prouiſu collaudato, ſe ad omnes euentus paratum reſponderit. Dedit inſuper literas ad Megalopolitanos, quibus literis pollicitus eſt, prõpta fore ab ſe auxilia, ſi id modò Achæi permitterent. Megalopolitani, re cognita, iteratò per legatos petunt ab Achæis vt induant ſocietatem Antigoni. Hem conſilium &

Polyb. li. 2.

quidem catum. Nam quod Achæos neceſſitas ſubigebat vt ab rege ſumma ope peterent, id ipſum vt vltro ſibi offerretur Arati prouiſu, ſollertiaque perfectum. Hoc, ſcilicet, eſt, vt ait Afer poëta, nihil promerendo id agere quì alienum benefactum gratiæ adponatur ſibi, ſiue, vt ait Seneca, rem ſibi præſtare, alijs imputare. Non deſunt qui à nullo, vt ſupra dicebam, miſſi, tamen ſeipſi magnis negotijs interponunt. Hoc interdum licet ſumma hominibus autoritate, pari in patriam charitate, pari prudentia. Id quod tunc nulla exceptione laudatur cùm negotium è publica vtilitate feliciter conficitur. Hoc docet fabula Promethei. Is enim quamuis non miſſus ab hominibus hominum cauſam nihilominus apud Iouem egit.

Senec. de benef. lib. 6. cap. 12.

Ariſtid. de rhet. orat. 2. 121. 6.

CAPVT VIII.

Vnus duas pluresve legationes obire non poteſt exceptis municipalibus. Legatus domeſticos titulos præ ſe ferre debet. Paritas & concordia legatorum.

Modeſt. l. 15. ff. de leg.

LEgationes municipales, quamuis plurium, vni ſimul dari poſſe conſtat, ſi ſumptus & itineris compēdium ſuadet. Eadem eſt ratio clientiū, quorū par cauſa cùm ſit, ab vno eodēque peragi poteſt ſiue apud Principem, ſiue apud Senatū. Sed eæ legationes quæ peregre mittuntur ad negotia imperij, vtique ſunt ſingulares, nec alias magis admittunt, quàm vxor pellicem; niſi illorum ſint, quorum pari ſorte imperium cùm adminiſtretur, duo biſellium implēt, vt illo paria, aut quandoque ternio principū Romanorum. Neque enim hi duplici aut triplici maieſtate ſunt cōſpicui, ſed vnā eandemq; augēt, non geminato aut multiplicato principatus numine, ſed nomine. Ita quoq, confœderatorū vna ſæpe eademq; legatio

eſt. Sed qui & loco & imperiis, & rebus diſcreti ſunt, horũ legationes ab vno eodemq; ſimul obiri poſſe, id pernego. Hoc præcipuè deſideratur ab legatione, vt aſſerat iura, tueaturque maieſtatem illius cuius eſt. Id quod nequicquam tentet is, qui induit duas perſonas, quarum neutra ita concolor eſt, vt alteræ non ſit vſpiam diſcolor. Ergo vtramque legatus non magis ſuſtinere poteſt, quàm eodem momento eſſe duobus locis. Quinimo duæ legationes vt ſeſe aſpiciunt, fermè arietant, & mille cauſæ eas quotidie collidunt. Ne hiſtrio quidem, niſi mutata perſona concinnè mutat partes, nedum vt legatus poſſit. Non vno fonte, vt eſt vetus verbum, plures meatus repleri ſimul poſſunt. Eſt igitur cuilibet legationi attributa quædam proprietas; indeque eſt multa diuerſitas ordinis, loci, rerũ. Hæc vix vnquam miſceri ſine iniuria eius, quod proximum eſt, poſſunt. Sua, vt eſt in prouerbio, ſunt cuique ſacra, nec idem Cereri quod Libero, etiam ſub iiſdem cultoribus. Suus cuique locus, ſuaque dignitas & ſemper & vbique obnixè tuenda eſt. Simulatque legatio incipit collidi aut labare, eâdem quoque dignitas eius, cuius eſt, atteritur, aut collabaſcit. Narratum eſt mihi, legatum à quodam rege ad Cæſarem miſſum recenti memoria, claritate natalium inſigni, ſed dexteritate diſpari. Hunc poſtquam ediderat mandata, Cæſar inuitatione, aliaque humanitate, vt mos eſt, proſequebatur. Exacto triduo, cùm vterque conſediſſet, Habeo in mandatis, ait Cæſari legatus, ab Cardinale N. eodemque Epiſcopo N. vt quæ oppida is poſſidet in Germania, ea ego ſolenni ſolitoque ritu agnoſcam eſſe in ditione Maieſtatis veſtræ. Cæſar hominis imprudentiam miratus, quaſi alias res ageret, hac certè diſſimulanter excepta, eum nullo reſponſo dignatus, continuò aliam orationem inſtituit. Cùm ſequenti die iterato eadem legatus, Nihil, ait Cæſar, detrimenti in mora eſt. Sed de hoc aliàs. Neque etiam tunc quónam tale

Auſon. Paulo, edy. 2.

reſpõſum pertineret, legatus aduertit. Seque non eſſe intellectum Cæſar intellexit. Nam tertiò inſtanti, quanquam mœrens, conceſſit. Et cras, ait, ſi huc veneris, quando iſthuc tam cupidè cupis, negotium peragetur. Non ſibi defuit legatus ineptè ſedulus. Quippini qui dies illum diem excepit, eo venit ad regiam vix ab vllo ſalutatus, nedum exceptus ab aulæ p̄rimoribus, quibus curæ ſunt ea munia. Ita cunctabundus, & nouitate rei perculſus perrexit ad illud cubiculum, quod interiori Cæſaris cubiculo proximum. Ibi rogat nuntiari Cæſari, p̄etere ſe vt introeat ad eum. Vix impetrat. Reſpondet nuntius & quidem ſubductis ſuperciliјs, iubere imperatorem inibi eum ſubſiſtere, quoad operæ ſit ei operam dare. Attonitus paret, ac limis circumſpectat, frontem obducit. Omnia congruere videt, ac nihilo magis ſe in illo cubiculo quam in atrio excipi, aut præcipuo, vt antea, honore eſſe. Tandem & mirando & expectando feſſus à quodam cubiculario intromittitur. Trepidus ingreditur. Tunc, quia ibi noua omnia, ipſi quoque acceſſit nouus metus. Nempe aſpicit Cæſarem & cultu & aſpectu, & compoſito in grauitatem vultu venerabilem, eaque ſede ſedentem quæ decus tribunalis præ ſe ferret. Ante pedes Cæſaris haud modico interuallo videt puluinar humi poſitum. Ibi à Cæſare maieſtate manus vtrumque genu flectere iubetur. Mox præeunte ſcriba, ea verba concipere, quibus clientes & vaſalli vetere inſtituto adiguntur in verba patronorum ac dominorum. Peractis eius ſacramenti ſolẽniis ritu ſupplicum, ad poſtremum nutu ac digito vt erigat ſe in pedes à Cæſare iubetur. Dein infit Cæſar, proprio nomine non legatum eum compellans; Nunquam credidi fore, vt qui eſſes legatus tanti regis, ſuſtineres partes illius agere, qui ipſus, ſi coram adeſſet, etiam dubitarem annon illi præferendus eſſes, & ſuperiori loco quàm ille conſiſteres. Diſſimulaueram & diſtuleram, ne id cõmitteres, ſi modò

intellexiſſes, id quod equidem ægrè vidi, Te, qui illuſtris legationis munus ſuſtines, quaſi ea eiurata, egiſſe nuntiũ clientis mei. Quid? tibi volẽti à me prope inuito mos geſtus, vt nõ de me, ſed de teipſe queri poſſis. Ea res, ne quid mirere, me tibi immutauerat. Qua peracta, recto capite, (eadẽ legato ſedile afferri iuſſit) cõſide, & mecũ reſume priora inſtituta. Hîc mihi Cæſar videtur culpam legati vertiſſe ad ſuum decus; qui tantùm prudentiæ prompſit, quantum legatus incogitantiæ. Enimuero in hunc legatum priſcum illud ſcomma conijci meritò potuit, ſimilem eſſe earũ ſtatuarũ quas Rhodij ponunt ſimiles hiſtrionibus, qui modò has, modò illas partes agunt. Legati nomine abſtinui, cuius etiam poſteri manent. Ac ne Cardinalem quidem nominaui hominem magnæ, dum vixit, claritudinis. Legatum ſedulò moneo, ne, dũ obit hoc munus, cuiuſquã mortalis, quicũque tandẽ ille eſt, mãdata accipiat aut ediſſertet ijs apud quos legatione fungitur. Nam quandoque reperti ſunt primores, aut maiores magiſtratus, ſumma inquam, & potentia & gratia homines, qui iis de rebus, quæ ad ſuã fortè curam pertinent, nullo cuiuſquã iuſſu auſi ſunt literas dare ad illũ quẽ legatus adijt, eàdemque agere cum legato vt illi eas literas reddat, & quæ mandata ijs literis cõtinẽtur, exponat. Ego verò aio, cõprimẽdam eſſe audaciã illius, qualicũque dignitate eſt, qui nullo principis aut Reipub. mandatu, auſu, inquã, priuato publicis negotiis apud extraneos inſerit ſuũ nomen; & principi ſubiectus, ibi vbi minimè par eſt, agit partes principis. Vt huius improbo temeritatẽ, ita eũ legatũ fugit ratio, qui nullo principis aut Reipub. iuſſu fit perlator literarum & mandatorũ illius, cuius eſt ſilere, vt ſit quod princeps aut Reſpub. loquatur. Nec refert illa ſuper quibus aut ſcribitur, aut mandata dãtur, pertinere ad promouenda negotia principis. Nam regula eſt, quicquid pertinet ad legationem, non niſi iuſſu illius cuius ea eſt, ac per legatum

curari oportere. Cæterùm vt legationem ſupra dixi eſſe impatiētem pellicis, ità hîc addo ſuperioris. Neque hoc munus amat honeſtari maiori titulo quàm ſuo. Et legatus quia eſt viua principis effigies, ac ſuſtinet publicam perſonam, non ſuum, ſed imperij aut Reipub. animum gerere debet; talique animo prætendere quicquid apud ſe eſt honeſtiſſimum. Quapropter etſi domeſtici tituli, & decora maiorum legationi propiùs admota ſplendore eius hebetantur, ac dignitate quodammodo deteruntur, tamen autor ſum legato vt priuata virtutis inſignia, ſiue ſunt vetera, ſiue recenter parta, nunquam non præ ſe ferat. Quippe vtrinque auctum & geminatum nomen ſi in ipſo, vt ita dicam, aditu præſcribitur, profertur, ac prope dixerim, oſtentatur, immane eſt quantum dignitatis legationi conciliet. Nam quò ſingula fortaſſe non potuiſſent, horum vnitas haud dubiè vt cuneus perrumpet; præſertim ſi in legationem electus eſt is qui in patria ad ampliſſimos honores euectus eſt. Nam qui adeuntur, audito qualis quantuſque ſit legatus, ſtatim intelligunt quantum inſtar in ipſo ſit. Id quod aduenienti & appropinquanti legato ſubmouet quicquid ſiniſtræ opinionis in hominum animis latere poſſet. Atque adeò hinc eſt & expectatior & gratioſior. Enimuero ſiue precibus ſiue rerum tractationi accedente gratia precantis, vix vlla ſeueritas, vix vllus obſtinatus animus non inclinatur ac miteſcit. Talis fuit legatio Symmachi, cuius laudes non alius dicere quàm vnus Symmachus poſſit, ad Valentinianum, Theodoſium, & Arcadium Auguſtos. In qua edēda is vtramque dignitatem attemperatè nominauit, præfecturam ſcilicet vrbis munuſque legationis. *Gemino igitur functus officio*, inquit, *vt præfectus veſter geſta publica proſequor; & vt legatus ciuium mandata commendo.* Hîc noto, illum qui in Repub. duo munia ſuſtinet vbique locorum præ ſe ferre debere illud cui è maiori & eminentiori cura maior

dignitas

dignitas accedit. *Ita eras Lupercus*, inquit Cicero, *vt te eſſe conſulem meminiſſe deberes*; ac proinde gerere te è dignitate Cõſulis, nõ Luperci. Ergo aio Legato ſumma ope connitẽdum eſſe, vt in ipſa legatione magnis pluribuſque animi & corporis dotibus cenſeatur; atque hinc multam ſui admirationem in animis eorum excitet quos adijt. De animi dotibus alibi, & ferè vbique dico. Corporis etiam alicubi eas memoro quæ vulgo probantur, & à quolibet mortalium ſuſpiciuntur. In hanc ferè ſententiam memorat Plinius rem non ſolùm in legatis, ſed in reliquis mortalibus perraram, eoque magis ſuſpiciendam quòd in perſona cuiuſdam legati inſignis fuit, & prope omnem fidem egreſſa. Quaſdam ait in Cypro fuiſſe familias Pſyllorum, Marſorum, & qui Ophiogenes vocantur. Ex hac familia legatus, inquit, *Exagon nomine à Conſulibus Romæ in dolium ſerpentium coniectus experimenti cauſa, circummulcentibus linguis miraculum præbuit.*

Cic. philipp. 2. orat. 45. 376.

Plin. lib. 28. cap. 3. 11.

CAPVT IX.

Vna legatio pluribus datur. & de multis legatis.

VT vni plures legationes dari nequeunt, ita vnam eandemque plures obeunt. Numerum non definio. Eſt enim arbitrij ſiue principis ſiue Senatus. Neque item loquor de legatis prouincialibus & municipalibus, qui edicto Veſpaſiani, ne nimijs ſumptibus ciuitates onerentur, nõ plures eſſe poſſunt quàm terni. Numero legatorum multum ſplendoris ineſt ac dignitatis; fortaſſe etiam nonnihil dignitatis, præſertim quoties æquantur percutiunturque fœdera, alia imperiorum pacta ſanciuntur, & ſolennia tranſiguntur. Virgilius centum fecit.

Marcian. lib. 4. ff. de leg.

Præterea qui dicta ferant & fœdera firment
Centum oratores prima de gente Latinos

Virgil. 11. Æneid.

Ire placet, paciſque manu prætendere ramos.

Totidem occiſo Iuliano Senatus miſit ad Seuerum; Totidem miſſi à duabus quibuſdam gentibus ad Alexandrum, omnes curru vecti. A' Sambaſtis, gente Indica, ad hunc ipſum Alexandrum quinquaginta, & ab Amphictyonibus Græciæ nomine quindecim, à Scythis viginti, Totidem ab Senatu ad Maximum, Senatores omnes; à Carthaginenſibus ad Scipionem, victo Annibale, triginta; ab Ægyptijs ad Senatum, qui Ptolemæi Auletis reditum impedirent, vltra centum; Ab Athenienſibus ad Philippum de pace decem. Ea re Tigranes ſolitus, credo, adiri numeroſis legationibus, deſpecta paucitate militum Luculli, exercitum eius vocauit legationem. Si hi, inquit, ſunt legati, multi ſunt, ſi hoſtes oppido pauciſſimi. Et verò quia frequēti legationi multus honos ei haberi creditur, qui aditur, dicitur Demetrius queſtus eſſe de Lacedæmonijs quòd vnū legatum ad ſe miſiſſent, ſicuti ſpretus. Cui Spartanus, Nō ſatis ſi ad vnū vnus? Id puto inter pares ferri poſſe, aut ſi legatio miſſa eſt ad minorem. Ad maiorem verendum eſt vt vnus ſit ſatis. Qua tamen de re conſilium capiendum ad hanc formam. Nam aut negotium, quod aiunt, exaſciatur & incipitur, aut peragitur & perpolitur. Tentando ac tractando vnus, meo quidem animo, ſatis eſt. Cōſummando plurium interuentus deſideratur, vt ſolennium teſtium ac ſignatorum. Si plures materiam, quod dici ſolet, dedolant, vtique metuēdum eſt ne res reddatur multiformis & portentoſa; minimùm deformetur non informetur ab ijs, qui quòd fortè ſunt diſcordes animis, variant ſententiis & quidem pertinacibus. Huc accedit, quod in hoc illiſu diſſidentium opinionum res ipſæ plerunque eliduntur aut eludūtur veriùs quàm auſpicatò inſtituuntur. Eo plerique ſunt ingenio, vt omnia pertrahāt ad ſuā ſententiā, dū plus fauent propriæ laudi quàm ſtudent publicæ vtilitati. Hinc eſt quod publica cauſa tā ſæpe aut laceratur aut deſeri-

Q. Curt. lib. 9.162.
Spartian. in Sev.
Diodor. Sic. lib. 17. bib.
Q. Curt. lib. 4.
Capitol. in Maxi. & Bel.
Liv. lib. 20.
Liban. in arg. orat. de fal. legat. 192.
Appian. Mithrid.
Plutarch. apophth. Lacon.

tur. Ergò niſi me animus fallit, hęc ſentētia proba eſt, vt prouida mēs vnius rebus prima, vt aiunt, manu deformandis deſtinetur; vt vnus nemini diſcors, ſecum feliciter cōcors, hoc ipſo indiſſolubili cōcordiæ vinculo negotiū conſtringat. At verò cùm omnia inibi ſunt vt claudātur & obſignētur, quę ſemel decurſa sūt irremeabilia, plures, videlicet, adhibentur; vt cuius vnius inuēta rudia manerēt ac trunca, ea plures expoliāt ac perficiāt. Qua de re aliquid infra dico, cùm ago de illuſtribus legationibus. Solent eſſe lautiores eæ cœnæ & vnctiores, inquit Ariſtoteles, quæ ex plurium ſymbolis in cōmune collatis, quàm quæ parātur ſumptu vnius. Neque verò niſi inſani & impudētes credūt quicquam ſuo ſingulari ingenio conſummari poſſe. Hanc laudem Deus in plures diſperſit. Ad excludendum hinc æmulationem, qui aculeus multos inquietat, aduocandum puto numerum marem, ſicuti potētiorem, pleniorem, magiſque fauſtum. Certe diutina felicitatis obſeruatio quæ eſt ex eo, in cōſuetudinem iamdiu adducta eſt. Nam & augures numero fuerunt impares, *numero Deus impare gaudet*. Et in aperienda foſſa imparem numerum pedum obſeruari Vegetius tradit. Adde quod imparem numerum eſſe mundum tradunt autores iuris canonici. Atque adeò ab religione & militia hic mos tranſlatus eſt ad iudicia. Iupiter cum Rhadamantum Aſiaticis, Europæis mortuis Æacum iudicem conſtituiſſet, his tertium addidit Minoem, vt in quo inter alterutrum diſconueniret, huius iudicio ſtarent. Etſi hortor legatos vt ſuas ſentētias potiùs expendāt, quàm numerent; ne, vt fit, pars maior vincat meliorē. Id quotieſcunq; accidit, quæ culpa eſt plurium, ea dicitur eſſe omnium; Quia quod plures fecerūt, id omnes tueri neceſſe habent. Ergo hæc ſingulorū debet eſſe cautio, vt quod neceſſitate tuētur, id vti tale ſit quod libēter tueātur & laudabiliter. Nā quāuis lege cautū ſit vt ne ceſſatio vni⁹ legati ei, qui munus vt oportet, obijt, noceat, tamen

Ariſtot. lib. 5. polit. cap. 7.

Virgil. in Ceiri.
Veget. lib. 3. de re milit.
C. nuptiæ 32. q. 1.
Plutarch. in orat. Conſ.

ſinguli ſumma ope adniti debent, vt ſalutariter cenſuiſſe dici poſſint; Ne quibus æqualitas poteſtatis data eſt, in his deprehendatur inæqualitas virtutis. Hæc concordia non ſolùm ſpectat vnitatem ſententiarum in ijs rebus quibus legatio continetur, verùm etiam omnia ſimilia in ijs, è quibus conijci qualibus viris legatio data ſit, poſſit. Notati fuerunt inæquales illorum legatorum mores, qui quoties conuenirent, alij pedites, alij in equis ſedentes de negotijs conſultabant. Quare quid non modò inæqualius, ſed ineptius & indecentius fingi poteſt? Si tamen vnus aliquis è legatorum numero fortè ſpe pretij oblata, & præſenti pecunia inductus ſuis collegis diſcors abſurdiſſima & peſſima quæque amplecteretur, huic alij firmum quiſque pectus obijciat. Sæpe enim legatorum pars muneribus & corruptioni obnoxia reperitur, pars minimè. Tali re, qui integri manſerunt corruptos ac deprauatos in patriam reuerſi accuſare debent, exemplo Leontis Athenienſis. Is enim Timagoræ diem dixit, cùm quadriennium in legatione cum ipſo fuiſſet. Nî faciat, bonus & ſyncerus legatus inibi eſt vt in praui collegæ ipſe inſons culpam incidat. Propter iſtorũ corruptelas etiã peculiari meo honore ſum priuatus, cum vos cunctæ legationi ſuccẽſeretis, inquit Demoſthenes; vbi Æſchinẽ ſeorſim ab alijs legatis corruptũ ait. Id verò ne dubiũ quidẽ eſt, quin legatos, licet in patria diſpares, hoc munus coæquet. Etſi in hac ipſa æqualitate eminet princeps legationis, hoc eſt is, cuius nobilitati ac domeſtico ſplẽdori, ætati aut facundiæ cæteri cõcedũt, nimirũ cuius ore editur legatio. Hic enim cæteros ſolo ordine anteit, non poteſtate. Cæterum legati vix erunt concordes ſententiis ſi diſcrepant animis. Ideo Ariſtides etſi Themiſtocli diſcors erat, tamen cùm vtrique data eſſet legatio, Viſne Themiſtocles, inquit, inimicitias relinquamus in finibus? De integro enim reuerſi eas, ſi viſum fuerit, reſumemus. Vide vt

Priſc. ecl. legat. 35.

Demoſth. de fal. leg. 221.

Demoſth. de cor. 317.

Plutarch. in Pol.

illa diſcordia ſequutæ concordiæ gloriam auxerit. Quanquam hoc paulò aliter memorat Polyænus. *Polyæn.l.b.1.* Neque enim legationem, ſed bellum fuiſſe dicit, & ducatum vtriuſque. † ἡ δὲ τῶν στρατηγῶν ὁμόνοια μάλιστα δὴ πάντας τοὺς βαρβάρους ἐνίκησεν. Multò ſanè præclariùs iſti quàm Spartanus is legumlator, qui *Ariſtot.pol. lib.2.cap.7.* regibus ijs legationem dedit, inter quos non erat neſcius eſſe ſimultates. Vt vincere nequeunt illi qui priuſquam pugnent, diſcrepant, ita legati diſcordes multo tractatu & intempeſtiua pugnacitate negotia ſuffocant & lacerant. Hæc tam fœda legatorum diſcordia manat ab nimio amore ſuſpectuque ſui, Vnde oritur contemptus collegarum. E' tali contemptu fit, vt vnus ſeorſim ab alijs ea ſuſcipere audeat non quæ habet in mandatis, aut quæ in commune conducunt, ſed quæ ipſi aut auaritia ſuadet, aut perfidia. Æſchini Demoſthenes audacter obijcit, *Demoſth. de fal. legat. 223.* eum noctu viſum egredi è tabernaculo regis, ac die & nocte, alijs digreſſis cum eo ſermones habuiſſe. Id quod ait fieri contra legem, qua cautum eſt, Ne quis legatorum ſolus veniat ad arcanos cum rege ſermones. Alibi quoque idem Demoſthenes firmat Æſchinem viſum fuiſſe ſolum cum exploratoribus. *Demoſth. de cor. 332.* Xenophon autor eſt, Athenienſes Timagoram illum de quo ſupra dixi, capite multaſſe, accuſatore Leonte, *Xenoph. hiſtor. Græc. lib.7. 486.* quòd is ne quidem eodem contubernio ſecum vti voluiſſet, & omnia conſilia cum Pelopida communicaſſet. Enimuero nunquam non eſt ſuſpicioſum, atque adeò periculoſum hanc vnum è legatis licentiam ſibi ſumere, vt è cæteris excerptus ſermonem inſtituat cum illis ad quos itum eſt. Cuius rei exemplum dedit Edecon legatus Attilæ ad imperatorem. Hic ab Chryſaphio eunucho ſeorſim ab Oreſte, aliiſque collegatis ſuis ad prandium inuitatus cùm *In ecl. legat.* eſſet, ibi ad Attilam occidendum ingentibus promiſſis ſollicitatus fuit. Si in cæteris omnibus diſcordia legatorum opere tanto vitanda eſt, quid in edēda

† at ducum concordia maximè barbaros vicit.

legatione? Annon fuſtuario digni ſunt qui ab vno de vna eademque re miſſi edunt diſcordia mandata? Id tamen accidit Diaphoni & Lycortæ principibus cuiuſdam legationis Achæorum. Hæc dici poſſunt de ea legatione quæ pluribus datur, ac de pluribus legatis ſiue collegatis.

Liu. lib. 28.

CAPVT X.

De legationibus diuinis.

SVpra de origine legationis multa dixi, cùm eam neceſſitate prognatam oſtendi. His addo ipſam quoque diuinitatem fuiſſe præmonſtratricem huius muneris. Illa quæ pueros nutricat, vt quotidie videmus, ſæpe conquiniſcit, & gradum ſenſim explicat veriùs quàm promouet; tum blanda inuitat conatum pueli, vocem tenuat, teneroq; palato inſtillat verba non quadrata, ſed liquata, propemodum vt meri lactis dulces guttas. Ad hunc ferè modum ſummus ille rerum ſator agit nobiſcum. Nî faciat, væ nobis. Ille enim vnus eſt,

Æneid. 4. *Cælum & terras qui numine torquet.*

Num nos tantuli pares ſumus excipiendæ tantæ maieſtati, qui icti vnico eius radio proſternimur? Ergo ſumma illa bonitas huc demittit ſuas legationes, nequaquam ſua cauſa, ſed certè noſtra. Atq; adeò ſubleuandæ tenuitati noſtræ compellat nos verbis non ſublimibus, ſed hîc tritis, dum per internũtios noſtri ſimiles redigitur, vt ita loquar, in mortalem, à quo edoceamur viam immortalitatis. Etſi enim,

Lucan. lib. 9. *Iupiter eſt quodcunque vides,*

Etſi beneficus ſpiritus Dei omnibus mundi partibus inſertus eſt nuntius teſtiſque ipſius, tamen concretæ circa mentem noſtram nubes lucida tela diuinitatis haud magis ferre queunt quàm obtutus radiantem

Plato lib. 10. de leg. 899. B.

ſolem mero meridie. Cæcis nequicquam lucet, ſurdis fruſtra canitur, edentulis cibi ſolidiores inludunt. Hinc eſt quod arcana ſalutis noſtræ ſæpe edita ſunt ab Angelis, aſſumpta, ſcilicet, humana ſpecie, à priſcis illis Patribus, Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, alijſque qui *Immortalia mortali ſermone notarunt.* *Lucret. li. 5.* *Ante omnia*, inquit Lactantius, *ſcire nos conuenit, & ipſum & legatos eius prædixiſſe quod plurimæ ſectæ & hæreſes haberent exiſtere.* *Lactant. de ve. ſap. li. 4. cap. 3. 388.* Paulus item non vno loco legatum ſe Chriſti profitetur. *Paulus 2. ad Corinth. c. 5. Et ad Epheſ. cap 6.* Atque adeò eloquentiſſimus theologus ipſum Chriſtum non dubitat vocare legatum & nuntium Dei. *Quæ legatio*, vt quidam ait, *non minorat filium, ſed declarat; quia non mittentis poteſtas hic intelligitur, ſed miſſi charitas.* *Lactant. lib. 4. cap. 25. in princ. & ca. 29. in fi.* Michaël Syngellus vocat Petrum & Paulum † θεοκήρυκας. Pro vita quam diligitis, legatione apud vos fungimur, inquit Eucherius. *Petr. Chryſol. ſerm. 84.* *Mich. Syng. in encom. Dionyſ. Areopag.* *Eucher. in ep. par.* Itaque mihi quidem non venit in mentem quid illi ſomnient qui præcipti confidentia negant tales fuiſſe legationes; eoſque qui eas obierunt, legatos dici indignantur. Num ipſi magis propriè, aut ſignificantiùs loquuntur quàm tot eccleſiæ lumina, ipſique adeo Apoſtoli, Chriſtiani dogmatis columina? Quis magis ſolennes miſſus, quis certiora mandata edere poteſt, quàm illa organa Spiritus ſancti? Tamen non deeſt hic quoque qui audet

† diuinos præcones.

—— argutos inter ſtrepere anſer olores. *Virgil. ecl. 9.*

Antiquitas nullo tincta lumine cæleſti commenta eſt illum Deum,

Alatis qui cruribus æthera carpit,

ideoque aliorum cælicolarum nuntium & renuntium, cuius ſigno ea gratia inditũ caduceum. Quali ornatu amens dicam, an temulentus Alexander ficto numini aut inluſit, aut ſeſe æquauit. De hoc ferme gênere erant illæ poteſtates ſpatio aëris interſitæ, quibus nomen eſt dæmonibus, quæ dicebantur *Athen. li. 12. Plato in cõu. 202. E. & in Epin. 984. D. Philo π. ϛυτ. 146.*

commeare à ſuperis ad inferos, & ab his ad illos, eædemque vehere fideliter hinc iuſſa, hinc preces, hinc petitiones, illhinc ſuppetias; hinc vota ferre, inde munera referre. Piget memorare tot numinum interpretes de rebus diuinis balbè loquentes neſcio quid, qualis fuit Pythia illa Delphica, & is

August. de ciu. Dei li. 8. cap. 24.

Cui peculum fibræ, cæli cui ſydera parent.

Virgil. 10. Æneid.

Et ille ſeu verus, ſeu fictus Orpheus, augures, illisque viliores vicani aruſpices, de circo aſtrologi, Iſiaci coniectores, interpretes ſomniûm, & illa

Interpres legum Solimarum, & magna ſacerdos
Arboris, ac ſummi fida internuntia cæli.

Iuuenal. Sat. 6.

In hanc ſanè cohortem audacter admitti poteſt ſaga Marij & Sibyllæ. Has è veſtigio conſequitur ingens agmen mulierum fatidicarum ſimul & phanaticarum, quas noſtri diuinas dixerunt. Cæterùm res gradatim ſicut à fictis Dijs ad homines, ſic ab hominibus deuoluta eſt ad feras. Hinc

Petr. Arb. Satyr.

Iouis altiſoni pennata ſatelles.

Cic. lib. 1. de diuin.

De qua Callimachus,

† Θῆκαο δ᾽ οἰωνὸν μέγ᾽ ὑπείροχον ἀγγελιώτην
Σῶν τεράων.

Callimach. hym. 3.

† Poſuiſti verò auem præſtantiſſimam tuorum auguriorum.

Indidem ſunt aliæ alites, & oſcines, vt paſſeres Homerici, pulli, corui Apollinis, columbæ Ægyptiæ & Acarnanûm; illa apud Matienam vaticinari ſolita, priſcorum Aboriginum auis illa † θεόπεμπτος, læuus picus, vaga raucaque cornix, cerua Sertorij, hoſtiæ conſultoriæ, exta, oſtenta, aliaque ariolantia, & fata fantia; poſtremò quicquid illud eſt vnde ſuperſtitio ſiue religio ſagit diuinam voluntatem, ſibique permittit

† à Deo miſſa.

Indicia occulta diuûm percurrere mentis.

Lucret. li. 6.

CAP.

CAPVT XI.

Inter quos propriè legationes commeent.

DIxi legatum peregre mitti. Hunc miſſum Græci vocabant ἐξεσίας† ἀπὸ τοῦ τὸν πρεσβεύοντά που ἐξιέναι. Certè Plato vbi inſtituit quatuor ſpecies peregrinorum, primo loco ponit mercatores, altero Muſarum cultores, tertio legatos, quarto morum exploratores. Ergo & propriè & ſignificanter priſci Græci legationem vocarunt † ἔκδημον πολιτείαν, ac proinde laborioſam, negotioſam, periculis obnoxiam, cuius effectus ſuo loco memorabuntur. Ire autem peregre legatio dicitur ſi commeat inter eos, qui quòd ſummum rerum faſtigium inſident, pares & cenſentur & dicuntur. Neque enim æſtimo hanc parilitatem magnitudine opum, modóue finium, ſed forma, & ſorte ſiue conditione regnandi. regnandi, inquam, non è præſcripto cuiuſquam, ſed ſuis auſpicijs, proprioque nutu. Nempe hi illi ſunt quibus adeſt illa quæ Platoni eſt αὐτεπιτακτική, dignitas quæ ab ſe, & per ſe imperat; quæque nullo cuiuſquam, ſed ſuo arbitratu arma ſumit ponitque, leges condit & abrogat, vt infra dico. Hæc noſtris proprio vocabulo eſt *Souueraineté*, quaſi dicas ius & poteſtas ſupremi loci. Certè qui ad id faſtigij euecti ſunt quamuis opibus diſpares, fortuna, loco, excellentia pares aſſeuero. Ea re Alexander, etſi multò anguſtiùs regnabat quàm Darius, tamen cùm animo maxima agitaret, atque adeò & rex & victor eſſet, impatientiſſimè tulit à Perſa ſibi inſcriptas literas tanquam non eiuſdem faſtigij viro ad hunc modum, *Darius rex Alexandro, non addito, Regi*. Ergo hanc ſuperbiam ipſe nihilo

† eo quod qui legabatur quopiá exibat.

† peregriná Reipub. adminiſtrationem:

Etymol. ἐξεσίαν.

Plato lib. 12. de leg. ti. 3. 953.

Pollux li. 4. cap. 3. 142.

Plato in polit. 260. E.

Q. Curt. lib. 4.

minori faſtu vſus eſt. Reſcripſit enim, *Rex Alexander Dario.* Et hæc, *Cùm mihi ſcribes, memento non ſolùm regi te, ſed etiam tuo ſcribere.* Nimirum, Darius barbarica inſolentia eas literas inſcripſerat, Perſis vſque eò familiari, vt eam vel ipſos contra Romanos imperatores exercere interdum non erubuerint. Specimen huius tantæ impudentiæ hæc ſunt, Regi Romanorum Chaganus magnus dominus, ſeptem gentium dominus, dominus † climatum vniuerſi. Similis tumoris pariſquè vęcordiæ eſt illa Choſrois † προσγραφὴ, qua is tantum ſibi tribuit, quantum imperatoriæ magnitudini hinc ſe detrahere putat. Diuinus, bonus, ipſa patriæ tranquillitas, ſummus principum Choſroes, rex regum, felix, pius, beneficus, cui Dij præter fortunam magnum quoque regnum dederunt, gigas gigantum, qui eſt formatus ad imaginem Deorum, Iuſtiniano Cæſari fratri noſtro. Quantò maiori cum dignitate Romanus Imperator, qui ne tumore & faſtu cum illa tanta barbarie certaret, ijs literis quibus cum Perſa pacem firmat, nullum præſcripſit culminis imperatorij titulum. Certè hoc ipſo auguſtior & maior, quod modeſta taciturnitate ſuam magnitudinem commendare, quàm nimia prædicatione deuenuſtare maluit. Ipſe quidem quantum eſt regnantium ac dominorum, quantumque eſt earum ciuitatium quæ aliena iuſſa non morantur, pari ſorte compono. Inter hoſce tantùm legationes propriè commeare dico. Nam ſtatim vt extra fines illorum, à quibus mittuntur, manent, dicuntur eſſe peregre. Sed quinam hodierno die verè tales dici poſſint præter reges & gentes liberas, non eſt dictu pronum. Quippe aduerto in Europa magnam cohortem illorum qui ita dicunt, ſe ſummam fortunam adeptos. Cui rei documento eſſe volunt poteſtatem extinguendi crimina, quod idem dicitur ius vitæ & necis, tum promulgandi

Theophil. in legat. gent. ad Rom. cap. 12. 70.

Menand. ecl. legat. 114.

† ſiue regionum.

† inſcriptio.

edicta, condendarum legum, creandi magiſtratus, cogendi generale concilium, imperandi tributa, cudendi pecuniam, concedendi ius natalium. Hinc audacter vſurpant quicquid monſtrando rerum faſtigio inuentum. Huius generis ſunt floreſcentia diademata, magnificentia tituli in quo tument hæc verba, *Dei gratia*, poſtremò cultus regius. Sed me neque caſſa ſpecies, neque inania capiunt. Quin, quo magis rem introſpicio, hoc mihi maior cunctatio. Video iſtos, ne illis quidem exceptis quibus dati ſunt vicariatus imperij, primis in ſpatijs ſui dominatus propemodum vt beneficiarios, adigi in verba ſummorum nominum; vetere ac præſcripta formula ſe ſuaque omnia illorum poteſtatis facere; ius quo ſe ipſi, populuſque teneat, imperium quod venerentur, iuſſa quæ ſuſpiciant, prærogatiuas ſedendi in publicis conuentibus, leges loci quibus obtemperent, accipere, & quidem genubus minores. His auſpiciis dominatum ingredi. Horum ſingula ſatis conſtat fidem facere, ſummum imperium eſſe non penes eum cui data ſunt, ſed vtique penes datorem illumque quiſquis eſt, cuius conceſſu vſurpantur. Neque enim illa tantum addunt accipientibus quantum detrahunt hæc, maiori adgeniculari, potentiori ſacramentum dicere, adigi in verba ſolis clientibus vſurpata, alienis cultibus tributarium eſſe, denique non in ſua manu bellum, non pacem habere. Hæ, ſcilicet, ſunt notæ hinc interminæ, hinc finitæ, hinc datæ, hinc acceptæ poteſtatis. Poſtremò hoc eſt regnari veriùs quàm regnare. Vt enim quidam veriſſimè dixit, *Regna ſuperſtat qui regnare iubet*. Tales ergo dominantes, eoſque adeò omnes à quibus exprimitur confeſſio, ipſos dedere ſe ſuaque omnia in ditionem atque arbitratum alienum, ipſe quidem ferè aſſimilo ijs quos Roma, dum fuit Martia & domina gentium, aut locauit in regio faſtigio, aut receptos in cliente- *Sidon. Apollin. in paneg.*

lam, ac reges diſertim nominatos donauit inſignibus regijs. Ea erat aurea corona, aurea patera, ſella curulis, ſcipio eburneus, toga picta, ſagulum purpureum, tunica palmata, latus clauus, equi phalerati, arma equeſtria, ſupellex militaris qualis Conſulibus præberi ſolita. Huius fermè generis fuerunt illa ſequentis ætatis, thronus, ſceptrum, gladius, veſtes regiæ, diademata, aliaque regnorum inſignia. Horum acceptor ſatis ſciri volebat ſe ſuum datorem bonum ſibi propitiumque inuocare. Hiſque muneribus demonſtrabatur hinc ſi non dominium, at tutela dominio imminens, quam vulgus protectionem vocat; Illinc ſi non ſeruitium, at obſequium ſeruitio proximum. Res tota inſtar habebat hodiernæ inueſtituræ, vt docent hæc Halicarnaſſæi verba, Quemadmodum & nunc Romani ſceptra & diademata dant regibus, firmantes ipſis poteſtates. Hac lege intraque hos cancellos regnatum eſt à Maſſaniſſa, Eumene, Attalo, Antiochis, Tiridate, Ptolemæo, cui à profugo Senatu, cùm is eſſet in Epeiro,

Liu. lib. 10.

Dionyſ. Halicarn. lib. 3.

Cingere Pellæo preſſos diademate crines
Permiſſum.

Lucan. li. 5.

Ipſe Pompeius filium Ariobarzanis, cuius in caput pater deſcendens è curuli ſella in qua cum Pompeio, illius iuſſu ſederat, diadema tranſtulerat, filium & regem appellauit, & diadema ſumere iuſſit, & in curuli ſella conſidere coëgit.

Val. Max. lib. 5. cap. 7.

His addo Herodem cui Auguſtus diadema impoſuit, regemque totius Iudææ promulgauit, & Agrippam regem itidem Iudæorũ, cui Tiberius ſua manu caput cuinxit inſigni regio. Hac mente Zati regi Lazorum Iuſtinianus priſca Romana conſuetudine dedit auream coronam ſtellatam lapillis, veſtem talarem, calceos rubros, mitram auro inſignem, tum lapillorum ſplendoribus igneſcentem, chlamydem candidam auro intertextam, tum fimbrijs baccatis. Huc addo quod ſicuti talium inſignium datione firmatur, ita ademptione adimitur & abrogatur impe-

Niceph. lib. 1. cap. 6. & 9.
Paterc. lib. 2.
Agath. li. 3.

rium. Quod ad exemplum Conſtantius Britannioni detracta purpura,& capiti decuſſo diademate, quieſcere eum & priuatum eſſe iuſſit. Hac ergo traho eos qui hodie ſunt maiores Duces, iamdiu inuerſa vi nominis vt functionis;item principes,paſſim vulgata appellatione maieſtatis Auguſtæ,tum Marchiones,Comites, & ſi qua alia dominantium vocabula Gottica vis peperit. Præter eos quidem populos qui libertatis nomen vſurpant,cuius bona ignorant. Hinc excipio reges,& liberas gentes, eas quæ aut proprijs tantùm,aut proprijs ſimul & ſocialibus viribus nituntur. Itaque ſi quis rem recta via reputat, penes illos tantùm ſummum imperium eſſe fatebitur, penes quos manet arbitrium quid dent, quid adimant; qui nullius rei alios iudices patiuntur quàm ſeipſos. Et horum quidem in Europa breuiſſima eſt enumeratio. Hæc imperantium inæqualitas vt æſtimari poſſet aliqua opus habuit lucis aſpergine, ne quis hanc vocem peregre aliouorſum atque ego ſentio interpretetur. Nam vulgari opinioni haudquaquam diffidens, equidem legationes tunc peregre proficiſci dico, cùm ab vna ditione, quamlibet talium quales deſcripſi, mittuntur ad aliam ſimilem , propriis tamen finibus circumſcriptam; quando ille qualiſcunque ſummatus eſt pro ſummo apice rerũ. Hoc ſenſit Amata,

Niceph.lib. 9.cap.32. *Tacit.lib. 13. Annal. 252.*

Omnem equidem ſceptris terram quæ libera noſtris
Diſſidet, externam reor,& ſic dicere diuos.

Virgil.lib. 7.Æneid.

Hinc liquet quinam ſint ij ad quos mittuntur legationes. Qua de re infra quoque aliquid dico. Interim moneo , ne principe ſuperſtite , ad alium legatio decernatur quàm ad ipſum. In quo erratum eſt ab Alarico, qui legatos miſit ad Stiliconem quaſi ad principem, cùm mitti debuerint ad Honorium.

Zoſim.lib.5.

CAPVT XII.

A ſubitariis dominis, atque adeò ab ipſis latronibus quandoque legationes miſſæ ad legitimè imperantes.

HAnc vocem peregrè non ſolùm porrigo ad regiones, ditioneſque exteras & longinquas, verùm etiam ad qualemcunque cœtum hominum qui illius ductu coaluit, cui eſt in ſe vno præſidium, ac proinde vbi nouum naſcitur, germinatque imperium. Quid hoc ſit, paucis dabo. Pauciſſima regna, dominatusve memorari poſſunt quorum initijs libera gentium ſuffragia cauſam dederint, quale fuit Deiocis primi regnatoris Medorum. Plura imperia vis enixa eſt quàm electio. Plura fundauit felix temeritas vnius, quàm incoactus conſenſus plurium. Nimirum, in medio magnitudo eſt, pretium huic, ſiue armata audacia eſt, ſiue improba ſpes, ſiue impetus generoſus ſubnixus virtute feruida & accenſa. Quicquid eſt, ſub quouis ſydere eſt, in quolibet pectore naſcitur, inſperatam occaſionem arripit, obuijs rebus nititur & erigitur. Et verò virtutis & fortunæ diſiici conſpiratio quî poteſt, quarum ſingularum conatus ſunt inſuperabiles? Illa obſcuris dat claritudinem, ſi digni ſunt; hæc etiam indignis. Neutra quærit quibus parentibus ortus ſit Spartacus, quæ ſit proſapia Molonis, Mathonis, Spendij, Viriati, Cilicis piratæ, Tacfarinatis, Eugenij, Tamburlani, Caſtrucij Caſtracanis, & ſimilium. Inſperatò producuntur in ſcenam rerum; dumque ſuam ſpem ſecant, florentiſſima quæque laceſſunt, validiſſima labefactant, firmiſſima concutiunt. Vt nihil ſit infra globum lu-

næ quod non ſubito ludibrio conflictari poſſit.

Vſqueadeò res humanas vis abdita quædam *Lucret. lib. 5.*
Obterit, & pulchros faſceis, ſæuaſque ſecureis
Proculcare, ac ludibrio ſibi habere videtur.

Sæpe relicto aratro ruſtica manus tractauit ſceptrum. Sæpe fortitudo nata ſub culmo perrupit atria. Quippe hæc eſt natura rerum, vt, dum vetera putreſcunt, noua concreſcant; Illa ſua moles obruat, hæc ſua paruitas erigat, felicitas roboret. Hic eſt ille volubilis orbis quo circumagimur. Hos ludos inconſtantia pertinaciter ludit. In priuatis quidem rebus

propriæ telluris herum natura neque illum *Horat. lib. 2. ſerm. ſat. 2.*
Nec me, nec quemquam ſtatuit. Nos expulit ille,
Illum aut nequities, aut vafri inſcitia iuris,
Poſtremùm expellet certè viuacior hæres.

Ergo ſcitè admodum Cicero ait, Prædiorum nullam eſſe gentem. Quid multa? mortales prima adeptos fallax fortuna ſæpe ignominiæ, ſæpe calamitati reſeruat. Virgæ ac tintinnabulum, additamenta currus triumphalis, quid aliud fuiſſe cenſes quàm monitus refluæ infelicitatis? *Hominem ſe eſſe*, Tertullianus inquit, *etiam triumphans in illo ſublimiſsimo curru admonetur. Suggeritur enim ei à tergo, Reſpice poſt te, hominem memento te.* Sic ſors trudit ſortem eorum quæ videntur ſumma. Aſſyrios, videlicet, Medi & Parthi euerterunt; hoſce Alexander; Alexandrum perfidia; Roma omnia imperia; Romam omnes gentes; *Cic. in. orat. pro Corn. Bal.* *Tertul. Apolog.*

Et magnum infelix nil niſi nomen habet.

Hi ſunt curſus & recurſus. Itaque prima ferè fundamenta imperiorum ſunt turbæ & factiones. Hæ ſi vſque ad bellum eualuerunt, certè hinc turbatori multum claritudinis. Ne te morer, Qui dum opprimi potuit populator fuit & latro, ſtatim vt circumiectos oppreſſit, audit tyrannus. Huic

ſi manum fortuna porrigere pergit, ſi diutiùs cum illo ſtat, à præſentibus dicitur princeps, in quem omnia ſponte cedunt, A' poſteritate, propter viri admirationem, conditor & formator imperij, proximum numinibus nomen. Iſti ergo ſtatim vt ſe ſubduxerunt veteri imperio, iamque rem gerunt ſuis auſpiciis, nihil dubitant mittere legatos ad legitimè imperantes; A' quibus haſce legationes vix vnquam reiectas legimus; quamuis talium conditio, & iniuriæ hinc profectæ, videantur eſſe infra dignitatem publicæ iracundiæ. Sed certè omnis potentia à Deo eſt, inquit Apoſtolus. Neque enim tantùm legitimam ſignat Paulus, ſed & quamlibet quæ in locum legitimæ ſucceſſit permiſſu Dei. Et verò ab ijs quos paulò ante nominaui, itemque ad ſimilis audaciæ homines legationes conſtat eſſe miſſas, vtraſque vtrinque admiſſas, vt ab Alexandro magno illam quam ad eum miſit validiſſima latronum manus. *Cùm Alexander*, inquit Q. Curtius, *obſediſſet viginti millia latronum, inter promptiſſimos dimicans ſagitta ictus eſt, quæ in medio crure fixa reliquerat ſpiculum. Illum quidem mæſti & attoniti Macedones in caſtra referebant. Sed nec barbaros fefellit ſubductus ex acie rex. Itaque poſtero die miſerunt legatos ad regem, quos ille protinus iuſſit admitti; ſolutiſque faſcijs magnitudinem vulneris diſsimulans crus barbaris oſtendit. Illi iuſsi conſidere, affirmant, non Macedonas quàm ipſos fuiſſe triſtiores cognito vulnere ipſius.* Hìc ego, vt quod ſentio liberè eloquar, miror quid ita Q. Curtius ijs nomen indiderit latronibus, quorum numerus tantus eſſet, vt iuſti exercitus non ſpeciem tantùm ſed & vim præberet; quorumque legati ab tanto rege ſunt conſidere iuſſi. Vt vt eſt, diſertim Cæſar ait, fugitiuis è ſaltu Pyrenæo, & prædonibus licuiſſe legationes mittere. Neque ideo non æquum eſt, eos qui compoſita turbant, ex vinculis cauſam dicere ſi res eò perduci poteſt. Legationi Aſculanorum, aliorumque rebellium reſponſum eſt, ſi factorum pœniteat, liciturum ipſis

Paul. ad Rom. cap. 15.

Q. Curt. lib. 7. 110.

Cæſ. lib. 3. bel. ciu.

ipſis mittere legatos. Si minùs, minimè. *Ideo cum paulo ante bellum ciuile dicerentur à nonnullis ſententiæ, vt legati ad Cæſarem mitterentur, qui voluntatem Senatus ei proponant, omnibus his reſiſtitur.* Non eadem conſtantia poſtea ſeruata, cùm ad M. Antonium obſidentem Mutinam decreta legatio eſt, nequicquam contranitente M. Tullio.

Ceſ.lib.1. de bel. ciu.

Cic. Philipp. 5.

CAPVT XIII.

Cæteros memoro inter quos legationes commeant. Libera legatio. Votiua.

RES poſtulat vt cæteros memorem inter quos legationes commeant. Itaque Repub. & oculatiſſima Reipub. parte, hoc eſt Senatu diſcordi, à primoribus mittuntur legationes ad homines eiuſdem loci, vt ab Syracuſanis ad Andronodorum, à C. Manlio vno ex coniuratis Catilinæ ad Q. Martium regem, à Bruto & Caſſio ad Antonium & Lepidum. Hic audio iſtos, qui tales quoque negant eſſe legatos, & hac appellatione indignos. Ergo Salluſtio mens aut manus vacillauit cum hæc ſcripſit, *Dum hæc Romæ aguntur, C. Manlius ex ſuo numero legatos ad Q. Martium Regem mittit cum mandatis huiuſcemodi.* Neque ſolùm ab ſingulis, ſed ab vna parte Reipub. ad aliã, vt à plebe quę ſeceſſerat in Auẽtinũ, ad patres, à multitudine catholica, & ex omnibus fermè prouincijs ad Liberiũ vrbis Romæ, & ad Hilarium Pictauorũ epiſcopum cùm eſſent exules. Rectè Nero aboleuit ambitioſas illas ſæpe eblãditas, ſæpe emptas, ſæpiùs extortas, quæ à prouincijs mittebãtur ad Senatũ in hoc vt agerẽt apud eũ grates Procõſulibus, & Proprætoribus, quãlibet prouinciarum voraginibus, nempe lingua laudes, animis odia, voto imprecationem geſtantes. Prouinciales & municipales mittuntur ad regnantes. De iſtis cùm

Liu. lib. 14.
Salluſt. Catil.

Sen. Sulpit. ſac. hiſt. lib. 2.

Tacit. lib. 15.

agam idoneis locis, plura dicere ſuperſedeo, niſi hoc, *Ne ab vniuerſis quidem Curialibus poſſe mitti legationem, niſi priùs intimetur earum præfecto, iſque ſuo examine rem omnem perpenderit.* Id quod Honorij & Theodoſij reſcripto cautum eſt. Certè prouincialium non maior habetur ratio quàm earum quæ à ſubiectis mittuntur ad principem, aut ad Senatum. *Quarundam coloniarum legatos*, inquit Liuius, *recuſantes imperata facere Conſules ex S.C. Romæ manere iubent*, id eſt, ante veniam impetratam vrbe non excedere. Municipalibus & prouincialibus annecto illas quæ ab aliquo legitimo cœtu aut corpore deſtinantur ad principem. Huius generis fuit illa quæ ad Cæſarem Auguſtum, cùm is eſſet Corinthi, miſſa fuit à piſcatoribus, vt leuarentur grauitate cuiuſdam tributi. Drachmas enim centum & quadraginta ab ſe exigi firmabant, è quibus vix poſſent pendere centenas. Ab Senatu quoque vt olim ab Synodis, frequentiſſimè legatio decernitur ad principem. De hoc genere fuit illa quæ ad Seuerum detulit congeriem honorumne an adulationum? Iuſſa quoque principis, ne quid eorum venerationi detrahatur, mittuntur ad Senatum, maioreſque magiſtratus per honoratiſſimum quemque. Talis fuit inſpectrix illa legatio Senatus miſſa ad Scipionem, cùm is eſſet in Sicilia. Triginta legati Carthaginenſium miſſi fuerunt ad Amilcarem, qui cogerent eum, cæteroſque duces, poſitis ſimultatibus, vnanimes rem gerere. Ad hanc prope formam Dominicus & Maximinus ab Iuſtiniano legationẽ ſuſceperunt ad Beliſariũ. His adnecto legationẽ eam, quæ veluti comes addi ſolita fuit Proconſulibus, aut Proprætoribꝰ, adiutrix, nimirum, regendis exercitibus & prouincijs adminiſtrãdis. Tales legati ſequutis tẽporibus fuerũt iudices & magiſtratus, vt liquet è Vegetio, & è reſcripto Cõſtantini. *Legati*, inquit, *nõ ſolùm ciuiles, ſed etiam criminales cauſas audiant.* In ſuperiorum legationum comitatu ſunt omnes illæ, quæ diuerſis

L. fin. C. de leg.

Liu. lib. 29. 551.

Strabo lib. 10. 467.

Herodian. lib. 2.

Polyb. lib. 1.

Procop. lib. 2. de. Goth.

Veget. lib. 2. cap. 9.

de cauſis à principe mittuntur ad ſubiectos. Noſtri commiſſiones vocant. Huius generis eſt illa qua functus eſt Cornelius Prætor, qui Setiam miſſus fuit cum quinque legatis ad quærendam & opprimendam coniurationem. Talibus legatis datos fuiſſe alios legatos diſcimus è Strabone in hoc loco, In prouinciam Cæſaris, inquit, mittuntur legati duo, Prætorius & Conſularis. Prætorius ſecum habet legatum qui ius dicit. Et hinc quoque diſcimus legationẽ interdũ eſſe ſimilem ſimplici alicui curationi ſerij alioquin negotij; cuiuſmodi fuit illa quam Agamemnon miſit ad deligendos nautas. Cui annumerari poſſunt illæ, quas Ariſtide authore, Rhodij miſſuri erant ad ciuitates in hoc ne ipſas misereat Rhodiorum. Nec enim vobis, inquit Ariſtides, patrium eſt, cùm ſitis Rhodij, lugeri magis quàm tales eſſe quos alij imitari neceſſe habeant. Hinc prodijt rarus & elegans ſignificatus huius vocis legatio. Nam dare alicui legationem ad aliquam rem, eſt ei dare in mandatis vt eam rem pro ſua fide curet, vt in hoc loco Seueri Sulpitij; *Hunc ego* (librum de vita Martini) *in eremo à quodam ſene vidi legi. Cui cùm me familiarem tuum eſſe dixiſſem, & ab illo, & à multis fratribus hæc mihi iniuncta legatio eſt, vt ſi vnquam terras iſtas te incolumi attigiſſem, ea te ſupplere compellerem quæ in illo tuo libro de virtutibus beati viri profeſſus es præteriiſſe.* Fuit & genus legationis cui nomen Liberæ. Hanc impetrabant illi qui priuati priuatum ad negotium exibant, atque, vt ait Cicero, exigendi cauſa. Ea que re non publico ſumptu alebãtur iſti legati, ſed ſuo. Neque item Reipub. cauſa abeſſe cenſebãtur. Libera ideo dicta, quòd cui data erat, nemo fuit mõſtratus quẽ adiret; non ei præſcriptus modus eundi, non loquendi, agendi, manendi, redeundi. Ac tempus quidem quinquennij quod M. Tullius vocat infinitum, ipſe fecit annuum. Quinquennale priùs fuiſſe, ipſe docet his verbis. *Et habent opinor, liberæ legationes diffinitum tempus lege Iulia; nec*

L. vnica C. de off. Proconſ. & leg.
Liu. lib. 22.
Strabo lib. 3. 158.
Ariſtid. poſt. 7. 76.
Seuer. Sulpit. in dial. 273.
Cic. in orat. pro L. Flacco.
L. Reipublicæ, & l. nõ vere ff. ex qui. can. ma.
Cic. de leg. lib. 3.
Cic. ad. Att. lib. 15. ep. 6. 475.

facilè addi poteſt. Idque adeò genus legationis, vt cùm velis introire, exire liceat. Quod nunc mihi additum eſt. Bella eſt autem huius iuris quinquennij licentia. Quid igitur, inquis, impetrabat effigiatus hic legatus? An ſolum nomen? Minimè, ſed ſecuritatem legationibus indiuiduam. Qui mos verè fuit partus magnitudinis Romanæ; vt, ſcilicet, Senator qui res ſuas inuiſeret, ſemper aſpiceretur circumdatus inſignijs ſanctitatis & maieſtatis. Talem legationem ipſe Cicero videtur

Cic. ad Att. lib. 2. ep. 4. expetere his verbis, *Cloſtius ergo, vt ais, ad Tigranem? Velim Syrpiæ conditione. Sed facilè patior. Accommodatius enim nobis eſt ad liberam legationem tempus illud, cùm & Quintus noſter iam, vt ſperamus, in otio conſederit, & iſte ſacerdos Bonæ Deæ cuiuſmodi futurus ſit, ſciri poſſit.* In epiſtolis quoque familiaribus idem Cicero ait, C.

Cic. ep. fam. lib. 12. ep. 375 Anitium negotiorum ſuorum cauſa legatum eſſe in Africam legatione libera. Liberam quoque legationem, voti cauſa dari, ex eodem Cicerone notandum.

Cic. ad Att. lib. 2. ep. 7. 68. *A Cæſare,* inquit, *valde liberaliter inuitor in legationem illam ſibi vt ſim legatus. Atque etiam libera legatio voti cauſa datur.* Voti cauſa, id eſt, ad adeunda fana & ſacra

Cic. ad Att. lib. 4. ep. 2. loca. *Ego me à Pompeio legari ita ſum paſſus, vt nulla re impedirer quin, ſi vellem, mihi eſſet integrum; aut ſi comitia Cenſorum proximi Conſules haberent, petere poſſe, aut votiuam legationem ſuſcipere prope omnium fanorum ac ſacrorum locorum.* Hic animaduertendum, eum, qui rerum ſuarum cauſa liberam legationem accepiſſet, votiua quoque vti potuiſſe. Id quod ipſe Cicero alibi

Cic. ad Att. lib. 15. ep. 5. 412. diſertim affirmat. *Scripſi ad Antonium de legatione; ne ſi ad Dolabellam ſolum ſcripſiſſem, iracundus homo commoueretur. Quod autem aditus ad eum difficilior eſſe dicitur, ſcripſi ad Eutrapelum, vt is ei meas literas redderet, legatione mihi opus eſſe. Honeſtior eſt votiua. Sed licet vti vtraque.* De hac legatione alibi ſcribit his verbis, *Dolabella*

Cic. ad Att. lib. 15. ep. 6. 475. *me ſibi legauit ad IIII. Non. Apr. Id mihi heri veſperi nũtiatũ eſt. Votiua tibi quidẽ placebat. Etenim erat abſurdũ, quæ, ſi ſtetiſſet Reſpub. vouiſſẽ, ea me, euerſa illa, vota diſſo-*

laere. Ipſe Atticus liberam legationem putat conuenire Ciceroni ad ſcribendā hiſtoriam. In hos tamen legatos ſæpiuſcule atque adeò acerbe inuehitur ipſe Cicero, vbi firmat nihil eſſe turpius quàm quemquam legari niſi Reipub. cauſa. *Legatos noſtros homines autoritatie tenui, qui rerum priuatarum cauſa legationes obeunt, tamen exteræ nationes ferre vix poſſunt.* Et alibi, *Hi enim non maximis opibus neque ſumma autoritate præditi, tamen auditis profectò quàm graues eorum aduentus ſocijs veſtris eſſe ſoleant.* Alio item loco eos deprimit ſicut deſtitutos procuratione & mandatis, & ſine vllo Reipub. munere. Meritò id quidem. *Nam rei ſuæ ergo ne quis legatus ſit*, priſca lege cautum eſt. Atque adeò hoc legationum genus hodie abijt in deſuetudinem. Nec ego ſatis mirari poſſum, quid ille ſomniator ſibi voluerit, qui ſcripſit Petrum Ramum ſub ſpecie liberæ legationis ingreſſum eſſe Germaniam. Qui religionis cauſa è Gallia profugus maluit flectere in eam regionem, vbi conſuetudine doctorum hominum ſuique ſimilium ſolari poſſet moleſtias & incommoda ſui ſeceſſus, quàm pergere ad alias gentes. Vt ijs legationes mitti conſtat qui maximis Reipub. muneribus funguntur, ſicuti ſunt maiores magiſtratus, ijque qui præſident prouincijs & exercitibus, ſic ipſis idem ius eſt. M. Liuius & C. Claudius Conſules apud Liuium mittunt tres legatos ad Senatum qui nuntient victoriam partam aduerſus Aſdrubalem. Hoc genus legationum, quæ, ſiue à præfecto conterminæ prouinciæ ad regem finitimum, ſiue ab ipſo rege ad finitimum præfectum mittuntur, puto eas eſſe quæ ſequentibus ſæculis dic æ ſunt paruæ legationes, perinde ac ſi non omnes iuſtæ legationis numeros impleant, ſed ſolùm ex aliqua parte referant legationem. Cuius generis dici poſſunt omnes illæ quæ non commeant inter ſummi faſtigij, culminiſque poteſtates, quaſi non omnimodæ legationes, ſed

Cic. lib. 1. de leg.

Cic. de lege Agr. 120.

Cic. de lege Agrar.

Cic. lib. 3. de leg.

Liu. lib. 17 462.

Menand. ecl. legat. 97.

exſcriptæ & effigiatæ. Ergo tales legationes hinc inde mittuntur ſuper communibus negotijs, ijs, ſcilicet, quæ ad vtramque iuriſdictionem pertinent. Suadeo tamen iſtis præfectis vt hac tanta poteſtate circumſpectè vtantur; ne inde apud principem oriatur aduerſus ipſos grauis aliqua ſuſpicio, ac talia ipſis commercia infeliciter cedant. Id accidit Priſco, cui Imperator ducatum ſiue præfecturam ademit, quòd quina millia captorum barbarorum Chagano per talem legationem petita conceſſerat. Iuſtinus quoque Imperator grauiter ſuccenſit Ioanni præfecto ſuo, quod legationem miſerat ad Suanos, ſpe & re irrita. Certè illi ab ipſo legationem violatam fuiſſe exprobrat. Superſedeo memorare plura talium legationum exempla; vt Megabazi ad Amyntam regem Macedonum, Appij Claudij Prætoris ad Hieronymum filium Hieronis, Scipionum ad Syphacem, Africani ad hunc ipſum Syphacem, Luculli ad Tigranem, Marij ad Bocchum, Cæſaris ad Ariouiſtum & ciuitates Galliæ, Beliſarij ad Choſroem. Enimuero eorum qui à magnis regnatoribus præficiuntur prouincijs, nunquam non ea dignitas fuit, vt quas ipſi legationes deſtinarent, hæ eo loco eſſent ac ſi ab ipſo imperio mitterentur. Quid, quod ſola Romani ſenatoris dignitas, quandoque ſe regum ipſorum maieſtate potiorem duxit? Attende hoc factum Catonis. Ptolemæus rex Ægypti Romæ erat, miſitque Catoni qui prænuntiaret ſibi eſſe in animo illum conuenire; non ſine ſpe fore vt ipſe Cato, vbi hoc reſciuiſſet, venturus eſſet ad ipſum. Qua re cognita Romanus reſpondit, Si rex ad ſe velit venire, ei copiam fieri. Venit Ptolemæus, cui neque Cato obuiam iuit, nec ei aſſurrexit, ſed illum, vt quemlibet è vulgo ſalutauit, & conſidere iuſſit. Frequentes leguntur legationes exercituum ad principem. Huiuſmodi fuit illa ad Theodoſium Mauricij filium, quæ id agebat, vt aut ipſe, aut ſocer Germanus renuntia-

Menand. in ecl. legat. 127.

Plutarch. Cat. Iun. 1423.

Theophyl. hiſtor. lib. 8. 38. & 40.

returimperator. Huius item Mauricij extat illa ad milites ſeditioſos. Legimus quoque Syllam bello ſociali miſiſſe Albinum ad milites. Poſtremò à regnantibus legationes deſtinatæ ſunt ad priuatos, vt à rege Moabitarum ad Balaam prophetam, ab Dauide ad Nabal & Abigail vxorem eius. Præcipuè ad homines doctrina, aliaue dote inclytos, vt ab Arcadibus, Thebanis, Dionyſio tyranno Siciliæ ad Platonem, ab Alexandro ad Xenocratem, ab regibus Ægypti & Macedoniæ ad Menandrum Comicum, ab Dario ad Polydamantem Scotuſſæum vi corporis inſignem, à Mithridate ad Aſclepiadem, ab Senatu ad Tyrrhenum quemdam mathematicum, ab eodem Senatu ad Sibyllam Herithræam, ab Epiſcopis Palæſtinis ad Origenem, à multis ciuitatibus ad Apollonium Tyanæum, ab rege Balace ad celebrem illum ſiue magum, ſiue mathematicum incolam Meſopotamiæ. Poſtremò admirationis cauſa legationes legimus ad exules miſſas fuiſſe. Certè *Publico Rutilio Aſiam petenti omnes prouinciæ illius ciuitates legatos eius ſeceſſum opperientes obuiam miſerunt.* Sed officioſior illa Reipub. Florentinæ data Ioanni Boccacio, illi qui viuo eloquentiæ gurgite exundat, ad Franciſcum Petrarcham. Id ſciendum, nulli fœderatorum licere propriam legationem peregre mittere inconceſſu aliorum. Inter ſe poſſe. Lacedæmoniorum legationi Romam decretæ interceſſerunt Achæi. Quominus eam mitterent ad vrbes Achaiæ, minimè. Victis quoties dantur leges pacis, & interim induciæ, ſæpe imperatur ne quoquam legatos mittant. Si qui ad ipſos venerint, ne eos priùs dimittant, quàm à victore viſi, auditique ſint. Tale fuit imperatum Scipionis poſt deuictum à ſe Annibalem.

Plutarch. Sylla, 832.
Zonar. l. b. 1. reg. cap. 25.
Ælian. var. hiſt. lib. 4. cap. 18.
Val. Max. lib. 4. ca. 3.
Cic. lib. 5. Tuſc.
Pauſan. li. 6.
Plin. lib. 7. cap. 30.
Zonar. in Tarq.
Plin. lib. 7. cap. 37.
Nicephor. lib. 5. ca. 14.
Philoſtr. vita Apol. lib. 4. 42.
Philo de vita Moſ. 437.
Val. Max. lib. 2. cap. 5.
Sanſon. in vita Bocc.
Pauſan. li. 7.
Liu. lib. 20.

CAPVT XIV.

In cuius numinis tutela ſit legatio, & cui Reipub. parti eam adſcribam.

QVòd Mercurius, vt mihi ſupra dictum eſt, audit ſummi numinis nuntius & renuntius, præditus ijs omnibus facultatibus ſine quibus ne intelligi quidem legatio poteſt, non ſanè mirum eſt ſi hoc numen antiquitas vt certaminibus, ita quoque præfecit legationibus. Nimirum, vt ſe totum legatus ad illius normam exploret. Nam quò longiùs abſcedet à præſtantia huius numinis, hoc ſe huic muneri minùs aptum intelligat. Quo propiùs ad eius excellentiam acceſſerit, hoc ſe tantæ curæ idoneiorem ſciat. Mercurius cenſetur fide, pernicitate, diligentia, eloquentia. Itaque quoque legatus ijſdem dotibus cenſeri debet, vt ſuis locis videbimus. Hinc eſt quod legationem dicimus eſſe ſub patrocinio huius Dei. Diſpiciendum & illud, quem Reipub. locum legatio teneat. Ne te, lector, morer, Equidem legatũ colloco in ea Reipub. parte quæ Ariſtoteli eſt octaua. Hunc, ſcilicet, locum philoſophus aſſignat ijs, qui præter magiſtratus publica negotia gerunt. Et verò priſcæ leges ab imperijs & poteſtatibus ſecernunt legationes his verbis, *Imperia, poteſtates, legationes cum ſenatus creuerit, populuſque iuſſerit, ex vrbe exeunto.* Cæterùm reperio, publicarum curarum, ſiue publicæ adminiſtrationis quatuor omnino eſſe genera † ἔνδημον, ὑπερόριον, κληρωτὴν, χειροτονητήν. Et domi quidem legatus nullam habet adminiſtrationem. Sorte vix vnquam, vt ſupra demonſtratum eſt, eligitur; ac ne ſuffragijs quidem niſi in libera Repub. Reſtat ergo vt legatio ſit, † ὑπερόριος, ſiue ἔκδημος πολιτεία. Hoc ipſum docent effectus legationis,

Ariſtid. in Romam. 84.

Ariſtot. polit. lib. 4. cap. 5.

Cic. lib. 3. de leg.

Æſchin. in Timarch. 173.

† quæ domi exercetur, quæ peregre, quæ ſortitione, quæ ſuffragio.

† quæ peregre exercetur.

cuius

cuius omnis vis, omniſque laus conſiſtit in ijs tantùm negotijs quæ intercedunt inter duo pluraue imperia, nullum in ſola ditione illius cuius legatio eſt. Iſti legationis effectus etſi fuſi ſunt per totum hoc noſtrum opus, tamen collecti numerantur à Polluce his ferè verbis; Rem pecuniariam (ſcilicet apud exteros) augere, rem facere, acquirere, poſſidere, fœdera inire, inita ſeruare, & confirmare, hoſtes vexare (non armis, ſed ingenio, arte, eloquio) placare, perterrefacere, perturbare, docere, pacem componere, ad pacta rem deducere, iuſiurandum deferre & præbere, coniunctim cauſam agere, coniunctim cenſere, contendere, contradicere, hortari & præſtare vt ſimul pericula adeantur, communis res propugnetur, ſimul conciones habere quales res poſtulat, laudare, ornare, illuſtrare, vituperare, dedecorare, arguere. His traditis, venio ad perſonam legati eius de quo hîc potiſſimùm agimus. *Pollux li. 4. 141.*

CAPVT XV.

In legato deſidero genus, opes, rerum humanarum peritiam, eloquentiam.

VT legati nomen eſt auguſtum, ſic munus arduum, cuique excipiendo nonniſi dite pectus, ſuſtinendo nonniſi magnus animus par eſt. Equidem illum qui omnes numeros huius curæ feliciter obiturus ſit cenſeo tribus omnino rebus, vt ſit indigena, habeat rem familiarem, virtutem ſingularem. Indigenam dixi, quòd nemo homo niſi impenſe improbus ſibi ſuiſque ſciens nocet. Quin potiùs is in quo bonitatis aliqua vena eſt, ſe ſuaque omnia Reipub. haud ægrè condonat. Nempe charitas patriæ totum ſibi pectus vacuefacit. Neque verò eligit animos degeneres, aut ingenia ſordida, quippe quæ tota manat è puriſſima perennitate amoris diuini.

Non ergo mirum ſi eadem ſemper ingenioſa, ſemper anxia, ſemper excubat.

Ouid epiſt. Her. Leandro. *Quis enim ſecurus amauit?*

Alienigenis multa videntur aliena & leuia, in quibus ipſis indigena ſæpe intelligit quantum momenti lateat, quàm nihil eorum contemni, quàm ſingula diligenter aduerti & excipi debeant. Sollicitæ huius & anxiæ legatorum fidei Q. Curtius egregium exemplum memorat. Cum Alexander legatis Darij his

Q. Curt. lib. 4. 42. 6. verbis reſpondiſſet, *Aut deditionem hodie, aut in craſtinum bellum paret*, legati reſponderunt, *Cùm bellum in animo ſit, facere eum ſimpliciter quòd ſpe pacis non fruſtraretur. Ipſos petere quamprimum dimittantur ad regem. Eum quoque bellum parare debere.* Illud item meritiſſimò metuitur, ne homo exoticus in tanta licentia ſuum decus alienæ lubidini, ſuamque fidem ſuæ auaritiæ gratificetur. Nam legati, arbitris amotis, capita conferunt cum exteris, æmulis, hoſtibus. Ibi animus debilis, vah, quã citò inclinatur. Priſcus eſt morbus.

Polyb. lib. 5. Legatos Athenienſes extra vnum Xenocratem Phi-

Demoſth. orat. περὶ παραπρεσβ. lippus quaſſit. Hoc lubricũ fidei non ſemel Æſchini obijcit Demoſthenes. Deuio hoc tramite Metellus

Salluſt. Iug. tentauit ſalutẽ Iugurthæ. Accedit dignitas Reipub. cuius intereſt hoc ſciri, ſe ciuilis induſtriæ non vſque eò egenam, vt neceſſitate imploret externam, emat que mercenariam. Atque adeò apud ſe reperiri pectora fœcũda ſanctiſſimi boni. Neque tamen ita floccillo externa, vt fidei, vndecunque eſt, verear habere fidem, ac virtuti peregrinæ hoſpite honore interdicam. Vt exotica mala cautè vitari debent, ita virtus peregrina quocunque aduenerit, cupidiſſimè excipitur. Ibi non ſolùm hoſpitalem, ſed & honoratam ſedem inuenit. Hæc eſt Homerica ſapientia,

Homer. Odyſſ. η. 183.

—† μηδέ τι θυμῷ
Τάρβει· θαρσαλέος γὰρ ἀνὴρ ἐν πᾶσιν ἀμείνων
Ἔργοισι τελέθει, εἰ καί ποθεν ἄλλοθεν ἔλθοι.

Cic. in orat. *Hoſtem qui feriet*, inquit Annibal, *mihi erit Carthagi-*

† ne quid animo timeas. fortis enim vir in omnibus potior rebus exiſtit, etiã ſi quãdo aliunde veniat, i. ſit peregrinus.

nienſis Quiſquis erit.cuiatis, id habent omnes leue, & ſemper habuerunt. Itaque & ciues fortiſſimos vndique aſciuerunt, & hominum ignobilium virtutem perſæpe nobilitatis inertiæ prætulerunt. Non inquirimus, inquit Toxaris ille Scytha, vnde ſint viri præclari. Ac ne ijs quidem inuidemus, qui cùm non ſint amici noſtri, tamen præclara facinora fecerũt. Quin eorum facta laudamus, eoſque hinc domeſticos facimus. Certè ipſe Toxaris quamlibet Scytha, &, quomodo priſci loquebantur, cnephoſus, tamen ab ipſis Græcis immortalitate donatus, & inter heroas relatus eſt. Ariſtippo Athenienſi Ptolemæus Lagi filius legationem dedit ad Lyſimachum. Sed quis ciuibus inquilinis doleat dari legationes, quorum capitibus diademata impoſita, manibus ſceptra ſæpe ſunt indita? Nerua Traianum ſibi ſucceſſorem deſtinauit, etſi non Italici germinis hominem. Nempe ſibi putauit inquirendũ eſſe in virtutem, non in patriam. Diepetes Ægyptius primò ab Athenienſibus in ciuitatem ſuſceptus, dein rex eſt factus. Sed talium totæ cohortes memorari poſſunt. Neque ſanè ignota ſunt illa nomina ſtirpis peregrinæ. Erichthæus, Codrus, Melanthus, Apollodorus Cyzicenus, Heraclides Clazomenius, Cypſelus, Numa, Tarquinius, Hormiſdas Perſa, Demaratus. Iſti, ſcilicet, quò ſe receptarant veluti ad latebras, ibi eis hoſpitalis admiratio imperium dedit. Vſque eò verũ eſt, eminentem virtutem non modò non latere, ſed ne vllo quidem alio quàm eminẽtiſſimo loco eſſe poſſe. Secundo loco rem familiarem deſidero in legato. Neq; ideo virtutem ſubijcio fortunæ. Sed ſatis ſcimus auitas opes liberalis educationis fidem facere, partas induſtriæ, modeſtè habitas animi fortitudinem demonſtrare. Ergo ex modo cenſus æſtimatur non quidem animus, ſed ſanè modus patriæ charitatis quæ ingenuis connaſcitur. Hinc eſt, quòd in hominum animis omnino pluris eſt is quem opes honeſtant, quàm cui eſt cum paupertate lucta. Romæ

pro L. Corn. Bal. orat. 36. 149.

Lucian. in Toxari. 594.

Lucian. in Scytha ſiue Hoſp. 344.

Diog. Laert. l.b. 2. in Ariſtip.

Xiphil. Nerua. 228.

Laert. lib. 2. in Ariſt.

Ælian. Var. hiſt. lib. 14. cap. 5.

Straboli. 8.

Zoſim. lib. 3.

Straboli. 8. 364.

Plin. lib. 1. ep. 14.

legibus cautum ſcimus, honores petituri, horum
Plin. lib. 33. cap. 2. cenſus inprimis vtiſpectaretur. *Tiberius edicto conſtituit ne cui ius geſtandi annuli aurei eſſet, niſi cui ingenuo ipſi, patri, auoque paterno ſeſtertia quadringenta cenſus fuiſſent.* Leges & oratori, & imperatori iubent, inquit
Dinarch. contra Demoſth. 101. Dinarchus, ſi fidem à populo haberi ſibi velit, vt liberos ſuſcipiat, & fundum intra limites poſſideat; & omnibus ęquis pignoribus depoſitis, ſic demum populo præeſſe inſtituat. Traianus iuſſit *candidatos*
Plin. lib. 6. ep. 19. *patrimonij tertiam partem conferre in ea quæ ſolo continentur; deforme arbitratus magiſtratibus Italiam eſſe hoſpitium ac ſtabulum non patriam; ipſoſque in vrbe peregrinari, non habitare.* M. Antonius philoſophus ſenato-
Capitol. in M. Ant. Philoſ. res peregrinos quartam partem bonorum in Italia poſſidere voluit. Imitatus, credo, Solonem & Car-
Ariſtot. lib. 2. pol. cap. 9. & 10. thaginenſes, atque adeò T. Quintium Romanum Conſulem Theſſalię Rempub. conſtituentem, à quibus omnibus magiſtratus, iudiceſque lecti ſunt à
Liu. lib. 24. cenſu; vt potentiorem eam partem ciuitatium facerent, cui ſalua tranquillaque omnia magis eſſe expediebat. *Cenſus*, ait Seneca, *ſenatorem ab equite, equitem*
Sen. declam. lib. 2. decl. 1. *à plebe diſcernit.* Non iniuria. Nam ſtudium cuiuſque ſtrenuè ſequitur quà trahit vtilitas. Studio timor it comes, timori diligentia, diligentiæ fides. Contra, euerſione rei familiaris dignitas & fama præceps datur. Hinc ſubit indiligentia, ſecordia, perfidia, torpor, ſtupor. Hinc priſcus mos Roma-
Val. Max. lib. 2. cap. 1. nus *non rogandi ſacramento capite cenſos, quorum nimia inopia cùm ſuſpecta eſſet, his publica arma non committebantur.* Cenſum tamen non accipio indomitum, diuitias non diffluentes, & inuidioſas, ſed ad ſanum modum, eaſque quæ claritudini bonarum artium adiumento ſint; denique quales
Ariſtot. lib. 4. pol. ca. 20. Ariſtoteles in ciuitate maximè probat. Neque enim è ſola opulentia, verùm & ex ei congenita dignitate legatum eligi æquum cenſeo. Quapropter opes cùm dixi, natales quoque ſignaui. Nam

vt diues habet in re quod amittat, ita nobilis in decore quod inquinet. Ne multa; nouitati tantùm antiſtat nobilitas, quantum candidato deſignatus, aut ſpei res. Eſtque fatendum, nobilitatem generis eſſe primum munus diuinæ bonitatis. Vt virtute eminentem homines exiſtimātur elegiſſe, ſic nobilem Deus. Simul me & hominem & imperatorem ſol vidit, inquit Commodus. Quaſi dicat, *Herodian. lib. 1.*

Sum verò æquæua cum maieſtate creatus,
Nullaque priuatæ paſſus contagia ſortis. *Claudian. de 4. Honor. Conſ.*

Nolim tamen hoc ſe nimiùm amplecti eos, in quibus præter hoc nomen nihil eſt additamenti. Neque enim nobilitatem ſoli natales faciunt, ſed virtuti apud hanc locum aſſignant. Virtute, inquam, non genere nobilitas exploratur. Hac vna cote nouantur bona facta maiorum. Ergo ſi legato ad alias dotes hæc quoque generis dignitas accedat, haud dubiè hinc eius virtus redditur commendatior & ſublimior. Certè *Auguſtus quoſdam legatos generis libertini in Orcheſtra conſidere vetuit, nimirum vt homines imi ſubſellij.* Deſpecta vilitate barbaræ legationis Valens voluit mitti ad ſe ex optimatibus idoneos. Tertio loco, vt legatus meus ſit homo factus ad vnguem, eum ego quidem primùm cenſeo probitate, iiſque virtutibus quarum nulli nonniſi in magno pectore locus eſſe poteſt. Sæpe regnantes eius legati qui ſit adprime probus, virtute moti omnia ei ad quæ venerat, conceſſerunt. Virtutem cùm dico abſolutam induſtriam dico, hoc eſt, multis magniſque experimentis adprobatam. Atque hæc quidem nititur vitæ præſidijs, quæ manant non tam à præceptis ſubtilibus, quàm à ſalutaribus. Illa dico quibus vita priuata formatur ad probitatem, publica ad prudentiam, vtraque ad exemplum. Huc itur per tramites ſcientiæ ciuilis quæ eminet inter alias vt domina inter ancillas, quibus ſingulis dedit ſua munia. Hæc item, meo quidem animo, tribus rebus cenſenda eſt, cognitione iu- *Sueton in Aug. Ammian. Marcell. lib.*

ris, peritia hiſtoriarum, eloquentia. Ingenuus fons iuris eſt ratio. Ratio eſt radius diuinitatis quo mens colluſtrata continuò fit ſollers diſcriminatrix fandi & nefandi. Hinc ſalutares leges præſidia gentium. Quibus accedere æquum eſt experientiam quæ eſt formatrix prudentiæ. Experientia cuneata inter anguſtos vitæ terminos quantilla eſt, quantillumve poteſt, ſi non ope hiſtoriæ fruitur liberiori cælo, ſi non reſpicit præterita, vt quoties opus erit, longo proſpectu aduertat futura? Hoc ergo deſidero ab eo cui legatio datur, vt maturè peregrinetur in monimenta gentium, in præterita ſæcula, in res alienas, ſcrutetur ſuas ac domeſticas, hoc eſt illius imperij Reiuepub. cuius eſt. Ne impeditum ſe in diſputatione longa & pugnace non facilè expediat, ſed hîc turpiter vacillet, illic periculosè impingat in ſcopulos. Illum, vt ait quidam, ſitis enecat, qui cùm ſitit tum demum fodit puteum. Legatus debet eſſe præcautor & promus pectori fœcundo, & exuberanti multa cognitione rerum, eaque ſepoſita ad omnem vſum. Neque alius promptè agnoſcet verum, aut multiplici refutatu conuincet falſum. Huic vni nullus hoſtis formidoloſus futurus eſt. Hic ipſus militari confidentia meditabitur cominus & eminus, laceſſendo, petendo, variandis conatibus in ima, in ſumma, in vitalia. Æquis locis vincet, iniquis æqua manu diſcedet. Certè Theodorus medicus quòd erat hiſtoriæ conſultiſſimus, Chagani barbaricam ferociam exemplis contudiſſe dic.tur. Poſtremò, legato volo adeſſe eloquentiam, eamque promptam & profluentem; qua de re aliquid ſupra dixi. Hac deſtitutum legatum, obſecro quid hominis eſſe dicas? Annon eâdem putes dici oratorem, vt priſci loquebantur, † ἄγλωττον; cuiuſmodi eſt Euripidæus ille,

Theophil. de legat. Rom. ad gent. cap. 4. 48.

Plutarch. in polit.

> Τέκτων γὰρ ὢν ἔπραζες οὐ ξυλουργικά.
>
> Λέγειν ἀπείθαρος ὢν ἐπρέσβευσ.

Sic Antiphanes,

† elinguē:

† Fabrum diſſimulas fabrilis callidus artis. Infans rem populi legatus & ardua tractas.

† Quomodo enim eſſe poſſit aut ſit, ô pater, orator mutus?

† Πῶς γὰρ γένοιτ' ἂν ὦ πάτερ,
ῥήτωρ ἄφωνος; *Athen. lib. 10.*

Rideo legatum qui patrono egeat, inquit Hieronymus. *Hieron. epiſt. lib. 1. ep. 16. 23. 6.* Non minùs abſurda ratio illorum eſt, qui in primis Pontificatus, regniue ſpatiis Romam mittuntur ad id, cui nomen obedientia. Hi enim in conſpectu Pontificis ſeſe oſtentant ſicuti æreos aut marmoreos, aut ſicuti ſtipites dolatos, quibus iniectæ veſtes, locato, qui præſtet ipſorum vicem, diſerto, & lingua venditaria. O quàm diſſimiles Cineæ celebris illius legati, qui ſibi ſummæ laudi ducebat, ſi poſſet eſſe imitator Demoſthenis, illius, inquã Demoſthenis qui ſe gloriatur in legationibus nunquã cuiquã coactũ herbam dare. *Appian. πρεσβ. legat. 345. Demoſth. de cor.* *Epaminondæ eloquẽtia*, inquit Æmilius Probus, *eluxit Spartæ. Quò cùm omnium ſociorũ veniſſent legati, corã frequẽtiſſimo legatorum cõuentu ſic Lacedæmoniorum tyrannidem coarguit, vt non minùs illa oratione opes eorũ concuſſerit, quàm Leuctrica pugna.* *Æmil. Prob. Epam. 14.* Neq; tamen vero hebeti prudentiæ ſociari linguam diſerti quamlibet alienam. Hoc exemplo à Pelopida, quòd eſſet infacundior, Epaminondas aſſumptus fuit. Ac legatis Tarentinis & Nolanis in Senatu Neapolitano dicuntur affuiſſe aduocati † *Συναγορεύοντες αὐτῶν.* *Halicar. in excerpt.* Lyſander homo tam acer, tamque ſtrenuus in incœpto maximi momenti vſus eſt oratione ſcripta ab Cleone. *Plutarch. Lyſ. 818.* Denique ab legato deſidero vt habeat illud neſcio quid, † ἐντρεχὲς καὶ πειστικὸν vt ait Polybius. *Polyb ecl. legat. 164.* Magnus ille Plutarchus ait, eam legationem quæ deſtinatur ad Imperatorem opus habere † ἀνδρὸς διαπύρου καὶ θάρσος ἅμα καὶ νοῦν ἔχοντος. *Plutarch. πολ. παραγ. 1440.* E' ſuperioribus conficitur, præter bona corporis & fortunæ illa quæ ſupra memoraui, ab legato primùm deſiderari probitatem. Quid miramur, inquit Æſchines, publicè nihil ritè geri, cùm iſtiuſmodi oratorum nomina plebiſcitis inſerantur? cùm eum qui domi turpiter vixit, legatum extra vrbem mittamus, eique de rebus maximis fidem habeamus? *Æſchin. in Timarch. 196.* Diſcimus quoque probitati æquum eſſe comitem ire

† Patrocinãtes ipſis.

† cordatum & perſuadens.

† feruido & confidentiam ſimul & mentem habente.

multiplicem iuris, multiplicem rerum humanarum cognitionem. Haſque dotes eloquendi facultate cumulari oportere, quæ ipſa multo animi robore ſit ſubnixa.

CAPVT XVI.

Externa deſidero in legato.

INteriores & proprias legatorum dotes enumeraui; ſuper quas vt non ſcrupuloſè deſidero externa & fortuita, ita cui hæc accedunt, huius laudem intendi fateor. Nam etſi fortuna non eſt neque gubernatrix neque adiutrix virtuti, eam tamen hæc non aſpernatur vt fautricem, neque abnegat vt comitem. Ad formandum illum qui cum cura dici mereatur, plerunque vtraque conſpirat. Neque ideo carcer Socratis non eſt honeſtior ipſo Prytaneo. Neque item homines fortunæ, ſed vtique ingenij bonis æſtimo. Sed hoc adſeuero, intimæ virtutis nitore ſæpe ſuperficiem perfundi. Inde, veluti diuino quodam lumine ictum corpus totum venuſtari, animum tali ſupellectile laceſſi atque adeo locupletari. Certe quoties decora ſpecies obtutui ſeſe offert, eâdem virtus, quamuis latens, animo ſeſe inſinuat. In Elide iudicium pul-
Athen. lib. 13. chritudinis fieri ſolitum memorat Athenæus. Eandem apud Æthiopas in dandis magiſtratibus ſpecta-
Ariſtot. lib. 4. polit. cap. 4. ri, Ariſtoteles. Nam auguſtiſſimam ſpeciem credebant hauſtam è cælo. Denique è vultu ac decore
Cic. de fato. Sueton. Tito. membrorum coniectabant quantus illa cæleſtis ſpiritus habitator intraſſet. Zopyrus adnotauit, Socratem fuiſſe phyſiognomona, hoc eſt, vt noſtri loquuntur metoſcopū. Et Pythagoras adoleſcentes † ἐφυσιογνωμόνει, priſco, videlicet, inſtituto, quo primi reges (*† faciem attente conſiderabat.*)
Gell. lib. 1. cap. 9.
Lucret. lib. 5.

Et pecudes & agros diuiſere, atque dedere

Pro

Pro facie cuiuſque, & viribus ingenioque.
Nam facies multum valuit.

Neque apud barbaros alij exiſtimabantur capaces magnorum operum, quàm quos eximia ſpecie natura donauit. Nimirum, forma corporis animum æſtimabant, & in ſpeculo frontis imaginem cernebant ingenij. Hinc iudicium Priami de Agamemnone, quem ex eminenti pulchritudine cognouit.

† Ὅς τις ὅδ' ἐστὶν Ἀχαιὸς ἀνὴρ ἠΰς τε μέγας τε
Ἤτοι μὲν κεφαλῇ καὶ μείζονες ἄλλοι ἔασι.
Καλὸν δ' οὕτω ἐγὼν οὔπω ἴδον ὀφθαλμοῖσιν,
Οὐδ' οὕτω γεραρόν. βασιλῆϊ γὰρ ἀνδρὶ ἔοικε.

Plato cuſtodes Reipub. non ſolùm vult eſſe † τοὺς βεβαιοτάτους καὶ τοὺς ἀνδρειοτάτους, verùm etiam † κατὰ δύναμιν εὐειδεστάτους. Neque verò ſonat aut vibrat in auribus meis vetus illud, *Raram facit miſturam cum ſapientia forma*. *Saturnus quidem Titani fratri inter alia, quòd Titan facie deterior eſſet ipſo, regno non conceſſiſſe dicitur.* Sacra adeò hiſtoria teſtatur, Danielem, ob elegantiam vultus inter miniſtros regios aſſumptum. Apage ergo iſtos ſagina laxatos, atque vt ait Clearchus, magnos piſces, aut exſuccos & cadaueroſos; quales ſunt legati illi Ariſtophanæi miſſi ad poëtas cultores inferorum; Denique eos omnes in quibus animus, vt M. Lollius de Galba dixit, malè habitat. Nempe hi & corrugandæ naris, & contrahendæ frontis, riſus & ſcommatum occaſionem aſpicientibus perſæpe præbent. Certè apud Ariſtophanem irridentur illi legati Lacones quos ſenum chorus dicit trahere barbas. Talis fuit legatio Senatus miſſa ad faciendam pacem inter Nicomedem & Pruſiam. Cùm enim è legatis vnus haberet caput cicatricoſum, alter pedibus æger eſſet, tertius ingenio ſocors exiſtimaretur, graphicè legationi tam inſignitæ illuſit Cato, qui eam neque caput, neque pedes, neque cor, vt de Claudio Seneca, habere dixit. Deriſus dicitur Leo Byzantinus legatus Athenas miſſus, homo enormi-

† Quiſquis hic ſit Achiuus vir bonuſque magnuſque. Certe quidem capite & maiores alij ſunt. Pulchrum verò ſic ego nondū vidi oculis. Neque ſic venerabilem. Regi enim viro ſimilis eſt.

† firmiſſimos & fortiſſimos.

† quantum fieri poteſt ſpecioſiſſimos.

Homer. Iliad. γ.

Plato lib. 7. de repub.

Petr. Arb. in Sat.

Lactant. lib. 1. cap. 14.

Seuer. Sulp. lib. 2. ſag. hiſt.

Athen. lib. 8.

Athen. citat Ariſtoph. in Geritad.

Macrob. Sat. lib. 2. cap. 6.

Ariſtoph. Lyſiſtr.

Epit. Liu. lib. 50. & Appian. Aiubr. d.

Sen. in ludo.

ter obeſus. Is cùm editum ſuggeſtum tumultui compeſcendo conſcendiſſet, populus eius prominentem vētrem conſpicatus, totus in riſum ſolutus eſt. Sed is riſus illico ceſſit in admirationem ob cordatum ipſius legati de hac ipſa pinguedine ſermonem. Cæterùm ſicuti aliqua inſigni nota corporis dehoneſtatum Deus munere ſacrificandi, Perſæ regno interdicunt; Atque adeò ſicuti noſtri negauerunt, eam virginem Veſtæ capi fas eſſe, quæ lingua debili, ſenſuue aurium deminuta, aliaue quauis labe inſignita eſſet; Vt quandoque claudus non eſt admiſſus ad munia publica; Ita quoque ipſe ab legatione haud ferè minùs quàm vitia reijcio corpus mutilum, membra vitiata, obtuſa, detorta, toruitatem, deforme caluitium, vlceroſam faciem, labroſam, turgidam, naſum colliſum, gibbum, aliaque dimidiatorum hominum, quique ludibrio nati videntur & iniuriæ, non naturæ. Etiam tacitis nobis bilem contrahunt iſti chilones & cinones, quos ſi ſemel aſpexeris, ſiniſtro genio natos intelligas. Quid indicant ſupercilia ſeſe ad ſingulos vocis conatus adleuantia, quid lumina trepidantia, quid manus inquietę niſi amentiam? Quid præ ſe fert os vultuoſum niſi hominem egentem pudoris? Quid ſima naris niſi audaculum? Quid frons conrugata ac tetra, lurorque buxeus, ſi non animum furore vecordem, ac diſtricta rabie efferatum? Quid inceſſus tortuoſus ſi non cor retuſum? Quid varicatus ſi non vtrem veriùs quàm hominem? Antiquiſſimus ille ſapientiæ antiſtes deſcribens Therſitem illum confidentiſſimum non omiſit vitia corporis, vt totum hominem ſui ſimilem oſtenderet.

Gell. lib. 1 cap. 12.

Halicar-naſſ. lib. 5.

† Φολκὸς ἔην, χωλὸς δ' ἕτερον πόδα, τὼ δέ οἱ ὤμω
Κυρτὼ ἐπὶ στῆθος συνοχωκότι. αὐτὰρ ὕπερθεν
Φοξὸς ἔην κεφαλήν, ψεδνὴ δ' ἐπενήνοθε λάχνη.

Homer. Iliad. 2.

† Strabo erat, claudus autem altero pede. At eius humeri curui in pectore contracti. Cæterùm deſuper acutus erat capite rara & inerat lanugo.

Contra, quàm iuuat tueri faciem tranquillam & ſeriā, gradum clementem, habitum modeſtum, denique hominem tota ſpecie venerabilem. Adeò vt quiſquis

talem aſpexerit, bonum virum facile conijciat, ingenuũ ac ſtrenuum libenter credat. *Grato & iucundo introitu*, inquit Valer. Max. *Illabitur admirationis prætexta velata maieſtas.* Itaque vt caſtitati puellari ceu præmium, ſeponitur vir oris decori, ita legationem ipſe quidem vereor committere illi, quem nõ ſpecies honeſtet; qui non teſtetur & offerat, & ſi in media turba decorem quẽdam ſenatorium, omni amota ineptia, & fuco & arte. Ne vnà cũ Ceo illo laruali ſimulachro, qui ſibi albedinem infecerat, cenſeatur. Quid hic ſani diceret, Lacedæmonij, ait Archidamus, cui nõ modò animus ſed & caput mendax eſt? Neque tamẽ animus excelſus, qui delegit ſibi humile domiciliũ, ea re ſordeſcit, aut vileſcit. Quippe

Val. Max. lib. 2. cap. 5. in princ.

Ælian. var. hiſtor. lib. 7. cap. 20.

Ouid. lib. 5. Metam.

—ſubiere minores Sæpe caſus ſuperi.

Niteſcit potiùs ac ſplendeſcit. Sæpe magna ingenia amant latêre in corpuſculis. Sic ille Homericus

† Δόλων Εὐμήδεος υἱός
Εἶδος μὲν ἔην κακὸς, ἀλλὰ ποδώκης.

† Dolon Eumedis filius ſpecie quidem erat malus, ſed pernix.

Homer. Iliad. 9.

Ageſilaus dicitur fuiſſe breuiculus, facie ignobili, ac, ne quid deformitati deeſſet, claudus pede. Atque adeò moriens dixit ne aut pingeretur, æreue duceretur, aut ſaxo incideretur. Etſi nõ ſum neſcius huic propoſito honeſtiorem ab ipſo cauſam obtẽdi haud abſimilem Catonianæ, Ne, videlicet, quicquam poſt ſe reſtaret inſignius nomine ſuo. Nimirum quamlibet † εἰδεχθέστατος τὴν ὄψιν, vt ait Syneſius, † βέλτιστος τοὺς τρόπους, & ſub inculto corpore latebat ingenium ingens, & virtus excellens. *Satiuſque duxerunt Lacedæmonij*, ait Iuſtinus, *inceſſu regis quàm imperio regnũ claudicare.* Si hæc extendi opus eſſet, hîc ego retexerẽ Philopœmenem, Socratem, inclytũ illũ fabulatorẽ, illum quoque † palmirẽ Ægyptium, Periclẽ qui capite fuit † ἀσύμμετρος, denique illum de quo extant hæc,

Æmil. Prob. in Ageſ. & Iuſtin. lib. 6. Dio Chryſoſt orat. 37. & Plutarch. in apophť.

† aſpectu mirè deformis.
† moribus erat optimus.

Iuſtin. lib. 6
Laert. lib. 7.
Plutarch.
Themiſt. 1. 222.

† Zenonẽ ſic appellatum tradit Laert lib. 7. in Zen.
† immodicus.

Nulla viro ſpecies, decoriſque & frontis egenum
Corpus, at exiguis vigor (admirabile) membris
Viuidus, & niſu magnos qui vinceret artus.

Sil. Ital. lib. 6.

Eccleſ. cap. 11. Quid multa? *Nō laudes virum in ſpecie ſua, neq; ſpernas hominē in viſu ſuo. Breuis in volatilibus eſt apis; & initiū dulcoris habet fructus illius.* Formę adiūgo duritiā corporis, & vigorē mēbrorū: Et hæc, ſcilicet, ad tolerātiā laborū. Vt legatus & pedib⁹ inſiſtere, & ambulare, & ardua ſubire, flumē nādo cōiūgere, ripā inſilire, ſi vſus venerit, poſſit. Hoc vltimū accidiſſe memorāt Pontio

Frontin. Stratag. lib. 3. cap. 13. Comino, qui dimiſſus per ſaxa Tarpeia, tranato Tyberi, Veios peruenit, & perpetrata legatione, ſimiliter ad ſuos rediјt. Quidā legatus Mediolanēſis flagrāte bello

Procop. bel. Goth. lib. 2. nullū in Padi ripa nauigiū nactus, ſeſe dedit fluuio, &

Liu. lib. 9. enauit. Haud abſimile factū ſiue Cęſonis, ſiue C. Claudij eiuſq; ſerui qui ei comes vnus aderat. *Nam paſtorali habitu, agreſtibus telis, falcibus, geſiſq; binis armati intrauerūt Ciminios ſaltus. Et cùm ad Camertes Vmbros penetraſſent, Roman⁹ introductus in Senatū, cōſulis verbis egit de ſocietate amicitiaque.* Alij fortè ridiculū, alij ſuperſtitioſum dicēt eſſe id quod mox dictur⁹ ſū. Dicā tamē vt res eſt. In nomine illius cui data legatio eſt, ſæpe eſſe omen. Id potiſſimùm aduerti ſolet, cùm ea de re

Herodot. lib. 9. mittitur legatio, in qua tractanda legati fide ſtatur. Leutychides principē legationis Samiorum ſic fertur interrogaſſe, Hoſpes Samie quî vocare? Hegeſiſtratus, ait ille. Accipio, ait Leutychides, pro augurio Hegeſiſtratū. Et verò hominē placiti nominis attinuit dimiſ-

Cic. pro M. Fonteio. ſis aliis. Fauſta & bona dicūtur hęc nomina, vt cognomē frugi vel ab ipſo inimico datū Piſoni; tū Baſilidis,

Tacit. lib. 4. hiſtor. quē in ſacra ſede Serapidis pone tergū Veſpaſian⁹ reſpexit.

Plato in Theag. 122. Socrates apud Platonē gratulatur Demodoco quòd filio ſuo indiderit nomē Theages.

Cic. lib. 1. de diuin. *In luſtro tum exercitus, tū populi, bonis nominib⁹ qui hoſtias ducerēt eligebātur.* Quod *idē in delectu Cōſules obſeruabāt, vt primus miles fieret bono nomine.*

Vide Platonem in Cratylo. Virgo Plautina cùm dixiſſet, Lucridi in patria ſibi fuiſſe nomē, tū Toxilus, *Nomen atq; omen quātiuis eſt pretij.*

Plin. lib. 3. cap. 4. Cōtra, illa ominoſa dicūtur & inauſpicata, quę ſūt formidoloſa dictu, vt Epidānū,

Feſt. Segeſta. quod poſtea fuit Dyrrhachiū, & Maleuolētum quod Beneuolentum. Huc pertinet iocus ille Plautinus,

Voſmet nunc facite coniecturam cæterùm
Quid id ſit hominis, cui Lyco nomen ſiet. *Plaut. in prologo Pœn.*

CAPVT XVII.

E quo ordine eligi legatus debeat, vt reperiatur præditus ijs dotibus quæ domi militiæque Rempub. tutam præſtant.

TRadit Ariſtoteles, in creatione magiſtratuum diſpici tria, A quibus creentur, quomodo, & ex quibus. *Ariſtot. lib. 4. pol. cap. 14.* Hiſce ego ferè veſtigijs inſiſtens, dixi à quibus ad quos legationes mittantur; tū quid in delectu legati ſpectari debeat. Nunc reſtat hoc poſtremum, ex quo ordine talis educi poſſit qualem deſcripſi, An ex togatis, an ex militibus, an ex illis qui amiciuntur curta, quod dici ſolet, toga. Verum vix poteſt reſponderi niſi offendendo, falſum niſi erubeſcēdo. Ipſe quidem vtrumque tam ſtudioſè vito, quàm ſanguis viperinus, vt ille ait, oliuum. Certè non parum dolerem ſi quis offendi vellet nulla mea culpa. Sed ſpero mihi illum fore æquum qui rem cognouerit; neq; quod vulgo ſolent, redditurum veritati odium, libertati contumeliam. Id quod eò æquius eſt, quòd profiteor me hæc mea non contumelioſè promere, ſed officioſè, non animo maledicendi, ſed ſolo ſtudio iuuandi. Scio veteres morbos & publicos non niſi efficacibus remedijs depelli poſſe. Hæc faciunt dolorem, ſed eadem valetudinem reuocant. Nunc quidem impugnandum ſuſcipio vetus inſtitutum, non, inquam, naſcens aut adoleſcens, ſed roboratum longa ſerie ſæculorum. Hoc magis adnitar vt aduerſus ingraueſcentia vitia remedium quæſiſſe, non quemquam videar notaſſe. Tria deſideraui in legato, ex quibus vt hoc aut illud in ſingulis reperiri fortaſſis procliue ſit, ita omnia ſimul, Herculis labor eſt.

Vſque eò vnitæ hæ dotes vni videntur inconceſſæ. Quid? numquid hîc eſt in quo accuſem naturam quæ nos priſcis deteriores genuerit? & quod illis elargita eſt, nobis non poſſit, aut ſicuti nouerca nolit aut liueat? Minimè gentium. Vt in nobis ipſis vitium eſt, ſic & à nobis. Nam ſinguli id vitæ genus inſiſtimus, quo, ſi quid eſt egregij naturalis impetus, reprimitur veriùs quàm excitatur aut iuuatur & promouetur. Et quidem qui rem populi tractant, ex his alij pacis artibus inſtruuntur, alij belli, plures neutris, certè vix quiſquam vtriſque. Cùm tamen ſingulos ciues ita ſe comparare æquum ſit, vt quem Reſpub. hoſtibus armatum oppoſuit, eundem, pace parta, regendæ multitudini togatum imponat. Siue illo, ſiue hoc opus eſt, nunquam non ex eius copioſo pectore promptet vim conſilij; denique habeat eum planè vt præſens numen, & inſigne, firmumque præſidium. At nos iſta ſeiungimus, & vnum aliquod deligimus, tanquam vnum patriæ debeamus, non omnia. Et quidem hodiernæ nobilitatis ita ſe mores habent, vt ipſa nihil ſe aliud eſſe putet quàm ſeminarium militiæ. Cur non & magiſtratuum vrbanorum? Quam enim Rempub. armis protegendam ſuſcipiunt, hanc priùs neceſſe fuit fundari legibus, iiſdem roborari atque æternari. Ipſe princeps, quod eſt caput Reipub. telis & brachijs inſerit bona auſpicia, hoc eſt, fortia conſilia. Neque ſolùm armis honeſtatur, ſed & legibus armatur, vt in ipſo aditu iura clamant. Palladem ſollers antiquitas & Mineruam vnam fecit, quanquam duplici functione. Quippe natales eius, olea, triplex veſtis, noctua, hæc inquam, omnia ſunt aliud nihil niſi documina ſapientiæ artiumque pacis. At galea criſtata, haſta, ægis, Gorgon laudum bellicarum. Hæc tam altè ſunt compacta, vt altero
Athen. li. 13. labefacto, vtrumque ruat. Hinc eſt quod priſca ſapientia Maia nato ſimul & Herculi ſtatuas poſuit; illi quidem vt rationis & orationis præſidi numini;

huic vt roboris viriumque Deo. *Aedem Herculis & Muſarum in circo Flaminio Fuluius ille Nobilior ex pecunia cenſoria fecit; non id modò ſequutus, quod ipſe literis & ſumma poetæ amicitia duceretur, ſed quod in Græcia cùm eſſet imperator, acceperat Herculem Muſagetem eſſe, id eſt, comitem, ducemque Muſarum. Idemque primus nouem ſigna, hoc eſt, omnium camœnarum ex Ambraſienſi oppido tranſlata ſub tutela fortiſſimi numinis conſecrauit; vt res eſt, quia mutuis operibus & præmijs iuuari ornarique deberent; Muſarum quies defenſione Herculis, & virtus Herculis voce Muſarum.* Signum Apollinis in Delo dicatum dextera arcum, læua Gratias, & quidpiam tenebat inſtrumenti muſici. Arcus labores ſignabat & negotia. Gratiæ & Muſica fructum laborum. Archilochus hoc ſe pulcherrimo conciliatu cenſeri in gloria numerat, his verbis,

In orat. Eum. rhet. pro ſchol. inſtaur. paneg. 272. Plutarch. probl. 69.

Plutarch. in Muſ.

† Εἰμὶ δ' ἐγὼ θεράπων μὲν Ἐνυαλίοιο ἄνακτος
Καὶ μουσέων ἐρατὸν δῶρον ἐπιστάμενος.

† Et clueo cultor Martis, fortiſq; ſatelles. Atque artes Muſæ me docuere ſcias.

Athen. lib. 14.

Apud Lucianum ſtatua Toxaris læua manu tenet arcum, dextra librum. Plato vt ſociet, † τὸ θυμοειδὲς καὶ τὸ φιλόσοφον vult gymnaſticam & Muſicam in eo qui ſit cuſtos ciuitatis, coniungi; ne illa tandem animus nimis efferetur, hac plus æquo molliatur. Hoc ipſum ſignauit illa ſtatua quæ fuit ante ædem Caſtorum Q. Marcij Tremuli equeſtris togata. Quippe quãta ſocietas eſt earum vtilitatum quæ ſunt è bello & pace, tanta debet eſſe cõcordia armorum ac togæ. Ideo priſci ante periculum ſacrificabant Muſis; nempe vt hac Martis Muſarumque coniunctione cõſulta proſpero exitu terminarentur. Inter laudes Liberi patris eminet hæc,

† Cõfidentiam & ſapientiam.

Lucian. in Scytha ſiue hoſp. 345. Plato lib. 3. de Repub. 411.C. Plin. lib. 34. cap. 6.

Plutarch. Lac. apopht. 391.

idem pacis eras mediuſque belli.

Horat. lib. 2. Carm. od. 19.

Atque hanc quidem ob cauſam cauſa nulla eſt quapropter illi, quos vetus proſapia tumidos facit, togam tantopere faſtidiant, vt degenerem; togatos tam contemptim habeant vt homines nulli rei; cur denique numerent inter argumenta generis hoc,

quod & literarum adiumenta, & politicas artes, vt ignauiæ documenta poſthabent, tanquam nobilitas polluatur ſtatim vt togatæ militiæ ſtipendijs merere cœperit. Quin hoc ſciant, & qui neſciunt, diſcant, primam cohortem, quæ eadem miliaria dicta, quæſiſſe viros genere atque inſtitutione literarum electiſſimos; nempe ne otioſo, feriatoque ferro animus otiaretur. Talem Alcibiades apud Platonem memorat fuiſſe Socratem. Cæterùm quid ſtolidius cogitari, quid item abſurdius dici poteſt, quàm ad magna genitos tam anguſtè, tamque iniquè ſuam ſortem expendere, vt ſolam profiteantur feritatem, truculentiam, atrocitatem? *Non ſolùm ſcientia*, ait è Platone Cicero, *quæ eſt remota à iuſtitia calliditas potiùs quàm ſapientia eſt appellanda, verùm etiam animus ad periculum, ſi ſua cupiditate, non communi vtilitate impellitur, audaciæ potiùs nomen habeat quàm fortitudinis.* Tam ſtultis cogitationibus inflatos effigiauit Ariſtoteles cùm dixit, eos qui neque duram militiam, neque pericula conſueta habent, ſeruitutem ſeruire illis qui rem manu gerunt; tanquam illi ſeruili, hi ingenio præditi ſint herili; Illi imperare, hi obſequijs teri poſſint; Illi ſint optimates, hoc vile vulgus. Equidem non video quomodo equeſtris ordo iſtum locum validè tueri poſſit, ſi non ei virtuti quam profitetur, comites addit eas artes, quibus iudicium alitur, & prudentia roboratur. Quæ eædem ferociam amputent, vim animi intendant, militiam reddant cautiorem, ſcientiam fortiorem; poſtremò quæ eos locent in hoc faſtigio laudis, vt non ſolùm ſint, vt ait Ennius, *bellipotentes*, verùm & *ſapientipotentes*. Qui contra ſentiunt, Gothicè ſentiunt. Nam Gothos Procopius firmat ita in animum induxiſſe, literas minime conuenire principi viro, quibus, videlicet, is effeminatur, atque adeò fit meticuloſior. Verè M. Tullius ait, *domeſticas fortitudines non eſſe inferiores militaribus; atque expetendam magis eſſe decernendi rationem*,

Veget. lib. 2. cap. 6.

Plato in ſymp. vlt. parte.

Cic. lib. 1. off. 26.

Ariſtot. pol. lib. 7. cap. 15.

Verſ. Ennij apud. Cic. li. 2. de diuinat.

Procop. li. 1. de bel. Goth.

Cic. lib. 1. off.

rationem, quàm decertandi fortitudinem. Sed cauendum, inquit, *ne id bellandi magis fuga, quàm publicæ vtilitatis ratione faciamus.* Non minùs compellari debent ij, quorum munus eſt *iuſtum gemina ſuſpendere lance Ancipitis libræ.* Nempe iſti hinc cenſentur, quòd ſunt legum & eloquentiæ conſulti. Laudo. Nec laudo ſolùm, ſed & illos præcipua veneratione proſequor, in quibus eminent tam multa præſidia, tam multa decora pacis. Sed hanc vberrimam per ſe laudem, quod minimè laudari poteſt, ipſi hoc limite ſiſtunt; nec nituntur ad ſummum decus; dum prætexta nunquam mutatur paludamento, nunquam toga ſago. Teritur ætas in iudicijs. Iudices, inquam, conſeneſcunt in foro ſicuti execti experimentis militaribus, ac veluti trũca manu. Quiſquis hoc inſtitutum introſpexerit, bona quę hinc ſunt fatebitur eſſe mediocria, mala ingentia. Et quidem bona denique euadunt ad calidum verſutumque ius, cuius cognitione pollent ij qui ſe ſe mergũt hac † πράξει. At multa mala perſæpe fatendum eſt iactare ſe intra ambitum togæ, & inde eluctari in publicam perniciem. Quippe noſtro perſæpe malo ſatis eſt compertum, ſenſim iudicia fieri mera emolumenta. Quotusquiſque, qui modo ſedit inter iudices, ea modeſtia agit, vt non ſe in æterno imperio locatum putet? Annon videntur iſti magis callere ad quæſtum quàm ad ius? ac ſibi deſponſa munia, non mandata habere? prope ad eundem modum quo ille iudicum ordo, qui Carthagine dominabatur. Id quod inde erat, quòd illi iudices erant perpetui; quòd omnium vita in illorum poteſtate erat; quòd qui vnum eius ordinis, & omnes aduerſos habebat. Hæc ſanè tanta perennisque autoritas ſiue potentia è diuturno honore collecta ſenſim flectit maieſtatem legum ad ſtudia priuata; mox accitat hinc inde compendia, & ſordidos quæſtus, dum curuum quod eſt, id ipſum malitioſa iuris interpretatione rectũ audacter firmatur, *docuit toga, Infectum*

Perſ. Sat. 4

† actione.

Liu. lib. 23. 135.

Prudent. in præfat. κατὰ Συμμάχου.

vitÿs falſa loqui non ſine crimine. Percunctanti Cambyſę an ſoror in manum fratris legitimè conueniret, quàm paratè quos nimio plures ætas noſtra tulit, Anaxarchi reſponderēt, Nulla quidem lege licitum eſſe inceſtis nuptijs penates ſcelerare, ſed aliam extare, qua cautum eſt, regi licere id quod vult.

Herodot. li. 3.

Iupiter eſſe pium ſtatuit quodcunque iuuaret,
Et fas omne facit fratre marita ſoror.

Ouid. in ep. Phæd. Hippol.

Et vt hinc eximantur ſanè illi *quibus arte benigna, Et meliore luto finxit præcordia Titan*, tamen ſenſim pro habitu ingenuo infert ſe ſe perſonata grauitas, loco prudentiæ ſubit calliditas, multæque artes inextricabiles inuaſere, quibus omnis prope ſimplicitas detrita. Denique hinc bona pars eius eſt, quicquid illud eſt, quo & neſcientes premimur. Quin & præſto adeſt querela acutiſſimi & antiquiſſimi theologi, *Plus*, inquit, *togæ Rempub. lædunt, quam loricæ.* Atque vt nihil horum ſit, aut q̃ām minimum, vix tamen aut legationem, aut quidpiam ſerij muneris lautè illum adminiſtraturum puto, qui ſolùm ſit inſtructus multa ſupellectile vmbratilium literarum, & forenſis calliditatis; neque ſit experiens homo, fulcuſque ſcientia publicarum rerum; tum is quem acuerit longus vſus tractandorum negotiorum, ipſaque adeò peritia & felicitas verſandorum animorum; denique virilis, vi decunque illa eſt, eruditio. Quæ eſt ſententia philoſophi firmantis Rempub. ex ijs tantùm conſtare æquum eſſe qui habent manus armatas, id eſt, vnà cum mente erudita manus bello promptas. Perinde ac ſi dicat, ex hiſce adytis procul arcendum illum, cuius virtute non nititur vtrumque tempus & belli & pacis. Quid, quod ait Ammianus Marcellinus, ſua tempeſtate Scythas ſolitos eligere iudices diuturno bellādi vſu ſpectatos? Si tam doctis callidiſque hominibus haud temerè credo legationem, multò magis hoc munere, illis interdico qui hinc nomen petunt, quod tanquam deſerta vitæ

Iuuen. Sat. 14.

Tertull. de pallio.

Ariſtot. lib. 4. pol. ca. 12.

Ammian. Marcell. lib. 31.

ſocietate, abdūt ſe in ſtudia, ibique degunt in ſegnitiem, torporemque reſoluti, haud abſimiles priſcis illis barbatis, capillatis, palliatis, ignauiæ ſectatoribus, qui trahunt, vt quidam ait, † βαθείας ὑπήνας. Iſti credi volunt, ab ſe omnes literarum ſinus explorari, & hinc à ſe percipi eos fructus qui ſunt ſuauiſſimi; & animum oblectare ea iucunditate, qua nulla verior. Quippe nemini viuunt, niſi fortè ſibi; & ideo ſibi viuunt vt viuant nemini. Laudarem ſi doctrinam ex vmbraculis in ſolem, è latebris in ſcenam rerum, & in ipſam aciem perducerent; ſi denique ingenium literis exacultum explicarent in negotijs, ſi eſt vt omnis laus virtutis conſiſtat in actione. Vtinam hodie obtineret mos Athenienſium, *apud quos inertia è latebris ſuis langore marcens in forum perinde ac delictum aliquod protrahebatur; fiebatque vt facinoroſæ, ità erubeſcendæ rea culpæ.* Certè quia *conſiderate agere*, vt ait Cicero, *pluris eſt quàm cogitare prudenter*, negotia auſim præponere literis. Nimirum, qui has tantùm oſtentat meritò aſſimilatur naui exarmatæ, aut lyræ mutæ, aut arcui non tento. Nempe qui talis ſit, ici illo Anaxippi dicto poteſt,

† profundas barbas.

Ariſtid. Themiſt. 144. 6

Val. Max. lib. 1. cap. 1. Ariſtot. lib. 7. pol. cap. 3. & Cic. lib. 1. offic.

Cic. de off. lib. 1.

> † οἴμοι φιλοσοφεῖς, ἀλλὰ τούς τε φιλοσόφους
> ἐν τοῖς λόγοις φρονοῦντας εὑρίσκω μόνον.
> ἐν τοῖσι δ' ἔργοις ἀνοήτους ὁρῶ.

Athen. lib. 13.

† Vah! nūquid fingi poteſt portentoſius illo, Qui ſophos in triuijs inflato mugit ab ore; Rebus at in medijs ſtupet ac velut inſcius hæret?

Volo me literæ erudiant, non eneruent aut infatuēt, doctrina, vt ait Horatius, vim promoueat inſitam. Quamquam non omnis culpa eſt in literatis. Eſt & aliqua in illis, qui ſunt rerum potentes, apud quos plus poſſunt pecunioſi quàm docti. Illi enim præuio argento eò rectà perrumpunt vnde arceantur ab imperitia. Hos ſub perſona Caſtoris notat Martialis,

> *Omnia Caſtor emis, ſic fiet vt omnia vendas.*

Martial. lib. 7.

Egregius, videlicet, hic eſt partus hodiernæ magiſtratuum licitationis. Nam cùm nullis præmijs prolectentur præclara ingenia, cùm præmia virtutis occupent ambitio & pecunia, quid mirum ſi multæ

literæ vaneſcunt in germine, nullamque ad certam frugem perducuntur? Atque hoc quidem clemens genus præ neſcio quibus ſilonicaperonibus, fronte tetrica &moribus cynicis, qui ſoli profitentur ſe ſcire quantum populo viritim diſpertiri poteſt; atque vt quidam perelegãter dixit, *myſteriũ ſuum barba tantùm celebrant & pallio.* Quòd ſi lubeat id, quale ſit, excutere, reperies illud eſſe quod vtiliùs neſcitur. Sic ſolẽt ægra ingenia, quæ bonum otium conterunt in negotio ſuperuacuo. Atque adeò proditur ineptia vultu inſubido, geſtu rigente, ſermone importuno. Nam pro ſua rara ſapientia vix vnquam non dicturiunt. Et quicquid fantur, id, ſcilicet, ita priſcũ eſt, vt è priſcorum roſetis ſentias operosè collectas ſpinas à meliorũ ignaris, incurioſis & ſecuris. Interim tumentes opinione doctrinæ ſe ſe & ſua admirantur, alios audacter contemnunt. Hac literatura non miror ſi iſti, quibus ſua felicitas oneri eſt, mulceri malũt quàm erudiri, vt hiſtrionia, & Græcula loquacitate, & extemporali audacia. Iſtis illud Theogneti cantari poteſt,

Lactant. de fal. ſap.

> † Ἐπαείστερ' ἔμαθες ὦ πόνηρε γράμματα.
> Ἀντέστροφεν σοῦ τὸν βίον τὰ βιβλία.

Athen. lib. 3. & 15.

† Vt læuus, qui tot ſtudijs nil diſcere diſcis. Cuius conturbãt tam multa volumina vitã.

Non minus in vitio ſunt illi, qui nobis ſunt ſuccincti aut modicæ curtæue togæ. Iſti duplici munere funguntur ſcribarum & quæſtorum. Vtroſque malim ruſticiores & probiores, quàm limatiores & nequiores, quales hoc ſeculũ pleroſq; produxit, quibus nihil quicquã deprauatius, neq; cæteris ordinibus, vt quidem res docet, infeſtius. In ſcribis deſidero prõptas opes ſciẽtiæ & eloquẽtiæ. In iſtis præter continentes manus, eas artes, quarũ ope induſtria nitidior apparet & cumulatior vt vtrũque munus ſit potiùs gradus virtuti nouitiæ ad maiora nitenti, quàm culmen aut faſtigium, quod quiſquis ſemel inſedit, ibidem tyrannidem, vt fit, ſtabiliat; ac tanquam ſumma adeptus non ingenium, non induſtriam, non eruditionem, non alias dotes intendat. Vtroſque velim ita

parare ſeſe, vt ſint idonei iuri dicundo, pugnando, imperando; permiſceri induſtriam cum peritia literarum, cum bellicis artibus, cum rerum experientia, cum eloquentia; toga militiam, ſcientia fortitudinem mulceri. Denique quiſquis publicis muneribus admouetur, hunc opto in inueſtigatione rerum eſſe induſtrium & ingenioſum, in negotijs Vlyſſem, in bello Achillem, pietate Numam, in iudiciis Ariſtidem, ſemper & vbique hominem actuoſum. His dotibus præditus quacunque tandem in ſtatione poſitus fuerit, is vtilem ſe ciuem Reipub. præſtabit. Vix iſta in plures perſonas ordine ſue diſpalantur, quin fiant mutila & euanida. Ea re dicitur Lycurgus ab eo qui ſit amator, ſiue ſectator ſapientiæ, deſideraſſe vt in concionibus ſit diſertus, in prælijs acer & animoſus, in Senatu prudens. Quippe harum dotium miſtura & vnitas pellit vitia ſingularia. Plures, inquam, dotes vniter tendentes cōiona ope plus poſſunt, pollētque quàm hæc aut illa. Enimuero adnotatum eſt, Inertia hominum factum eſſe vt vna diuideretur in plures. Quæ nunc plures ſciunt vnus ſcire tenebatur. Perfectos homines, inquit Plutarchus, exiſtimo poſſe politicam facultatem commiſcere philoſophiæ. Super hac ipſa re audi Pindarum,

In vita M. Aur. Imp.
Plutarch. de inſt. puer.
Pindar. Olj. od. 6. 62.

† ποθέω στρατιᾶς
ὀφθαλμὸν ἐμᾶς, ἀμφότερον
μάντιν τ᾽ ἀγαθὸν,
καὶ δουρὶ μάρνασθαι.

† Deſidero exercitus oculum mei vtrumque, vatemque bonum, & ad pugnandum haſta.

Hac item ratione vitatur æmulatio ſingulorum, & ex æmulatione diſcordia, vtrinque impedimentum. Itaque non alios præcipuis honoribus ditari volo, quàm qui ita formati ſunt, vt ſinguli compleant omnes; quilibet vices alternare, quilibet rebus ac tempori conuenientia expedire poſſit. Et manipulatim quidem proferre poſſem ingentia nomina illorum qui & bonimilitia, ſimulque altiſſima eruditione clari ſæpe, baculo abiecto, ſcutum ſumpſerunt; ſæpe ſcuto ad

poſtem fixo, pallium reſumpſerunt; cuiuſmodi fuerunt illi de quibus iam dixi, quibus addo illos, quos Neſtor his verbis affatur,

Iliad. 1.

† οἳ περὶ μὲν βουλῆ Δαναῶν περὶ δ' ἐστὲ μάχεσθαι.

† Conſilio Danaos veſtrum eſt, armiſque tueri.

Et is de quo extat Ouidianum illud,

Ouid. lib. 3. de Pon.

Nam modò bella geris, numeris modò verba coërces,
Quodque alijs opus eſt, hoc tibi luſus erit.
Vtque nec ad citharam, nec ad arcum ſegnis Apollo,
Sed venit ad ſacras neruus vterque manus,
Sic tibi nec docti deſunt nec principis artes;
Mixta ſed eſt animo cum Ioue Muſa tuo.

Nempe Phœbea chelys ijſdem

Pulſatur manibus, quibus & contenditur arcus,
Illo dulce melos Nereius extudit heros,
Pollice terribilis quo Pelias ibat in hoſtem.

In panegyr. Luc.

Extat & hoc Q. Fabij Maximi elogium,

par ingenium caſtriſque togæque.

Sil. Ital. lib. 6. 36.

Milo Crotoniates clariſſimus ille, hodieque celeberrimus athleta perhibetur fuiſſe diſcipulus Pythagoræ. Nam priſca illa educatio ſpectabat vtrumque tẽpus & belli & pacis. *Non agrediebantur fata præliorum,* inquit Martianus Capella, *priuſquam illis contingeret lætari cum Muſis.* Cui rei documento eſt non ſolùm Hercules ille fabuloſus, cui antiquitas, vt ſupra dixi, erexit ſtatuas cum Muſis communes, quòd is ſtrenuus iaculator, & acer bellator, ſimulque citharæ peritiſſimus eſſet, ſed illos omnes quos hac potiſſimùm in re Herculis imitatores antiqua monumenta perhibent, quos iam ſignaui. Illis tantùm lubet addere Scipionem,

Strabo lib. 6. 253.

Martian. Cap. lib. 9. 313.

Ariſtid. Herc. 164. 6.

Theocr. in Heracl. 173.

Maior Scipiades Italis qui ſolus ab oris
In proprium vertit Punica bella caput,
Non ſine Pierijs exercuit [illegible] arma.
Semper erat vatum maxima cura duci.
Gaudet enim virtus teſtes ſibi iungere Muſas
Carmen amat quiſquis carmine digna gerit.

Claudian. in præfat. lib. 3. de laud. Stilich.

Nego Romæ cuiquam licuiſſe aut ſeponere ſibi per-

petuum ſagum, aut togam ſiue prætextam ſibi perpetuam ſpondere. Non cui prouincia & exercitus ſorte obtigerat dicere potuit,

Non ego ſum laudi, non natus idoneus armis, Propert. lib. 1. ad Tull.
Bellica non dextræ conuenit haſta meæ.

Neque item is, cui euenerat iuriſdictio inſcitiam artis boni & æqui prætendere, tanquam non niſi *caſtrenſibus vtilis armis*. Ouid. eleg. 6. Prout ſors iuſſerat, prætextati erant aut paludati. *Idem bellator*, ait Vegetius, *idem agricola. Genera tantùm mutabat armorum.* Veget. lib. 1. cap. 3. Poſtremò de ſingulis hæc dici poterant,

——qui tempora certis
Ponderibus penſauit, eum ſi bella vocabunt, In panegy. Luc.
Miles erit. Si pax, poſitis toga geſtiet armis:
Hunc fora pacatum, bellantem caſtra videbunt.

Quæ morum via non ſolùm in libertate, ſed & ipſis principibus fuit, & ſub ipſis. Componat nunc qui volet hanc ætatem cum antiquitate, & ad exemplum ambarum vtriuſque mores æſtimet. In aliam partem nos palmam poſſidere aduertet. Illic aſpiciet omnia excellentiora noſtris, hîc omnia deteriora illis. Quid, quod hæc ſingularia inſtituta diſpalantur in ſectas, ſcinduntųrque in alia corpora veriùs quàm membra, & factiones magis quàm partes? Minimùm occurrunt ſibi, ſeſeque è diuerſo venientes impediunt. Hinc quantum quiſque eorum qui eas profitentur, firmatur, tantundem publica res infirmatur. Quippe omnis vis eſt in iſtis ſiue cœtibus, ſiue collegijs, vbi vix quicquam obedienter fit. Quin audent contra ſtare, & diſceptare cum autoritate publica. Vbi enim quid poſſint reſpiciunt, alios deſpiciunt. Cùm ſeſe numerant eâdem ſeſe confirmant. Conſpiratio multorum alit audaciam ſingulorum, tanquam neque perrumpi, neque diſijci poſſit ille globus audaciſſimæ conſentionis. Nam ſpecie tantùm conſentiunt in Rempub. re illam diſtrahunt; atque illius contemptu in hanc magis particularem, cui nomen dederunt,

conſpirant & fœderantur. Sic enim putant, ſuam partem eſſe veluti abruptam à cætero populo. Ea re illa veluti derelicta, hanc habent pro vera patria; hanc ſibi peculiarem Rempub. faciunt. Sic neſciant vnde prodierint tot Titanes, quibus ſingulis impune feroc̃ire licet. Neque tamen hîc ego formo tyrannidem, cuius eſt ingenium diſſociare ciues; ſed legitimo regno ſtatuo præſidia aduerſus lubidinem paucorum, aut licentiam multitudinis. Denique ſpecto vnitatem tantopere placitam laudatamque ſapientibus.

Ariſtot. lib. 2. pol. Neque item ſeorſim ſentio ab Ariſtotele, & priſcis illis publicæ rei fundatoribus, Moſe in Iudæa, Minoë in Creta, Seſoſtride in Ægypto, Druidibus in Gallia, Seruio Tullio Romæ, qui omnes partiti ſunt Rempub. in Curias tribuſque, tum equites ſecreuerunt ab agricolis, hos ab opificibus; populum denique retulerunt in cenſum, digeſſerunt in claſſes, collegijs ac decurijs diſtribuerunt; ſua munia ſingulis ordinibus diſtinxerunt. Quippe hæc inuenta ſunt ordinandæ Reipub. non ſcindendæ. Neque per hæc nobilitati eripiuntur arma ſimul & iudicia. Sed hinc fides fit, ſingulos ciues ijs dotibus eſſe cenſendos, quarum ope Reſpub. domi militiæque geritur, & abſolutam vnius virtutem plus vniuerſis præſtare, quàm mancam & imperfectam multorum. Neque verò per hæc ſingularum ſodalitatum conſpiratio conſtabilita eſt, ſed id actum, vt hac diſtinctione quiſque iniuncto muneri paratior inueniretur; vtque ſingulorum promptior eſſet conſenſus ad id quo cunctorum ſecuritas continetur. Denique vt metus ferociam vniuerſorum ſenſim verteret in obſequium ſingulorum. Quod ſanè obſequium paulatim reciprocans ſecum adducit ſecuritatem & ſtabilimen vniuerſorum. In Repub. ſic inſtituta, ſiue ſorte, ſiue ſuffragijs, ſiue in vrbe, ſiue in caſtris eligatur legatus, errari non poterit; quia promptè inuenietur ſi non cumulatus ijs dotibus, quarum ſingulæ per ſe indigentes aduocant opem

opemaliarum, at ſaltem omnia habens eximiæ ac multiplicis virtutis ſemina; quæ, accedente vſu rerum, vtiliter germinabunt; & quod vſpiam egregij diſperſum diſſidet, in vno ipſo cohærebit. Ingenio aderit robur; robori eloquentia & regimen conſilij. Conſilium nitetur magno præſidio, quod eſt diſcrimen eius quod vtile, eius item quod inutile, ipſaque adeo cognitio æqui & boni. Id quod libuit ſcribere paulò ſpatioſiùs. Neque enim debui hanc infelicitatem noſtræ ætatis tanquam non animaduerſam tacitus præterire; vt, & quatenus fieri poteſt, vitaretur, & remedium eſſet exploratius. Id fruſtra, an ob rem fecerim, illis eſt in manu, quos hæc non neſcire intereſt.

CAPVT XVIII.

Legatio dignis danda, habito priùs delectu ingeniorum. De ætate legati.

IAm propioribus lineis certum eſt ſignare legatum meum. Hic enim eſt rerum arbiter, & quidem maximarum, idemque miniſter gentium totarum, regnorum, imperiorum, Rerumpublicarum. Hic ipſe ſubit ardua rerum, confragoſa complanat, implicita explicat. Hic ille eſt, in cuius virtute lucet dignitas principis, & maieſtas Reipub. vniuerſæ. Huius item ſollertia & felicitas eſt pars, ſæpe origo, ſæpe cumulus ſalutis & felicitatis publicæ. Eius item ſecordia & infelicitas progignit ea mala vltra quæ malum nullum eſt. Hinc datur intelligi, quàm non nouitio ac tyroni tale onus aptandum; ſed quàm ſollicitè ſit quærendus & ſtipendioſus, & multis exercitiis prætentatus; denique is qui laudes induſtriæ fideique magnis ex-

perimentis ſæpe ſociauerit, vt, quæcunque partes ei mandatæ fuerint, feliciter agat. In deligendis conditionibus huius legati, ingeniorum in primis ponendus calculus. Mala protinus reijcienda. Bona ita ſunt amplectenda, vt etiam curatè diſcernantur. Quippe acer & antiqui rigoris homo mittendus ad cerebroſos & vitiligatores. Grauis, cuiuſque nulla non ponderoſa vox eſt, ad leues & ingenio mobili; vt è tali diuerſitate legationi accedat vis, dignitas, autoritas. Porrò comis & ingenij amœni, promptæque facilitatis ad eos quibus eſt mite pectus, & hilaritas ingenua, & ſimplicitas antiqua; vt ſimilitudine virtutum arctiùs conſtringantur animi eorum ad quos itur. Mihi quidem ſemper vera prudenſque viſa eſt vox Martialis.

Martial. 8.

Principis eſt virtus maxima noſſe ſuos.

Nam è tali cognitione eſt proba lectio, haud quaquam laudum minima. Hinc, ſcilicet, ſpecitur iudicium & ſollertia, quam Vegetius tribuit Sertorio ſagaci lectori militum, & Plutarchus & alij Alexandro qui dicitur honoraſſe Craterum, amaſſe Epheſtionem, dexteritatem Ptolemæi ſuſpitionibus aſperſiſſe; denique ab turbidis ingenijs Arrij & Pythonis ſolerter ſibi cauiſſe. Sic Auguſtus trutina iudicij principalis ſingulos amicorum anxiè penſauit. Nam *Lepidum dixit capacem imperij, ſed aſpernantem, Gallum Aſinium auidum & minorem. L. Arruntium non indignum & ſi caſus daretur, auſuram.* Vt enim curioſitas priuata plerunque eſt à malignitate, ita principalis à ſumma cura ſummaque prouidentia. Lumina principis inconniuiuæ vigiliæ addici oportet, vt, quacunque patet imperium eius, nemo homo ſit, cuius non abdita, intimoſque prope dixerim, mentis receſſus introſpiciat. Certè ſi habet ad manum omne genus ingeniorum, oppidò vti eo poteſt ad omnia genera.

Veget. lib 1. cap. 7. Plutarch. Apophth. Aelian. Var. hiſtor. lib. 14. cap. 48. Tacit. lib. 1. Annal.

negotiorum. Non de nihilò dixi omne genus; quia perſæpe principi licet ad id quod intendit ipſam adhibere prauitatem hominum, ſi modò ipſe eſt probus. Neque ideo ad maieſtatem huius muneris admitto vllam ſiniſteritatem aut obſcuritatem. Sed tempora ſæpe incidunt cùm malo bonus bene vti poteſt. Integra igitur manet ſententia Iuriſperiti, qui reſpondit, *ſeruum Reipub. gratia abeſſe non poſſe; ac proinde non admitti ad officium legationis, quamuis procurator dari poſſit.* Enimuero in ſacrarium legationis ille tantùm inducendus, cui aliâ claro addita legatio ſit nobiliſſimus campus in quo veterana virtus ſeſe exerat. Certè ſi cuiuſquam ſpectatæ virtuti deeſt dignitas, & hanc princeps in honorem legationis eligat, antequam lectus legatus det ſe in viam, nouo honore honeſtatur quò conſpectior & venerabilior accedat ad exteros. Quo exemplo Zeno Imperator Seuerum virum Senatorium quem deſtinauerat legatum ad Vandilos, auxit ſumma dignitate patritiatus. Hodierno die reges Chriſtianiſſimi haud ferè cuiquam dant legationem, quin priùs eum aſſumpſerint in eum dignitatis gradum quo præfulgent ij quibus in interiori conſilio ius eſt dicendæ ſententiæ. Ne multa; dignitati muneris æquum eſt accedere dignitatem perſonæ, eam præcipuè quæ multis magniſque ſit parta meritis. In hanc ferè ſententiam Annibal Scipionem alloquutus, caſtris vtrinque producto exercitu, *Veſtri quoque, vt audio, patres*, inquit, *nonnihil etiam ob hoc, quia parum dignitatis in legatione erat, negauerunt pacem, Annibal peto pacem.* Ac ſi dicat, Ego ille Annibal toties victor pacem peto. Vide quàm ſis conſulturus rei Romanæ, ſi eam non impetro. Nempe ij legati, quibus ex virtute partum eſt multum claritudinis, aure audiuntur intentiore, & efficaciori petitione oppugnant & expugnant animos

L. vlt. ff. de reg. iur.

Marci. ecl. legat. 69.

Liu. lib. 30

hominum. Certè talibus nunquam ſine rubore denegantur conſueta, ipſaque adeò impetratu ardua. Quæ prærogatiua nequaquam illorum eſt qui etiam latent in numero; quibuſque nulla præcedens virtutis opinio ſubmouit ſuſpitiones illorum qui adeuntur. *Plutarch. Phoc.* Antipater admirator Phocionis, Omnia, inquit, à nobis tibi præſto adſunt, ea ſi exemeris quæ teque noſque perdent. Sollerter *Zoſim. lib. 4.* Antiocheni, atque vt decuit doctos homines. Nam vltimum vrbis ſuæ fatum, minimùm grande malum deprecaturi apud Theodoſium, in eam legationem elegerunt Libanium illum ſophiſtam, cuius ea tempeſtate facundia clara pollenſque fuit, & Hillarium quemdam nobilitatis præcipuæ & eruditionis eximiæ. Horum legatorum admiratio ceſſit in ſatisfactionem. Nam Theodoſius Antiochenis placatus, ſi credimus Zoſimo; ſi ſcriptoribus *Niceph. lib. 12. cap. 43.* hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, laus exorati principis tota eſt Flauiani epiſcopi. *Procop lib. 3. bel. Goth.* Totilas cùm bello circummurano vrbem premeret, vt cōſpexit Pelagium diaconum ab obſeſſis legatum adſe, præcepta oratione, Nemo, inquit, neſcit lege barbarica legatos haberi præcipuo cultu. At ego quos virtus eximios facit, qualis tu es, etiam veneror. Haud abſimile illud Ioannis epiſcopi *L. Inter. in fi. C. de ſum. trin. & fi. cath.* Romani ſcribentis Iuſtiniano, *Præterea*, inquit, *ſereniſſime principum, laudamus legatorum veſtrorum perſonas Hypatij & Demetrij fratrum noſtrorum, & coëpiſcoporum noſtrorum, quos clementiæ veſtræ gratos fore ipſa manifeſtauit electio. Nam tantæ cauſæ pondus nonniſi perfectis in Chriſto potuiſſet iniungi. Tanta verò pietatis, tantæ reuerentiæ plenos affatus niſi per amantes minimè dignaremini deſtinare.* Romæ in libertate nunquam alijs legationes datæ, quàm ipſis ſenatoribus. Semel, quod meminerim, *Liu. lib. 4.* equitibus; ſed, nimirum, ſubigente neceſſitate; & *vt adijcerentur ſenatoribus in legationes eas, quæ circa omnes populos dimittebantur ad coëmendum frumentum.*

Enimuero regnantes, vt ſupra dixi, ad hoc munus eligunt nobiliſſimos eoſdemque præſtantiſſimos. Nam ſi promiſcuè, ſi ipſis vilibus & parum idoneis legatio datur, & negotium videtur ſperni; ſimulque ij qui mittuntur ludibrijs obijci. Neque mirum ſi tales legati domum ſe receptant inglorij. Memorant hiſtoriæ ſacræ ſcriptores, *cùm ab Arrianis & Catholicis qui Arimini conuenerant, ſeparatim miſſæ eſſent legationes ad Conſtantinum; à noſtris in eo grauiter peccatum, quòd in eam legationem lecti ſunt homines adoleſcentes, parum docti, & parum cauti. cùm ab Arrianis miſſi eſſent callidi, & ingenio valentes.* Adnotauit Gellius ex Aſia miſſum eſſe qui per id tempus magiſtratum non cœperat, adoleſcentem pro legato. *Is*, inquit, *in lectica ferebatur. Ei obuiam bubulcus de plebe Venuſina aduenit. Et per iocum cùm ignoraret qui ferretur, rogauit num mortuum ferrent. Vbi id audiuit, lecticam iuſſit deponi. Stuppis quibus lectica deligata erat, vſque adeò verberari iuſſit, dum animam efflauit.* Sic ſolent iſti nouitij nulla experientia, multa immodeſtia. Ergo & in danda legatione ſpectatur ætas illa, quæ longa rerũ experientia ſubnixa nihil tale audeat quale auſus eſt iſte multę temeritatis, pariſque crudelitatis adoleſcens. Certè Plato in ſuis legibus inſtituitquoſdam morum inſpectores ſiue vniuſcuiusque ingenij exploratores, quos vult eſſe maiores annis quinquaginta; neque aliter ad publicum munus peregre mitti. *Romæ*, inquit M. Tullius, *erant leges annales; quæ grandiorem ætatem ad conſulatum conſtituebant adoleſcentiæ temeritatem veritæ. Itaque ætas conſularis erant anni tres & quadraginta. Tanta tamen ſemper fuit prærogatiua virtutis, vt in quibus hæc emineret, horum ætatem non ſibi expectandam cenſerent. Nam & adoleſcentes facti ſunt Conſules, vt antiqui illi Rulli, Decij, Coruini, ſuperior Affricanus, ac T. Flaminius, multique alij.* Ea re ſupra adnotabam, legatos dictos fuiſſe πρέσβεις tanquam πρεσβευτὰς ſeniores, natu grandiores, ſi minùs annorum, at ma-

Seuer. Sulpit. ſacr. hiſt. lib. 2.

Gell. lib. 10. cap. 3.

Plato lib. 12. de leg. to. 3. 951.

Cic. Philipp. 5. orat. 48. 415.

turitatis & probitatis prærogatiua. Et hæc de ætate legati mihi obiter dicta ſint. Cæterùm quod pertinet ad legati ignobilitatem, ſupra quod ſatis eſt, dixi. Sordium animi eadem eſt ratio. Certè multa exempla priſca & hodierna hiſtoria ſuppeditat, quibus fides fit, tantam eſſe legationis dignitatem, vt nihil ſibi diſſimile admittat. Valentinianus, vt vidit Sauromatum legatos ſordidiores, iræ properus, tum ingenti vocis contentione ſolutis venis, diſruptiſque arterijs, vitæ conceſſit. Hæc Valentiniani tanta indignatio hinc certè fuit, quòd is Romano more rem omnem expendens ita cenſuit, tali miſſu Sauromatas videri deſpectare culmen imperatorium, nec tantum principem pro modo Romanæ maieſtatis colere. Nimirum ad efferas & inhoſpitas gentes vix vnquam Romana celſitudo alios mittebat quàm eos quos dixi vocari nuntios, qui potiùs iuſſa principis expedirent, quàm vlla beneuolentiæ argumenta ad tales perferrent. Quam ad rem maximè pertinet inſignis locus in eclogis Priſci. Theodoſius miſerat Bigilam & Maximinũ ſuos ad Attilam legatos. Solus Bigilas eius arcani conſcius erat quod legationi cauſam dederat, non item Maximinus, cui literæ ad Attilam perferendæ datæ. Literæ grauem Imperatoris expoſtulationem cum Attila continebant. Sed is Maximinus, vbi Attila has literas perlegiſſet, iuſſus eſt hæc illi proprio ore edere, Non ęquum facis cùm petis mitti ad te legatos maioris loci. Neque enim ea ratio cum maioribus tuis, qui Scythiæ imperarunt, vnquam vſurpata. Quippe eas legationes obuius quiſque obire ſolitus ſiue miles ſiue nuntius. Cæterùm quibus poſtulandi ius non eſt, prohibentur legatione fungi. Et arena miſſum non iure legatum eſſe, diui Seuerus & Antoninus reſcripſerunt. Si gladiatores, ſi viles & deſpecti procul arcentur à legatione municipali, & à ſacrarijs huius muneris, multò magis improbi. Et verò Athenis oratores lege

Socr. lib. 4. cap. 26. Sozom. lib. 6. cap. 36. Paul. Diac. lib. 12.

Eclo. legat. Priſ. 35.

Marcian. lib. 4. ff. de leg.

Æſchin. Timar.

lata repelluntur à legationibus, ij qui patria bona glutierint, quiue ſunt infames ob corpus proſtitutũ. † Ἄν τις Ἀθηναίων ἑταιρήσῃ, μηδὲ τοὺς πρεσβεύσαντας κρινέτω, μηδὲ συκοφαντείτω μισθωθείς, ait Æſchines. Syracuſani, ait Socrati Heraſiſtratus, Athenas miſerunt legatos qui aliqua fraude Athenienſes inuoluant. In his oſtendit illi vnum, quem firmauit eſſe omnium Siculorum Italorumque ditiſſimum. Quali, inquit Socrates, eſt hic vir exiſtimatione in Sicilia? Hic? reſpondit Heraſiſtratus, omnium & Siculorum & Italorum magis eſt peſſimus quàm ditiſſimus. Quemuis Siculum interroga, Non alterum hoc peiorem dixerit. Videant hîc & principes & rerum publicarum moderatores, quali fidei rem ſuam committāt. Nam quicquid legatus prauitate deliquit haud magis recipit emendationem quàm ipſa aduerſa præliorum. Quid ergo cum legatione illis eſt qui miſerrimo famulatu, & flagitioſis obſequijs, & mentitis ſtudijs, quæ obtrudunt pro virtutibus, liguriunt ſplendidiſſimas curationes, & negotium omnium maximum? Quid mirum, ſi initia infelicia conſequitur euentus luctuoſus? ſi talium dedecorum haud multo poſt pudet, piget, pœnitet? Sic lubet iſtis negligentibus & perperis electoribus peſſimis exemplis publicam rem ludificari; vt hanc quoque laudem, ſi poſſint, vel illi præripiant Antonino Heliogabalo, illi ſacerrimo omnium mortalium, qui ſciens volensque odio, inquam, & contemptu Reipub. è ſumma fece eligebat quos veheret ad ſumma. Ingemuimus & luximus cùm vidimus legationes & magiſtratus proijci in impuriſſimum quemque. Nec falſi fuimus, ſed nimium veri, cùm diximus, hinc fore commiſſa irremeabilia, & vulnera inſanabilia. Hæc certè querela nobis tandem relicta eſt,

† Οὓς δ' οὐκ ἂν εἵλεσθ' οὐδ' ἂν οἰνόπτας πρὸ τοῦ
Νυνὶ στρατηγοὺς λεύσομεν. ὦ πόλις πόλις
Ὡς εὐτυχὴς εἶ μᾶλλον ἢ καλῶς φρονεῖς.

† Si quis Athenienſium quæſtum corporis fecerit, neque præconis, neque legatimunere fungatur; nec legatione functos ei accuſare ius ſit, aut calumniari mercede cõductum.

Plato in Eryxia. to. 4. 392. & ſeq.

† Quos nequidem œnoptas, hoc eſt cœnæ magiſtros quidem creaſſent antea, nunc exercitui præfectos videmus. Heu ciuitas ciuitas, vt fortunata es magis quàm pulchrè ſapis.

Herodian. lib 5.

Athen. lib. 10.

Sic ergo ſtatuendum, legationem non alijs dandam quàm ijs, quos antiquitas vocauit impetrabiles, hoc eſt, qui vi virtutis, & dignitate perſonæ cauſam quãuis arduam, reddant vincibilem. Huiuſmodi fuerũt priſci illi plebis reductores in vrbem L. Valerius & M. Horatius; tum Vlyſſes & Aiax miſſi ad Agamemnonem. Enimuero quantum momenti ſit in meritis ac dignitate illius, cui datur legatio, ſciri poteſt ex eo, quod ipſi magni reges hoc munus quandoque mandant ipſis fratribus ſuis, vt Cotij Mithridates ad Claudium. Etſi id regi haud proſperè ceſſit. Nam Cotis violata legatione, & fratre prodito, loco eius factus eſt Iberiæ rex. Ægypti quoque Rex Comanum & Ptolemæum fratres elegit in eam legationem quam miſit ad Senatum. Eumenes Attalum fratrem miſit ad eundem Senatum, qui reſponderet criminationibus Pruſiæ. Suſiorum Rex ab rege Aſſyriorum miſſus fuit legatus ad regem Bactrianorum. Langobardi & Obij fuſi fugatique ad Alionbaſum Pæoniæ præfectum legatum mittunt regem Ballomarium. Hìc obiter fateor, mirari me, planeq; neſcire, quid ſibi velit Ariſtides vbi ait, Mardonium Athenas miſiſſe præconem, qui Athenienſes traheret in ſocietatem belli, † ὁ δὲ πρεσβεύων, inquit, ἦν Ἀλέξανδρος ὁ τῶν Μακεδόνων βασιλεύς. Quid? num rex commodauit operam & miniſterium ſuum præfecto Perſico? Abſurdiſſimum negotium, ſi textus eſſet integer. Ego mutilum aut deprauatum aio. Cæterùm comites principis, quæ apud Imperatores fuit altiſſima dignitas, ſæpe legationes obijſſe legimus. Præfectos item Prætorio, viros ſenatorios, conſules, patritios, vt qui eſſent omniũ ‡ ἐντιμώτατοι, vt ſupra dixi Attilam petijſſe ad ſe mitti Conſularium maximos. A' Decebalo miſſi ſunt † πιλοφόροι ad Traianũ, nempe eminentiſſimæ dignitatis homines. Ab Augusto Mecœnas & Cocceius ad componendos amicos. Ab Tiberio ſecũdo Cæſare ad Chosroem legati ſunt

Petr. Patric. ecle. leg. 14. Polyb. ecl. legat. 116. 195.

Xenoph. Inſtit. Cy. li. 2. 4. 6.

Petr. Patr. ecl. legat. 15.

Ariſtid. Them. 143. 6.

† at is qui legationem obibat, erat Alexander Macedonũ Rex.

Petr. ecl. legat. 15.

Horat. lib. 1. ſerm. ſat 5. 192.

Theophyl. de legat. gẽt. ad Rom. cap. 2. 58.

‡ honoratiſſimi.

† geſtores pileorum.

ſunt Ioannes & Petrus, qui cum Perſa deſcenderent ad pactiones pacis, præcipua, ſcilicet, virtute homines, tum ſenatoria & patritia dignitate præfulgentes. Choſroes quoque ad Imperatorem miſit Sarnachaſgarem virum in Perſica rerum adminiſtratione ſingulariter eminentem. Cornelius Tacitus ait, in Germania illos qui numero ac virtute comitatus eminēt, expeti legationibus, & muneribus ornari. Hæc de dignitate illorum qui obeunt hoc munus. Non tamen licere debet ei, qui aditur, legatos ab ſe æſtimatos, minuſque placentes reijcere aut multare; ne dum nimiùm ſeruit affectui, cogitque legationem in ordinem, largiter peccet. Lyſimachus Ariſtippo legato Ptolemæi, cuius libertate offenſus eſt, edixit ne poſt illa eò pedem referret. Huic legatus, Non faciam, inquit, niſi Ptolemæus iuſſerit. Vt enim quidam ait, *Quem miſſi præſentia parum mouet, concutiat toto pondere mittentis autoritas.* Si tamen tota legatio indignis modis verbiſque concepta eſſet, enimvero tunc legato imperandum vt properè abeat è conſpectu, nec poſt illa redeat, taliaque mandata afferat. Hac ratione Athenienſes exceperunt nuntium Mardonij. Omnino hinc princeps excipiendus eſt, qui, vtlibet, ſuarum prouinciarum legatos differt, reijcit, multat. Exemplorum vbique affatim eſt, præter quidem factum Valentis, qui oratores cuiuſdam Synodi proſcripſiſſe dicitur.

Tacit. de mor. Germ. 531.

Diog. Laert. l. b. 2. in Ariſtip.

Petr. Chryſol. ſerm. 140.

Nicephor. lib. 11. c. 4.

CAPVT XIX.

Præter illa quæ ſupra dixi, ingeniorum ſpecimina, in danda legatione vitæ inſtitutum attenditur.

QVali ingenio legatus eſſe, quæ item decora is ad tantum munus afferre debeat pro virili executus ſum. Præter iſta legatio ſuo iure poſtulat, vt,

cui datur, in eo ſequentia ſpectentur. Primùm (quod iam ſupra monui) vt eius perſona ſit illis ad quos mittitur, grata. Rectè Demoſthenes adnotauit, eum qui ſit odio, atque adeò proſcriptus ab ijs qui legatione adeundi ſunt, prudenter facturum ſi ea abſtineat. Inſpicitur etiam futuri legati inſtitutum & vitæ ratio. Nempe negotium bellicum rectè committitur illi qui ſit ſpectatus bello. Ad negotia pacis prudenter legatur is quem eximiæ pacis artes inſtruunt. Ad diſceptationes iuris, qui iuris reperitur eſſe conſultiſſimus. Ad terminandas controuerſias religionis, quæ in dies magis magiſque repullulant, non iſta neſcio quæ mendicabula genera hominum, non iſti argutuli & lingulacæ, qui plus exhibent ſubtilitatis & calliditatis quàm pietatis, ſed homines ſanctè pij, & pectoribus altis & eruditis. Ad ardua rerum paſtores hominum, quibus populi in tutelam ſe, ſuaſque ſpes ſæpe credunt. Quo exemplo priſcis ſacerdotibus frequenter datæ ſunt eæ legationes, quibus nomen erat ſacris, vt quod humanitas non obtinere poterat, religio id omne auferret impetratum. Vigentibus Ethnicorum ritibus, à talibus perſæpe trita eſt via quæ ducebat ad Pythiam, ad Hammonem, ad alia oracula. Haſce legationes qui obibant θεωροὶ dicti & Deliaſtæ. Hinc ſubijt decretum illud Athenienſium plenum fœdiſſimæ adulationis, vt qui ad Antigonum ac Demetrium decernerentur, ſacris nomen eſſet, perinde ac ſi adirent numina, non propudioſum par mortalium. Tali legatione tertiò itum eſt ad Coriolanum. Eam, ſcilicet, obibant ſacrifici, ſacerdotes, æditui, augures inſignes ijs ornamentis, quibus res diuina peragitur. Similis fuit illa Elienſium ad Ariſtotimum tyrannum. Prorſus ad hunc modum à Veſtalibus itum eſt ad Primum Antonium. Priſca Chriſtiana pietas Epiſcopis nihil quicquam putauit eſſe conuenientius, quàm ipſos ire deprecatores publicorum malorum,

Demoſth. de fal. leg. 216.

Plutarch. de for. aut virt. Alex.

Plutarch. Demetr.

Liu. lib. 2.

Plutarch. decl. mul.

Tacit. hiſt. lib. 3.

& quantum polleant non concitandis turbis experiri, ſed efficacia precum, mitigandis ferociorum animis. Hæc fuit cauſa legationis ſuſceptæ à Iuſtino ad Antoninum Pium, à Magno epiſcopo Berrhææ ad Choſroem, à Reparato præſule Carthaginienſe ad Gilimerem, à Sueuis ſacerdotibus ad Theodericum; ab epiſcopo Meliternæ & Archiepiſcopo Antiochiæ ad Choſroem; à Flauiano Archiepiſcopo ad Theodoſium iuniorem; ab epiſcopis miſſu Magnentij ad Conſtantium; à Theophilo Indo iuſſu Conſtantij ad gentes orientales; ab Vphila epiſcopo Gothorum ad Valentem. Ergo ſacerdotes & Epiſcopi eas tantùm legationes obeunt quibus negotium pietatis, & Chriſtianæ miſerationis cauſam dedit. Inter huius generis legationes illa referri poteſt qua functus eſt Epiphanius Epiſcopus Ticinenſis miſſu Theodericiad Gundubadum, qui Gallijs præfectus erat, nempe ad redimendos captiuos, *quorum innumerabilem prope multitudinem ſuæ reuerentiæ conceſſam recepit.* Extat & Athenagoræ legatio obita, ſaltem ſcripta pro Chriſtianis M. Aurelio Antonino, & L. Aurelio Commodo Imperatorib. Ad hôc exemplum Theodahadus & Gudelina epiſcopos de pace legarunt ad Iuſtinianum. Ipſe adeò Agapitus Epiſcopus Romanus à rege Italiæ Theodato ad hunc ipſum Iuſtinianum legatus eſt. Innocentius & poſtea Leo hoc ipſo ſacerdotio præfulgentes, ille ad Honorium, qui tunc Rauennæ erat, hic ad Attilam miſſi. Ioannes Papa cum quibuſdam alijs miſſus eſt ad Iuſtinum. Ipſe Pontifex Max. priſco more eligit epiſcopos in omnes ferè eas legationes, quas dimittit per vniuerſam Europam. Hoc more Hormiſdas miſit Capuanum Epiſcopum ad Iuſtinum. Idemque Euodium Ticinenſem Præſulem cum alijs ad Græcum Imperatorem Anaſtaſium. Neque verò prætereunda celebrata illa Catholicorum legatio deſtinata ad

Procop. li. 2. bel. Perſ.
Procop. li. 2. bel. Vand.
Theophyl. lib. 4 hiſtor.
Iornand. de reb Get.
Zonar. Valentin. iun. et Theodoſio.
Nicephor. lib. 2. ca. 48.
Caſſiodor. Var. lib. 10. ep. 19. & 20. in fi. & 22. in fi.
Paul. Diac. lib. 16. 299.
Zonar. in Iuſtin.
Paul. Diac. lib. 17. in Iuſtin. 302.
Zoſim. li. 5.
Iornand. de reb. Get.
Paul. Diac. lib. 17.
Gregor. Mag. refer.
Zon. in Valente.

eum, quem dixi, Valentem Imperatorem, quam obijt ſacra cohors octoginta ſacerdotum; Qui omnes iuſſu principis Arriani cum ea naui, qua vecti fuerant, flammis abſumpti. Meminit & Zonaras inclytæ illius legationis qua functus eſt Baſilius Magnus, & quidem inſignitæ ingenti miraculo. Vt ad haſce legationes admitto ſacerdotij dignitate conſpicuos homines, ita tam venerabiles perſonas excludo omnibus illis negotijs quæ nihil pertinent ad officia pietatis, cuiuſmodi fuit illa legatio quam ſuſcepit Petrus Epiſcopus, cùm ab Amorceio latrone veriùs quàm principe aut rege miſſus fuit ad Leonem Imperatorem. Semper hoc genus hominum indecorè, ſemper fœde obit contentioſas; ſemper impiè illas quibus compoſita turbantur, & concordia diſſoluitur. Tam ſceleſtos concitores Martis Procopius memorat fuiſſe duos ſacerdotes Ligures, quià Vitige pretio corrupti, ad Choſroem legatione ſuſcepta, Perſam impulerunt in bella Romana. O vtinam ſoli eſſent; vtinam laboraremus inopia recentium exemplorum; nec noſtra nobis otia eripuiſſent teterrimi quidam ructus extremi barathri, qui itionibus & reditionibus homines conijciunt in eas turbas vnde emergi non poteſt. Turpium legationum eadem ratio. Hæ enim non modò non ab Epiſcopis, ſed ne ab vllo quidem cui ſit purum pectus, iniri debent. Num quicquam inquinatius legatione illa Smyrnæorum, qui caſtris apud Sardeis poſitis, auſi ſunt per legatos petere vxores oppidanorum ad ſtuprum, & abuti ſacro munere ad fœditatem?

Ecl. Mal. Rhet. de legat. 73.

Procop. li. 2. bel. Goth.

Plutarch. in parall.

CAPVT XX.

Quandoque neceſſitas ijs legationes dari iubet qui nullam Reipub.partem attigerunt,ne fœminis quidem exceptis.

INciduntſæpe tempora cùm hæc otioſè ſpectari nequeunt,fruſtraque quæritur is qui nuſquam reperiri poteſt.Tunc,ſcilicet, ex ijs qui ſunt ad manum, properè adſumitur quia non potis eſt maximè idoneus,ſaltem minimè ineptus;ſi non eximium nomen, at tolerabile.Prudentes neminem ſorte æſtimant,ſed moribus & ingenio.Ipſe honor ac dignitas virtutem, vbicunque ei latere lubet, anquirunt; ac vix detinentur apud indignos niſi inuitiſſimè. Ad hoc exemplum legationis excelſum munus ſagaciter odoratur induſtriam ſiue medici,ſiue rhetoris, ſiue grammatici.Aliquot huius rei exempla referre minimè piget. Rhodiorum Reſpublica nihil verita eſt ad Caſſium legare Archelaum quemdam,qui Rhodi ludum literarium exercuerat.Euphronius priùs filiorum Antonij ſpei admotus, poſtea ab Antonio & Cleopatra legatus fuit ad Octauium. Ioannes Singellus qui rudimentis adfuerat iuuentæ Theophili, ab eo miſſus eſt ad Agarenos. Athenienſes Athenionem quemdam ſophiſtam,miſerũt ad Mithridatem; Attalus rex ad Senatum Cratem neſcio quem grammaticum. Rhodij Molonem rhetorem ad Senatum de ſuis præmijs dictatore Sylla. Antiochus ad conuentum legatorum totius Græciæ Ptolemæum rhetorem. Inter panegyricos extat is qui Flauenſium nomine dictus eſt Conſtantino Auguſto à rhetore illius ciuitatis; cuius hæc potiſſimùm ſunt verba. *Gaudiorum patriæ meæ nuntium ſponte ſuſcepi, vt eſſem iam non priuati ſtudij literarum,ſed publicæ gratulationis orator.* Eumenes Ro-

Appian. Alex.lib. 4.bel.ciu.
Plutarch. Anton.
Zonar.
Theophil.
Athen.lib. 5.
Sueton.de Illuſtr. grammat.
Cic. Bruto 614.
Polyb.ecl.legat.147.
In panegyr. 218.
Menand. ecl.legat.87. & 140. & 141.

Procop. lib. 2 b:. Perſ. Theophyl. de legat. Rom. ad gent. cap. 4. Guagn. in Lud. XI.

mam legauit ſuum medicum; Tiberius iteratò Zachariam, Sophia vxor Iuſtini Theodorum, Iuſtinianus Stephanum ad Perſas legatos miſerunt aulicos medicos maximis de rebus, hoc eſt de pace. Ludouicus vndecimus rex Francorum ad Mariam principem Belgarum Oliuerium Danum

Quo tondente grauis ſibi regi barba ſonabat.

Nempe cautus rex diffidentia primorum ſollerter dedit legationem homini fidei expertæ; Qui certè eam non dehoneſtauit, ſed hominem induſtrium, etſi nouum, nobile munus nobilitauit. Hinc eſt, quod, vt ſupra dicebam, & ipſis exulibus quandoque legationes datæ, vt illis Græcis, à Comano & Cineo ad Antiochum; à Perſeo rege Pleurato Illyrio & Apuleo Macedoni, ab ipſo Perſe Glauciæ vni è ſuis ſatellitibus. Hinc ſcire licet, hominibus cuiuſuis ordinis & inſtituti ſæpe dari legationes, ijs, ſcilicet, in quibus elucent præcipuæ legatorum dotes. Certè non dignioribus dari poſſe conſtat, quàm ſapientiæ profeſſoribus, ſi eam moribus præſtant. Et verò Athenis, vbi tanquam in excelſis cęli mœnibus, habitabant omnis humani diuinique iuris conſultiſſimi homines, grauiſſimæ legationes philoſophis, hoc eſt ſapientiæ præcepta tradentibus, docentibus, morum caſtitate, & vitæ ſanctitate, repræſentãtibus dari ſolitæ. Scipione & Lælio *adoleſcentibus*, inquit Cicero, *Stoicum Diogenem, & Academicum Carneadem video ad Senatum ab Athenienſibus miſſos eſſe legatos. Qui cum Reipub. nullam partem attigiſſent; eſſentque eorum alter Cyrenæus, alter Babylonius, nunquam profectò ſcholis eſſent excitati, neque ad illud munus electi, niſi in quibuſdam principibus, temporibus illis, fuiſſent ſtudia doctrinæ.* Adeſt quandoque tẽpus, cùm ipſas fœminas patriæ charitas excit ad hoc munus. Prodeſſe enim Reipub. (cautum modò ſit pudori & verecundię ſexus) non ſolùm priuatim, ſed & publicè poſſunt, ac nõ fœmineis tãtũ, ſed & virilibus virtutibus publicam rem promouere. At, in-

Polyb. ecl. legat. 146. Liu. lib. 33. 126. Polyb. ecl. legat. 139.

Cic. lib. 4. quæſt. Tuſcul.

quiunt, fœminæ publicis muneribus abſtinere iubentur. Quis negat? Sæpe tamen talia accidunt, quæ quamlibet fiant contra leges & conſuetudinem, tamen ſalutariter fieri conſtat, atque adeò non alia mente quàm vt leges & conſuetudines ſuo loco ſint. Gentium monumenta legenti talia ſæpe ſunt obuia. Cùm in prælio aduerſus Volſcos res Romana laboraret, ibique eſſet vt terga hoſtibus darentur, Sex. Tempanius decurio, quamuis Conſule præſente, magna voce exclamauit, vt equites qui ſaluam Rempub. vellent eſſe, ex equis deſilirent. *Sequimini*, inquit, *pro vexillo cuſpidem meam. Vadit altè cuſpidem gerens. Quacunque incedunt, vi viam faciunt.* Num hic virtute tam feruida, tam prompta & opportuna interrogari potuit maieſtatis, quòd præſente Conſule, cuius erant & faſces & imperium, tantum facinus auſus ſit? An non & illud contra leges, quod Liuio Decius Conſul lictores dat, iubetque eſſe Proprætorem? Non ergo dubium quin quandoque res bona geri poſſit exemplo ſalutari, etſi per ſe non probabili. Pari propemodum ratione ſæpe neceſſitas publicè iubet mitti fœminas ad coniunctas ſanguine perſonas, quarum vix quiſquam conciliator eſſe poteſt idoneior quàm matres, ſorores, filiæ. At non honeſtantur appellatione legati. Quis hoc dicit, præter vnum te, quiſquis es qui hoc negas? cui datur munus, huic nomen auferetur? quid ineptius & abſurdius, quid item iniquius? *Liu. lib. 4. 267.* *Liu. lib. 10. 622.*

Mittite me Danai, inquit Briſeis, *dominũ legata rogabo,*
Miſſaque mandatis oſcula multa feram. *Ouid. ep. 3.*

Huc Cerelia, ait M. Tullius, *miſſa ab iſtis eſt legata ad me.* *Cic. ad Att. lib. 14. ep. 15. 458.* An non & Virgines Veſtales cùm literis à Vitellio ad Antonium ſcriptis ſolenni ritu miſſas legimus? *Tacit. hiſt. lib. 3. 460.* An non & ille Sabinarum interuentus & concurſatio inter præliantes populos illi ſexui parum conueniens *Xiphil. Vitel. 201.* omni legatione plus potuit? Quid dico? Quin hîc audimus Halicarnaſſæum, qui diſertim Sabinas legatione functas ait? † γ[illegible]εἶναι δὲ μετὰ τοῦτο δόγμα τοιόνδε *Liu. lib. 1. & Halic. lib. 2.* *Halic. lib. 2.*

† factũ poſt hæc decre-

βουλῆς, ὅσαι τοῦ Σαβίνων γένους ἦσαν ἔχουσαι τέκνα, ταύταις ἐξουσίαν αὐταῖς καταλιπούσαις τὰ τέκνα παρὰ τοῖς ἀνδράσι πρεσβεύειν ὡς τοὺς ὁμοεθνεῖς. Tu hanc negas eſſe legationem. At Halicarnaſſæus multo luculentior & prudentior Hercule ſcriptor quàm tu affirmat. Tu poſtulas vt tua, homo nouitię, autoritas apud nos potior ſit quàm illius? Non publicè, nec publico, inquis, & ſolenni ritu fuerunt miſſæ. Quis dici poteſt ſolennis miſſus ſi non is cuius Senatus auctor fuit? At apud quos miſſæ? non apud hunc opinor aut illum; ſed nimirum apud vniuerſam gentem. Hoc enim ſignat illud τοὺς ὁμοεθνεῖς. Quid item illis mandatum? Nimirum, reconciliatio duarum gentium Romanæ & Sabinæ. Quicquid hìc eſſe potuit priuati officij, cedit publicæ autoritati. An vſque eò apud te leuia ſunt autor legationis, ſolenne mandatum, cauſa non ſpecioſa ſed neceſſaria, perſonæ vtriſque coniunctiſſimæ? Quin tu potiùs diſcis propriè cum antiquitate & Latine loqui, quàm tuis ſenſiculis elidere ſenſus verè Romanos? Audi quid de hac ipſa Sabinarum legatione alibi ſcribat hic ipſe Halicarnaſſæus; Verba ſunt Valeriæ alloquentis Veturiam matrem Coriolani. Si filium in vrbem reduxeris, ipſa immortalem gloriam conſequere ob ereptam tanto periculo patriam, & nobis apud viros maior erit honos, bello ſummoto quod ipſi nequiuerunt repellere. Ac cenſebimur poſteritas & progenies illarum quę ſub Romulo bellum Sabinum legatione ſua ſubmouerunt, conciliatiſque ducibus ac populis vrbem hanc ex parua magnam fecerunt. Adſunt ergo duæ legationes fœminis datæ. Etſi ſcio Valeriam apud Plutarchum dicere hoc fieri nullo decreto Senatus. Qua in re Plutarchus Liuium, Halicarnaſſęus alios autores ſequutus eſt. Lycophron filius Periandri, Herodoto autore, ſedulitate optimę ſororis patri tandem reconciliatus eſt. Vt tibi dem hunc fuiſſe inſtinctum genuinę charitatis & ſororię verius quàm legationem, tamen vtrinque res acta mandatu

tum Senatus, vt quotquot Sabinis eſſent liberi, his, relictis apud maritos pueris, liceret legatione fungi, ſiue legationem ſuſcipere apud populares.

Halicarn. lib. 8. antiq. Rom. 518.

Plutarchus. Coriol. 418.

Herodot. lib. 3.

mandatu, ſine quo optima hæc fœmina operam luſiſſet. Quid expectas ſolennia vbi ipſa res agitur, & vbi effectus loquitur? Bellerophon interceſſione mulierũ Xanthiarum Xanthijs ignouit. Non hæc legata fuit quæ cunctæ ciuitati veniam impetrauit? ſi quod viri non poterant fœmina præſtitit? Hinc lex, credo, ſingularis, atque æternus honor ſequioris ſexus apud Xanthios, apud quos filij matrum, non patrum nomina ſortiuntur. In hoc albo ſcribenda illa quam paulò ante nominaui, mater Coriolani Veturia, virgo Pieria, matronæ ad Conſtantium oratrices miſſæ vt Liberium pontificem patria pulſum patriæ redderet. Facetè quilibet precator vocatur legatus, ſiue orator; cuiuſmodi eſt Plautinum illud, *Plutarch. de clarismulieribus.* *Theodor. lib. 2. cap. 17.*

Nunc ego de ſodalitate ſolus ſum orator datus
Qui à patre eius conciliarem pacem.

Et illud Ouidij ad Meſſalinum. *Ouid. de Pont. lib. 2.*

Mandatique mei legatus ſuſcipe cauſam.

Nec ſimpliciter precatori, ſed quicquid aptum eſt conciliandis animis, amoribus, voluntatibus, ei rei & ſcitè & eleganter legati nomen aptatur. Itaque imaguncula lutea apud Lucianum legati munere fungi, aut legatus eſſe, apud Apuleium Pſyche Veneriam legationem apud Proſerpinam pertuliſſe dicitur. Eiuſdem ferè laſciuiæ eſt illa Antonij legatio ad Cleopatram, vtrique lenocinante Athenienſium decreto, cuius decreti ille amator factus eſt perlator & legatus, poſtquam ſcilicet Athenienſe ciuitate donatus fuit. Patheticè quoque infantes ad ſuos miſſi dicti ſunt legati. Hypſipile ſcribens Iaſoni ſe geminum partum edidiſſe, *Lucian. philopſeud. 537.* *Apul. lib. 6. 59.* *Plutarch. Ant. vol. 3. 1274.*

Legatos, inquit, *quos pene dedi pro matre ferendos.* *Ouid. in epiſt. Hypſ. Iaſ.*

Huiuſmodi eſt illud,

——meliuſne hic ruſticus infans *Iuuen. ſat. 10.*
Cum matre & caſulis & cum luſore catello
Cymbala pulſantis legatus fiet amici?

Illi quoque qui pro ſuo grege aut cœtu, quiſquis is

eſt,& communi nomine quidpiam aliquem rogant, apud hunc quodammodo legatione fungi dicuntur. Sic loquitur ille ſiue ſatyrus, ſiue incubus, qui obuiam factus eſt Antonio. Nam ab ipſo quiſnam eſſet interrogatus, reſpondit, *Mortalis ego ſum, & vnus ex accolis eremi, quos vario deluſa errore gentilitas faunos, ſatyroſque & incubos vocans colit. Legatione fungor gregis mei. Precamur vt pro nobis communem Deum depreceris.* Non omitto, Eunuchis, quamlibet ſemiuiris ſæpe dari legationes; qualis illa quæ miſſa fuit ab Conſtantino ad Honorium. Sed certè illis quibus virilitas adempta, virtus relicta. Quid, quod rexerunt exercitus, & maxima quæque imperij munia iſtis mandari antiquitus vſitatum? Etſi res indiligentiùs intuenti videtur eſſe perridicula. Huc pertinet illud,

Hieron. epiſt. lib. 3. in vita Pau. Erem. 278. 6.

—trabeata per vrbes
Oſtentatur anus, titulumque effœminat anni.

Claudian. in Eutr.

Sed certè ſic nati præter ſolitum aduertuntur; vt Dorotheus ille, qui hoc ſolo quod exectus erat, admiſſus à Diocletiano in interiorem amicitiam fuit, atque adeò tingendæ purpuræ præpoſitus. Qui honor ea tempeſtate magnus. Et Cyrus eunuchos iudicauit eſſe præcipua fide, ob eas cauſas quæ memorantur à Xenophonte. Themiſtoclem memorat Polyænus miſiſſe Sicinnum quemdam Eunuchum pædagogum filiorum ſuorum ad regem Perſarum magna de re, quæque victoriam peperit. Magna, inquit Plato, fuit apud Perſas eunuchorum dignitas, inde quod id enixè agunt, vt pueri futuri regis membra ita forment, vt is pulcherrimus euadat.

Niceph. lib. 6. cap. 35. Zonar. lib. 1.

Xenoph. inſtit. Cy. lib. 7. 155.

Plato in Alcib. vol. 2. 121.

CAPVT XXI.

Legatio nititur mandatis. Mandata dantur verbo aut ſcripto. De vtriſque hîc agitur.

QVod militi arma, & gubernatori clauus hoc ſunt legato mandata. Mandatum eſt anima legationis. Cùm enim legatus definitè dici poſſit is, per quem commeant ſermones imperiorum, cuiuſque miniſterio publicorum negotiorum hinc inde ratio completur, certè ipſi & dicenda & facienda indita eſſe oportet. Ergo vt intra priuatæ ſortis homines mandata domeſticis, ſic inter principes Reſque publicas publicis vſibus inuenta ſunt. Inter vtroſque vt ſit quò vicaria fides & induſtria dirigatur. Vulgus trito nomine vocat inſtructionem. Hæc eſt aliud nihil, niſi libellus ſiue Commentarius, quo princeps aut ciuitas rem omnem quæ legationi cauſam dedit, vt geri vult, aperit. Quippe lecto legato aut retegitur omnis res, aut pars tantùm, aut certè omne tegitur negotium, mittiturque ad aliud dicendum quàm id quod reuera agitur, vt aſſumpta hac ſpecie ij ducentur ad quos mittitur. Neque verò hoc facto arguitur dubia aut ſuſpecta fides legati; ſed videlicet prudentes ſubſeruiunt ingenio negotij, quod ſæpe tale eſt, vt ſolam deſideret notitiam mittentis, non item eius qui mittitur. Huic enim obtruditur palpum; & innocuo decipulo fides eius ac taciturnitas illigatur. Nam quæ vera eſſe credimus, in hæc & acriùs & intentiùs incumbimus, quàm in ea quibus nubem obijci ſuſpicamur. Quæ cùm ita ſint *ſæpe reges eos Per quos fallere alium cogitant, Fallunt.* Huic ſimulationi vt non auſim aſſignare locum inter virtutes, ita à malis artibus & obſcuris ſegregandam puto. Illas dico, quas iſti doctores ſatoreſque fraudum, qui *Sen. Thieſte.*

principum familiaritatibus adrepunt, eorum animis inſtillant. Hinc, ſcilicet, formantur pectora ſinuoſa & latebroſa, quę non modò non ſunt domicilia virtutis, ſed mera conceptacula prauitatis. Hinc vultus compoſiti & laruati, in quibus eminet illud neſcio quid aut falſum ridens, aut ſæuum renidens. Hinc verba eluctantia, vixque exeuntia, dubia, maligna, documenta eorum affectuum qui vix vnquam veri, vix vnquam non adumbrati. Hactenus mihi probatur ſimulatio, vt tempeſtiuè abſcondat affectus; non vt è principe ingenuo faciat captatorem, ex Hercule Acheloum. Ergo quicquid princeps ab ſuo legato apud exteros tractari vult, ſiue verum, ſiue ſimulatum, id omne vult ſcire eum, cui omne negotium apud exteros committit, nempe legato ſuo. Huic, inquam, is ſuos edit ſenſus aut ſcripto aut verbo. Neque tamen illi eſt interpres ſimulationis ſuæ, ſed quod ipſe verè ſimulat aut diſſimulat, hoc ſicuti verum, nec fucatum aut perſonatū expromit & indit legato ſuo, quem vult eſſe miniſtrum huius ſiue ſimulatio eſt, ſiue diſſimulatio. Hoc ergo facit duplici ratione. Nam aut ſuas cogitationes, id eſt, quo modo rem omnem peregre tractari velit, commentario quo mandata continentur, credit, aut ſuper ea re nihil ſcribi vult, ſed ipſe verbis tantùm ſua mandata illi edictat cui legationem dat. Hac ratione vtitur, cùm quædam vſque eò ſunt arcana, vt ne chartæ quidem credi poſſint ſed tantùm pectori fido, ſiue honeſta ſunt, ſiue dedecora. Talia quia ſine ſcelere cogitari nequeunt, ne ſcribi quidem ſine rubore poſſunt. Atque adeò hæc illa ſunt quæ non eſſe exequenda cenſet apud Euripidem Creon rex Thebanus.

Euripid. Phœniſſ. 122.

† πῶς; τἄρτι ταλεχθὲν οὐ δίκαιον ἐκπονεῖν;

Ant. οὐκ, ἢν πονηρά τ' ᾖ, κακῶς τ' εἰρημένα.

† Quomodo? mandata nō æquū eſt perfici? non ſi ſint mala & perperam dictata.

Cætera omnia ſcriptis mandatis continentur. Sæpe tali loco res eſt, vt ſuper ea nihil certi ſcripto comprehendi poſſit, ſed, videlicet, mittitur legatus ex

re conſulturus. Quod ipſum ſcripto diſertim contineri debet. Id quod huc pertinet, vt legatus intelligat, omne momentum rei arduæ niti ſua prudentia. Hanc legationem Græci vocant † αὐτοκράτορα; eosque legatos quibus dantur tam libera mandata, αὐτοκράτορας, † τουτ' ἔστι κυρίους πάντων. Tales legati ferè mittuntur re ſumma in ſummum diſcrimen adducta. Tunc mandatis continetur aliud nihil, quàm vt legatus vti facto opus erit ita agat. Quæ quilibet videt quàm periculosè dentur alijs quam his, qui quantum poſſunt tantundem ſapiunt, & quicquid habent poteſtatis reddituri ſunt intemeratum. Dantur & ad longinqua negotia, quorum omnis procuratio poſita eſt in prouidentia legati, & in celeritate. Ne ſi ordo ampliſſimus, aut princeps conſulatur, decreta eius è remotis terrarum ſpatijs poſt res & occaſiones afferantur. Atque hoc quidem mandatum, quantumlibet laxum, hominem pudentem arctiùs adſtringit, acrem vehementius irritat, prudentem acriùs expergefacit, ſtrenuum etiam acuit, atque adeò multò magis, quàm ſi ſingula ordine ei præſcripta ſint. Quippe hi ſunt ei ſtatuti termini, ingenium principis, cui ſatisfacere in primis arduum eſt. Legato enim ad regiæ, publicæue voluntatis interpretationem dirigenda ſua ſententia eſt. Adeſt & ſalus publica credita ſuæ virtuti & fidei. Poſtremò, quod omnium maximum eſt, ſua fama & exiſtimatio, præ qua ſapientibus omnia ſunt vilia. Sed de hiſce mandatis infra dico vberiùs. Quæ mandata ſcripto continentur, horum alia ſunt aperta, alia clauſa. Aperta ſæpe rem, vt eſt, eloquuntur; ſæpe diſſimulanter ſcribuntur. Illud, ſi bona fides, hoc ſi fraus affertur ad exteros. Nam quia ſæpe mandata, vt infra dicam, proferuntur, nimirum ita ſcribuntur, vt quiſquis illa inſpexerit, huic glaucoma ob oculos obiecta ſit. Magnis vtique imperijs parum honeſtum eſt talia mandata legatis dare; aut ab ſuis legatis fraudulenter

† ſummæ poteſtatis.

† hoc eſt omnium potentes.

edita ita probare, vt appareat eos, quorum legatio eſt, nulla re magis gloriari quàm artificioſè decepto illo qui cum ipſis res eſt. Huius generis legationem obierunt Martius & Attilius legati Romani. Dixerunt enim, Regem Perſeum adeò *apparatibus belli fuiſſe inſtructum, ipſis nulla parata re, vt omnia opportuna loca præoccupari ante ab eo potuerint, quàm exercitus in Græciam traijceretur. Spatio autem induciarum ſumpto, venturum illum nihilo paratiorem. Romanos omnibus inſtructiores rebus cæpturos bellum. Bœotorum quoque ſe concilium arte diſtraxiſſe, ne coniungi amplius vllo conſenſu Macedonibus poſſent. Hæc*, inquit Liuius, *magna pars ſenatus approbabat.* Tunc tamen Romani aliquot ſenatores *veteres & moris antiqui memores negabant ſe in ea legatione Romanas agnoſcere artes. Et contraria iſtis protulerunt exempla maiorum.* Talia denique dixerunt eſſe verſutias Punicas, & calliditatem Græcam, apud quos fallere hoſtem quàm vi ſuperare glorioſius fuerit. Certè hodie parum ſuæ mentis eſſe cenſeatur is, cuius tam caſta ſint conſilia, & qui ſua ad tam ſeueræ probitatis regulam dirigat. Nulli ſe iactantiùs efferunt, quàm verſuti & vulpiones quidam omni fraude fraudulentiores. Mala & captioſa mandata proximo interuallo ſequuntur abſurda & inepta, de quibus hæc M. Tullius, *L. Cæſarem vidi Minturnis ad VIII. Kal. Febr. mane cum abſurdiſſimis mandatis, non hominem, ſed ſcopas ſolutas. Vt id ipſum mihi ille videatur irridendi cauſa feciſſe, qui tantis de rebus huic mandata dederit. Niſi fortè non dedit; & hic ſermone aliquo arrepto pro mandatis abuſus eſt.* Occultis mandatis arcanum legationis continetur. Hæc legatus inſinuat, ac nulli mortali oculo ſubijcit niſi ſuis. Quandoque ne ſuis quidem niſi certa lege. Talia Hamilcar, cùm claſſe nauigaret in Siciliam, dedit nauium gubernatoribus, & quidem ſignata; addito ne quis legeret, niſi vi tempeſtatis à curſu prætoriæ nauis abductus eſſet. C. Marius COS. bello Cym-

Liu. lib. 32. 44.

Cic. ad Att. lib. 7. epiſt. ep. 12.

Frontin. c. 1.

Frõtin. Stra.

brico & Teutonico *ad excutiendam Gallorum & Ligurum fidem literas eis miſit, quarum pars prior præcipiebat ne interiores, quæ præſignatæ erant, ante certum tempus aperirentur. Eaſdem poſtea ante præſtitutum diem repetijt. Et quia reſignatas repererat, intellexit hoſtilia agitari.* Talia acceperunt M. Manilius & L. Marcius Cenſorinus COSS. miſſi in Africam ad tertium bellum Punicum. Talia legati ab Senatu miſſi in Græciam ad diſſoluendum corpus Achæorum. Talia in pugillaribus exarata & obſignata Gordianus ſenior miſit Vitalliano. Cæterùm tam aperta quàm occulta huc ſpectant, vt pernoſci poſſit mens eius, cuius eſt legatio. Ergo legato, priuſquam det ſe in viam, mandata legenda ſunt & relegenda. Atque adeò princeps aut apertè eſt interrogandus, aut frequenti, quoad eius fieri poteſt, congreſſu id electandum quod is fortè altiùs penitiúſue condidit; dum hoc aut illud ſibi minùs eſſe perſpectum futurus legatus aut fatebitur, aut diſſimulabit. Princeps quidem & Reipub. formidat, & legationem amat, ſi legato idemtidem ſubijcit quid quoque loco ac tempore acturus, dicturuſue ſit. Iuſſis & mandatis Agamemnonis Neſtor addidit frequentes nutus, hoc eſt, ſedulos fideleſque monitus, quibus ſagax Vlyſſes princeps legationis ab illo ſacrario prudentiæ diſcebat quî animus Achillis flecti poſſet. Placidè tamen ſingula ſunt rogitanda & ſimpliciter. Adeò vt emineat ſtudium fidelis obſequij, non moleſta & arrogans curioſitas; atque appareat illa fidis auribus excipi, non captari animo ſitiente nouitatis. Denique nihil eſt vltra expiſcandum, quàm quod geſtus & verba extimè monſtrant; Aut certè altior intellectus ſedulò diſſimulandus, ſi quid eſt quod princeps abdere nititur. Ergo non eſt legati ſcire quid princeps promere velit, quid premere; ſed hoc ſolùm, quid ſe dicere, quid facere iubeat, vt ex præſcripto & animo imperet, & linguæ temperet. Cætera quæ princeps abſtruſus vult eſſe

[…]tag. lib. 1. cap. 2. — *Appian. Alex. Liby.* — *Liu. lib. 25.* — *Herodian. lib. 7.* — *Homer. Iliad. 1.*

clauſa, improbè tentantur, & inlicitè attentantur. Tam impudenter curioſi, tamque ſiniſtrè ſollertes id agere videntur, vt onerent ſimplicitatem atque adeò arguant ſocordiam principis, à quo ita circummuniri adytum pectoris nequitum eſt, quin perrumpetur. Huius exprobrationis ſumma fortuna intolerans eſt.

Tractari vulnera noſtra timent.

Vt enim potentia & opibus, ſic opinione ſapientiæ principes tument. Chorus apud Sophoclem prudenter ait, ſe non videre facta principum. † ἃ γὰρ δρῶσ᾽ οἱ κρατοῦντες οὐχ ὁρῶ. Neque tamen cùm occultiora ſectatus fueris, ideo adſequare. Cor regum, ait Salomon, eſt inſcrutabile. Atque adeò quàm non ſint retegenda illa, quæ princeps vult eſſe tecta, in ipſis priſcarum fabularum inuolucris explicitum eſt. Nam & Thamyris à Muſis, & Tireſias à Pallade excæcati ſunt. Marſias ille hiſpidus & multibarbus ab Apolline excoriatus; & Lini temeritas morte punita. Argus ille totus oculeus iuſſu Iouis à Mercurio ad necem lapide ictus dicitur. Cupreſſi filię Eteoclis ſuo magno malo ſunt expertæ quid ſit certare cum Deabus. † ὅς κεν ἴδῃ γυμνὰν τὰν πολιοῦχον Τῶργος ἐσαψεῖται πανυστάτιον. Et paulo poſt, ὅς κέ τιν᾽ ἀθανάτων ὅκα μὴ θεὸς αὐτὸς ἕληται ἀθρήσῃ μισθῷ τοῦτον ἰδεῖν μεγάλῳ. Vni Paridi vidiſſe Deas impune fuit, quòd iudex electus fuerat. Ion ille apud Euripidem viſo neſcio quo ſplēdore, ait,

† φεύγωμεν, ὦ τικοῦσα, μὴ τὰ δαιμόνων
ὁρῶμεν, εἰ μὴ καιρός ἐσθ᾽ ἡμᾶς ὁρᾶν.

Homerus ait, Deos eſſe graues cùm manifeſtè apparent. Actæon ille ſemel tictus, ſæpe pictus quia mortali viſu nudam virginis Deæ pulchritudinem temerauit, ſenſit ſe ſtultiuidum, ac

—didicit cum morte Deam.

Nam aut mors fuit, aut quidpiam tetriùs morte, obbruteſcere; Contra quàm fuit prioribus ſæculis. Nam tunc quidem.

Ouid. lib. 2. de Ponto.
Sophocl. Oed. tyr. 174.
Prouerb. cap. 25.
Homer. Iliad. 2. & ibi interpr.
Callimach. hym. εἰς λουτ. τ. Παλλ. 44.
Lucian. in dial. Deor.
Conſtant. Cæſ. lib. 11. cap. 5.
Callimach. hym. in bal. Pall. 42.
Lucian. in iud. Vni Dear. 33.
Euripid. Ione actu 5. 591.
Iliad. 20. 737.
Claudian. de gigantom.

† quæ faciunt potētes non video.

† quiſquis Palladem viderit nudam tutelarem Deam, Argos poſtremùm videbit.

† quiſquis quempiam immortalium, niſi Deus ipſe velit, cōſpexerit, magno ei ſtabit.

† fugiamus ô mater, ne quid numinum cernamus cùm minùs tempeſtiuum ſit cernere.

Non

Non fuerat nudas pœna videre Deas. *Propert. lib. 3.*

Eadem illorum ratio eſt qui vident mortales Deos, id eſt, qui nimis introſpiciunt facta principum, mala potiſſimùm. Ouidius de ſe.

Inſcia quòd crimen viderunt lumina plector, *Ouid. lib. 3. de triſt.*
Peccatumque oculos eſt habuiſſe meos.

Et antiquitùs ſi alicui ſpecies humana auguſtior fortè viſa fuerat, is pio ſaltem voto ſe ſe expiabat, vt docent hæc verba Senecæ, quæ etſi ſunt de diuinis numinibus, tamen & ipſis mortalibus aptari poſſunt, hoc eſt regibus & principibus viris. *Si quis viderit hanc faciem altiorem, fulgentioremque, quàm cerni inter humana conſueuit, nonne velut numinis occurſu obſtupefactus reſiſtat; & vt fas ſit vidiſſe tacitus precatur?* Huc pertinet argutia Vitellij ex quo cùm Caligula quæſijſſet, an non ſe reiectum in gremium lunæ, eiuſque amplexibus inligatum vidiſſet, Non alijs, ait Vitellius, quàm vobis cæleſtibus licet vos mutuò aſpicere. Et verò cæleſtis propemodum dignitas fuit concumbere cum Deabus, pauculiſque conceſſa, videlicet Peleo, Anchiſæ, fortè & Alexandro illi pſeudomanti qui ſe apud Lucianum hac felicitate donatum gloriatur. Ne Herculi quidem illi Iouis ſemine ſuſcepto, quamuis inſtanti, ſe Iupiter, qualis eſt oſtendit; ſed capite arieti dempto, eiuſque villis circumamictus. Sic principes non aliter videri volunt, quàm qua forma ſe ſe aſpiciendos præbent. Quiſquis oculis emiſſitijs abdita ipſorum recludit, hic ſuo malo nimium vidit. Quædam ſapienter neſciuntur. Huic curioſitati affinis eſt temeritas dicam, an ſtoliditas illorum, qui, ſicuti geſtent animum tuum, planè ſciunt quid velis, priuſquam tu, cuius res agitur, eam eloquutus fueris. Prætulerim haberi in percipiendo cunctator, atque, vt ita dicam, marmoreus, quàm cereus. Mihi placet lenta ratio, eademque vera, recta, ſolida. Iſta ingenia rapida, atque vt curſores, expedita deprehenduntur inefficacia. Contra

Sen. epiſt. 115.

Lucian. Alex. pſeud. 559.

etiam vitanda eſt nimia ſecuritas & indiligentia, veracia ſigna hominis improuidi, & ingenij ſegnis & ſocordis. Cæterùm ſæpe fit, vt quod princeps planè & apertè eloquutus eſt, id velit diſſimulanter edi atque aſtu tractari apud exteros. Tunc tota ironia reſidet penes legatum. Ad hoc exemplum Iuſtinianus Alexandrum legauit ad Amalaſſuntham, vt omnibus apud eam diligenter exploratis, ſibi is fideliter quo loci res eſſent, renuntiaret. Voluit tamen eum aliud prætexere, & ita legationem propalam edere, ſicuti neſcio quas iniurias queſtum iiſſet; taliaque non vera, ſed in ſpeciem quæſita. Et Sylla Quæſtor in Africa legatus à Mario ad Bocchum *pauca ſe ait coram aſperè locuturum; cætera occultè, aut quam pauciſsimis præſentibus.* Sic ſæpe vera mandata coram fucantur, clam nudantur, vt alibi dico. Porrò futurus legatus non contentus accuratis colloquijs cum principe habitis, poſtulabit, quicquid id eſt negotij ſcripto comprehendi; Eumque libellum per capita diſtingui, & ea capita perſcribi planè & perſpicuè. In hoc ſit oculatus ne quid verbi dubij, obſcuri, perplexabilis ibi inſeratur. Quidam principes vt verba callidè expendunt, ita habent ad manum ſcribas, qui ea more Sphingis ita nectunt, vt ad ardua rerum inſuper accedat obſcuritas verborum. Quo artificio ipſi, videlicet, ſibi cauent; vt, cùm libitum fuerit, & perplexari, & ſuam autoritatem defugere poſſint. Nam quid dictum ſit, quid indictum, in ſua manu ſemper habent, ex euentu rem probaturi aut improbaturi, prout conduxerit. Quo machinamento ſpecioſè euertuntur illi, quibus auerſa principis voluntas dat legationes odioſas, arduas & periculoſas, vt hac ratione his fama priùs eripiatur, mox fortè & vita. Quo dolo quicquid immeritis accidit & innoxijs, id ipſi ſua culpa ſibi contraxiſſe videri poſſunt. Nam crebris caſibus longinqui itineris obiectantur; ipſorumque facilitas barbaræ ferociæ, cultus ruſti-

Procop. li. 1. belli Goth.

Salluſt. be. Iug.

citati, domeſticę virtutes exoticis vitijs exponuntur. Quamobrem haud paruum documentum charitatis ei exhiberi ſcriptores adnotarunt, cui datur ea legatio, in qua obeunda & magnæ, & frequentes, & faciles ſunt virtutum occaſiones, & gloriæ materia reconciliandis ciuitatibus, & componendo auerſos. Talem legationem Plutarchus vocat πρεσβείας † φιλανθρώπους. In primis moneo legatum, vt ad illa mandatorum capita, quibus ſubeſt quidpiam ſcrupuli, ſua manu inſertim ſcribat, Quid, ſi hoc illudue aut acciderit, aut reſponſum, obiectumue mihi fuerit? Quibus dictis, quibus factis, quo me pacto extricabo? Quid hæc ſibi volunt? Nam etiam parum accipio. Ad ſingula ſibi reſponderi poſtulabit; eaque reſponſa inibi ſcribi plane & probe. Poſtremò quicquid in negotio difficultatis latet, euoluet, ne poſtea princeps mandatorum huc illuc trahat interpretationem, prout libuerit; atque vt proſpera agnoſcet, ita abnuat aduerſa. Mandatis adduntur literæ, quibus aſſeritur fides & autoritas dictorum factorumque legati. Vulgo ſunt literæ fidei & credentiæ, quæ ijs redduntur qui adeuntur. Mandata manent apud legatum. Non moneo literis eſſe ſubſcribendum. Neque enim ſcripſiſſe dicitur is qui non ſubſcripſit. Tiberius, *cùm Rhodiorum magiſtratus literas publicas ſine ſubſcriptione ad ſe dediſſent, iuſſos ſubſcribere remiſit.* Sæpe literis tota legatio continetur. Tales Valentinianus miſit ad Theodericum regem Veſegothorum, quibus Attila inceſſitur. Qui mos tunc potiſſimum vſurpatur cùm legatio mittitur ad querendum & expoſtulandum; eſtque & ſenſibus implexis & verbis perplexis. Tali enim re legatus eſt ἐπιστολεὺς talium legationum, & quidem ſcriptarum perlator. Huius generis fuit legatio Vandalorum, Sueuorumque regum. Hi enim Honorio his verbis ſcripſerunt, *Tu cum omnibus pacem habe, omnium obſides accipe. Nos nobis confligimus. Vicimus tibi. Tuæ erit*

† humanitatis plenâ.

Plutarch. in polit. præcep. 6.1446.

Sueton. in Tiber.

Iornand. de reb. Get.

Paul. Diac. lib. 14. 284.

quæſtus Reipub. ſi vterque pereamus. Talium literarum multa extant exempla in publicis monumentis. Nonnunquam pars tantùm legationis literis continetur, pars editur ore legati. Huius generis illa eſt quam Theodoſius iunior miſit ad Attilam de qua

Priſci ecl. legat. 35.

ſupra aliquid dixi. Nam literæ imperatoris hoc loquebantur, Non æquum eſſe, ab Attila violari fœdera, Romanamque ditionem incurſari. Perfugas præter eos qui iam traditi eſſent, ſeptemdecim miſſos. Nec enim eſſe plures. Hæc inquam, literis continebantur. At Maximinus legatus ſuo ore iuſſus eſt, Attilæ dicere, Ipſum non æquum facere, qui petat ea quæ ſupra retuli. Præter literas legato traduntur characteres, & notæ quædam, ſiue ſiglæ, hoc eſt figuræ indices literarum, nominum, verborum, rerum, coërcendæ curioſitati interceptorum. Quæ ſcribendi latebra eſt priſcum inuentum; atque adeò imitamentum eorum, quæ veterrimis Ægyptiorum fuerunt hieroglyphica; quibus illi craſſa, quod aiunt, Minerua ſenſus mentis effingebant. Quippe non deerant qui ſe peritos ferebant interpretandarum huiuſmodi notarum.

Nicephor. lib. 10. c. 26. *Nicephor. lib. 12. c. 30.* *Ammian. Marcell. lib. 12.* *Veget. lib. 2. cap. 19.* *Xenoph. hiſt. Græc. lib. 3.* *Thucyd. lib. 1. & ibi interpre.* *Æmil. Prob. Pauſan. 1000.*

Tales fuerunt illi Græci, qui inuento ſigno crucis inſculpto ſaxis, vitam æternam ſignificari dixerunt. Huiuſmodi notis vſi ſunt priſci Chriſtiani vitandis hæreticorum fraudibus, & conſcientia. Sic natus & adultus mos furtiui huius ſcribendi generis, quæ noſtris fuerunt literæ ignorabiles, quandoque Notæ. Harum inuentorem fuiſſe Mecœnatem tradidit Dio in Auguſto. Græcis ſunt ἀπόῤῥητα, quales quædam literæ, vt T quod nomini militis appoſitum eum ſuperſtitem ſignificabat, ꝯ verò mortuum. Hanc peritiam Vegetius deſiderat in milite tyrone. Huic vſui inuenta † σκυτάλη Lacedæmoniorum. Nam in ſcutale ſcribebant quicquid cuique collubitum eſſet. Hac ratione Spartani magiſtratus Pauſaniæ ſcripſerunt, niſi domum reuerteretur, ſe

† bàculus.

eum capitis damnaturos. Fuerunt & pugillares Demarati, ſagitta Artabazi, tela Cleonymi, epiſtolæ occultatæ balteo, pecoribus inſutæ, iumentis infultæ, interiora vaginarum inſcripta, vtres Luculli, plumbum, & columbę Hircij, Hiſtięi ſeruus raſus, lac tithymale, *cortex fagorum tiliæ abietis, piceæ, in quo recenti inciſæ literæ à ſucco*, hodie charta feneſtrata, & alia nupera inuenta. Harum notarum familiaris eſt vſus ducibus exercituum, & moderatoribus rerum publicarum. M. Tullius ſe † διὰ σημείων ſcribere teſtatur. Viuaciſſimum certè inſtitutum. Quod ad artificium ſummæ ſolertiæ perductum eſt. Nam à quibuſdam haud minori facilitate ſoluitur contextus harum ſiue literarum ſiue notarum, quàm qua ſolertia inuentæ ſunt. Quæ omnia adeò ſunt protrita, vt de his quoque extent libri, & quidem grandes & ponderoſi.

† per ſigna.

Plutarch. in Alcib. & Lyſ. Herodot. lib. 7. inſi. & lib. 8. Frontin. ſtrateg. lib. 3. cap. 13. Gell. lib. 17. cap. 9. Sueton. in Caſ. Plin. lib. 28. cap. 28. Plin. lib. 16. cap. 9. Cic. ad Att. lib.

CAPVT XXII.

Ad ſecuritatem legationis maximè pertinet, nunquam mitti eam niſi explorato, priuſque impetrata fide publica.

VT in bellum miſſo duci non ſatis eſt delectum propere habuiſſe, ſi non rectà ducit in expeditionem, ita nequicquam is cui legatio datur, & accuratè lectus, & mandatis inſtructus eſt, ſi non quo mittitur tempeſtiuè it. Iuriſconſultus reſpondit, *legato tempus prodeſſe ex quo creatus eſt*, vt is intelligat priuilegio adiunctam derepente curam, atque ex quo legatus eſt, dies legationi impendi oportere. Vt cætera omnia, ita quoque tempus profectionis legati eſt in arbitrio mittentis; quia ſtatim ire ſæpe eſt rem conficere; tardè, eam habere derelictui. Quoties deſidia laxando tempora corrumpit opportunitates, vnà

Scæuola l. 4. D. de leg.

cenſetur cum perfidia. Hanc tam prauam negligentiam legatis ab Senatu ad Achæos & Lacedæmonios deſtinatis obijcit Pauſanias ſæpe querulus aduerſus Romanos. Demoſthenes ait, nulla re quoſdam magis conuinci poſſe, omnia ſe pro Philippo agere, quàm ex eo quod, cùm feſtinandum eſſet, deſederunt. contra, cùm non eundum eſſet, ante reditum caduceatoris qui præmiſſus fuerat, redire feſtinarunt. Legatos ignauos & hebetes & ſomniculoſos Græci, vt hoc obiter dicam, vocarunt ἀγγάρους. Omnino in legato potiſſimùm commendatur diligentia. Legati miſſi ad Iugurtham triduò nauim aſcendêre. Et Homerus legatos Agamemnonis non pigrè diſcedentes, ſed è tentorio regis proruentes facit.

Pauſan. lib. 7. — *Demoſth. de fal. leg.* — *Etymol. ἀγγαρεύω.* — *Salluſt. Iug.*

† Αὐτὰρ ἐπεὶ σπεῖσάντ' ἔπιον θ' ὅσον ἤθελε θυμὸς
Ὥρμωντ' ἐκ κλισίης Ἀγαμέμνονος Ἀτρείδαο.

Iliad. 1.

† Sed poſtquam libauerunt, biberuntque quantū voluitanimus, Ruunt ex tentorio Agamēnonis Atridæ.

Priſca lege cautum eſt, *vt imperia, poteſtates, legationes cùm Senatus creuerit, populuſque iuſſerit, exeant ex vrbe.* Itaque acceptis mandatis, ponenda omnis cunctatio, & iter ingrediendum. Niſi fortè itur ad hoſtes, aut fidei incognitæ; ad quos legati ſocorditer pergunt inexploratò, vt ſupra monui. Omnino ad tales præmittendi ſunt ij, quorum miniſterio legationi ſecuritas impetratur. Qui ſunt caduceatores ſiue præcones de quibus dixi; tum viæ ductores, cùm eundum eſt ad longinquos & ignotos. Cùm legati Candaces reginæ Æthiopicæ negarent ſcire ſe quis Cæſar eſſet, & quà ad ipſum iretur, Petronius dedit illis comites viæ peritos. Fateor, ad quos primùm legati mittuntur, vt Pompeius dixit in Senatu, ijs videri autoritatem attribui, timoremque eorum, qui mittunt, ſignificari. Nempe argumentum eſt aut iam victi, aut de victoria deſperantis vltro cum hoſte adire ad pactionem. In hanc ferme ſententiam Cicero, *Nemo quæret*, inquit, *quibus cum mandatis legatos miſerimus. Nomen ipſum legationis vltro miſſæ timoris eſſe ſignum videbitur.* Sed videlicet, humana Deus artat, laxatque.

Cic. lib. 3. de leg. — *Strabo lib. 17. 778.* — *Cæſ. lib. 1. bel. ciu.* — *Cic. Philip. 5.*

Ea re neceſſitati ſæpe applicanda conſilia. Atque inter tot ludibria præſtat precando ſeruari, quàm ferociendo perire. Magnis crebriſque vicibus humana variantur. Ideo quæcunque ſors obtigerit, hæc læto vultu excipienda. Ezechias Rex Iudæ nihil ſanè veritus ne ſuus metus hoſti eſſet occaſio audaciæ atque ſæuitiæ, non priùs legatos miſit ad eum populantem omnem agrum Iudaicum, quàm facultate eius rei per caduceatores impetrata. Hac ipſa de cauſa Homerus legatis tribus ad Achillem miſſis addit caduceatores Odium & Eurybatem. *Iliad. 9. 313.* Idem prope Athenienſes vſurpaſſe memorat Demoſthenes, Pſophidios Polybius, alios alij. *Demoſth. orat. 2. περὶ παραπρεσβ.* Si hæc eſt cauſa legitimè imperantium, videant illi quid agant, cùm ad intentatos mittunt legationes ij qui in hoc tantum ius mittendæ aut excipiendæ legationis venerunt per ingentia crimina de quibus ſupradixi; vt de Spendio & Autarico latronibus non ducibus memorat idem Polybius. *Polyb. lib. 4.* *Polyb. lib. 1.* Cæterùm hic eſt ille ipſus mos qui à priſcis reis fuit vſurpatus. Nam à Telamone Æaci filio ad patrem miſſus eſt caduceator, per quem is vocem aduerſus obiectum ſibi crimen impetraret. *Pauſan. lib. 2.* Superſedeo ſimilibus exemplis, quibus planum fit, omni tempore id actum, vt ne legati ignorarentur; ſed ſi non ſemper optati, at expectati aduentarent. Ideo quibus præmittendi caduceatores nulla facultas fuit, vt obſidione preſſi, ſignis egerunt. Antenor iuſſu Priami, non priùs iuit ad Græcos cum mandatis belli ponendi, quàm ex muro legationi ſignum oſtendit. *Dictys Cretenſ. lib. 4.* Id ſigni antiquitùs erant elatæ dextræ è pinnis protenſæ, quibus pax ſuppliciter petebatur. Quæ eædem in ſequenti ætate inter exercitus mittebantur ſigna concordiæ. *Xenoph. lib. 6. Cyrop.* Id vſurparunt Iudæi à Tito obſeſſi, & Gothi à Beliſario. *Zonar. de bel. Iud.* *Procop. lib. 2. belli Goth.* Hoc ipſum ſignificarunt floreæ corollæ, quibus redimiti Allobroges Alpini propinquanti Annibali obuiam proceſſerunt. *Polyb. lib. 3.* Quæ montanis hoc fuerunt quod cæteris gentibus caduceum, aut quicquid eſt loco ca-

ducei. Signa citerioribus ſæculis ferebant ipſi legati, qui ſicuti ſupplices de pace mittebantur. Ea erat ἱκέτηριν, hoc eſt, ramus oleæ velatus lana, etſi quandoque Græcis ἱκέτηρίν fuit palma φοῖνιξ.

Centum oratores auguſta ad mœnia regis
Virgil. Æneid. 7. *Ire iubent ramis velatos Palladis omnes.*

Tanquam impium eſſet hoc cultu duritiem hominum non frangi, aut non ſæuitiam mitigari, qui numina placaret. Nempe hic erat ornatus illorum qui facturi rem diuinam accedebant ad aras Deorum.

Nec pietas vlla eſt velatum ſæpe videri
Lucret. l. b. 5. *Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras.*

Similiter Tibullus,

Tibull. lib. 2. *Cernite fulgentes vt eat ſacer agnus ad aras,*
Vinctaque poſt olea candida turba comas.

Et Statius,

Stat. lib. 12. Theb. *Ipſa manu ramoſque oleæ, vittaſque precantes*
Tradit, &c.

Et Lucanus.

Lucan. lib. 3. *—Cultuque inſigne verendo*
Vittatæ laurus, & ſupplicis arbor oliuæ.

Et alibi,

—hoſtemque propinquum
Orant Cecropiæ prælata fronde Mineruæ.

Et hæc quidem fuit ἱκετηρία geſtamen legatorum ſupplicantium. Cuius loco ij qui à maximis imperiis mittebantur ad minora & inſeruientia, qui nihil rogabant, ſed veriùs omnia iubebant, priſco more centurionum more quãdoque geſtarunt vitem; vt de Popilio memorat Polybius. Ipſa quoque legatorum capita moris fuit coronari verbenaca, vt monui in Coronis. Taliſque legatio, vt ait Herodes, inter ipſos hoſtes erat veluti quædam pacis ſequeſtra. Nempe hoſtem exuiſſe creditur is, qui, quòd ſe conciliatorem pacis profitetur, tam venerabili cultu procedit. Legatis Romanis data eſt veſtis candida, vt infra dicam, præter annulos aureos. *Credo*, inquit, *Plinius quoniam*

Polyb. in ecl. legat. 159. Coron. lib. 4. cap. 19. Hegeſipp. lib. 2. cap. 36. Plin. lib. 22. cap. 2. Plin. lib. 33.

ita

etiæ cæterorum honoratiſſimi intelligebantur. Quæ omnia, videlicet, ſucceſſerunt in locum caducei. Eaque re latinè etiã dicta cerycia. Hodie vt multa præclara, hæc quoque deſueta; quorum, ſcilicet, omnium vicem præſtat teſtimonium fidei publicæ, quod diplomate continetur. Noſtris eſt ſaluus conductus, qui omni tempore ſapienter petitur, vt iter & tutò & commodè, & ex dignitate explicari poſſit. Adhibetur & autoritas communium amicorum. Et id priſco more. Nam Cæſar ait, ſe *P. Vatinium miſiſſe ad ripam fluminis Apſi, qui ea, quæ maximè ad pacem pertinere viderentur, ageret; & crebrò magna voce pronuntiaret, liceretne ciuibus ad ciues de pace legatos mittere; quod etiam fugitiuis ab ſaltu Pyrenæo, prædonibuſque licuiſſet.* Porrò hæc facultas mittendæ legationis petenda ab ijs eſt qui proximas prouincias obtinent; vt à Mario data eſt regi Boccho, à Pæto Varſaci. Ætolorum legatis denuntiatum eſt, *vt ſi qua deinde legatio ex Aetolis niſi permiſſu Imperatoris, qui eam prouinciam obtineret, & cum legato Romano veniſſet Romam, pro hoſtibus omnes futuros.* Vt enim hoſtilis legatio inexploratò miſſa non violetur, tamen ægrè admittitur. Non admitti eam, aut admitti legibus iniquis, ingens dedecus eſt, parque damnum. Certè vtrinque aſperantur animi, vtrinque denuntiationibus agitur, mox armis. *Cùm legati Iurguthæ Romam aduentarent, Senatus à Beſtia conſultus eſt, Placeretne eos recipi mœnibus. Patres decreuere, niſi regnum ipſumque deditum veniſſent, vti diebus proximis decem Italia decederent. Conſul Numidis ex Senatus decreto nuntiari iubet. Ita infectis rebus illi domum diſcedunt. Q. Fuluius Gillo legatus Scipionis Carthaginienſes Romam adduxit. Quibus vetitis ingredi vrbem hoſpitium in villa publica, Senatus ad ædem Bellonæ datus eſt.* Legati Ætolorum hoſtium *infecta pace dimiſſi, vrbe eodem die, Italia intra quindecim dies excedere iuſſi.* Hac ratione hoſtium confidentiæ conſtantia ſapienter opponitur; eripiturque eis occaſio triumphandi

Marcian. l. 8. ff. de diuiſ. rer.

Cæſ. lib. 3. bell. ciu.

Salluſt. Iug.
Tacit. lib. 15.
Liu. lib. 27.

Salluſt. Iug.

Liu. lib. 20.

Liu. lib. 27.
Dio in ecl. legat. 377.

ex aliena ſocordia. Hinc priſcus mos non intromittendi legationes hoſtium in vrbem, tanquam ad ſpeculandum veriùs miſſas, quàm ad præſtandam bonam fidem. Hoc exemplo legati Carthaginienſium iuſſi ſunt manere extra vrbem. Et legati Perſei *renuntiare regi COS. Pub. Licinium breui cum exercitu futurum in Macedonia. Ad eum ſi ſatisfacere in animo eſſet, mitteret legatos. Romam quod præterea mitteret non eſſe. Neminem eorum per Italiam ire liciturum. Ita dimiſſis*, inquit Liuius, *P. Licinio COS. mandatum, intra vndecim dies iuberet eos Italia excedere. Et Sp. Caruilium mitteret, qui, donec nauem conſcendiſſent, cuſtodiret.* Pari ſeueritate Athenienſes dimiſerunt Perſicam legationem. Abſtinendum hoc tanto dedecore, & irritamentis cladiũ. Eſtque ſciendum, legationem nunquam eſſe mittendam ad hoſtes, aut ſuſpectos, dubioſque, aut odia maligne occultantes, niſi priùs impetrata fide publica ea ratione quam ſupra dixi. Quòd ſi de communi negotio adeunda eſt gens fera & fallax, non ſolùm fide publica, ſed hercule, & acceptis obſidibus ſibi cauendum; Ne ſpecie aliqua fraudi præmiſſa retineantur legati; eorumque intuitu cogamur ad iniquas conditiones. Exemplum tantæ perfidiæ perfidioſiſſimi Arabes ab ſe peti voluerunt. Ad horum principem Aaronem Irene & Conſtantinus legatos miſerant, qui cum ea gente, quæ imperij quietem ſollicitabat, de pacis conditionibus agerent. Barbari barbara fraude cùm nondum obſides, vti conuenerat, dediſſent, legatos in cuſtodiam tradiderunt. Quæ res adegit imperatorem & matrem ad eas leges quæ Aaroni placitæ ſunt, quantumlibet iniquas. Nam otia deceptis vendidit quanti libuit.

Appian. in Liby.
Liu. lib. 32.
Ariſtid. πανάθην. 15.
Zonar. in Ir. & Conſtant.

CAPVT XXIII.

Qui legati propriè violari dicantur, qui non.

QVæſtio peruulgata magis eſt quàm deciſa, An qui legatum, quem lex nominat ſacroſanctum, euntem aut redeuntem pulſauerit, rerum fidem rupiſſe videri poſſit, ac proinde lege Iulia maieſtatis, ac de vi teneri. Huius quæſtionis pondus facilè excipiet is, qui illa diſtinguet quæ indiſtincta rem turbant. Inſcienter factum eſt, aut ſcienter. Si inſcienter, inſcientiæ culpa penes ipſos eſt, aut reſidet penes legatum læſum. Penes ipſos eſt, ſi legatus prænuntiato ſe tranſiturum, aut etiam, quod caput eſt, impetrata fide publica dedit ſe itineri. Nam licet is ab latronibus, infimæue ſortis hominibus in itinere circumuentus fuerit, ab vniuerſa gente iniuriam dicetur accepiſſe, à qua ei & irenarcha & ſecuritas præſtanda fuit. Si inſcientiæ culpa penes legatum eſt quia tacitus tranſit & occultus, ipſe palam iniquus eſt, ſi ius gentium à neſcientibus læſum queritur. Si ſcientes, hoc eſt eo animo fecerunt vt legationi impedimento eſſent, huius item facti rationem diſcrimino. Nam aut ſunt ſocij, aut hoſtes, aut neutrum; ſed aut ſociorum, hoſtiumue noſtrorum ſocij, aut hoſtes. Si cùm ſe ſocios profiteantur, nihilominus hoſtili animo tam prauum facinus fecerunt, haud dubie ſacra legationis & fas gentium, & illa ipſa iura quæ fœdus & amicitia arctiora feciſſe debuit, violata ſunt. Si ſunt hoſtes, iniquè queritur is, qui ab hoſte hoſtiliter excipitur. Quippe hoſtis nihil hoſtile ſanctum putat. Si sociorum noſtrorum ſocij ſunt, neque tamen ſocij aut hoſtes noſtri, ac legatum noſtrum ſcientes violarunt, nobis ius eſt grauiter expoſtulandi aduerſus illos, vnde id, quicquid eſt, ortum eſt. Nam

L. muneris ff. de mun. & honor.

qui eos à quibus nulla re læſi ſunt, ipſi vltro læ-
dunt, horum iniurijs generoſos acui par eſt, vt vl-
tione illarum nouis obuiam eant. Quod ſi hoſtium
noſtrorum ſocij ſunt, etiam diſtributiùs quæſtio tra-
ctanda. Aut enim eo fœdere comprehendũtur quo
dictum eſt, eoſdem vtriſque amicos & hoſtes fore.
Iſti excuſantur, ſi impedimento fuerint ei legatio-
ni quæ venit ab hoſtibus ſuorum confœderatorum.
Sibique legatus imputare debet, vt qui parum pla-
carit lares viales, ſi quorum perniciem molitur, ho-
rum vltioni obijcitur. Si eo fœdere ſuper ea re nihil
expreſſum eſt, tam violentis hominibus, & propenſis
ad lædendum ſua vis & iniuria loco reponenda. Cæ-
terùm de legatis hoſtium dupliciter cẽſeo. Aut enim
ab hoſte noſtro ad nos mittuntur; aut legationes in-
ter ipſos noſtros vltro citroque commeant. Si lega-
tus hoſtis ignoratus læſus eſt, nonniſi de ſe queri de-
bet, qui auſus ſit abſque ijs tentamentis, quæ ſupra
dixi, hoſtile ſolum ingredi. Si adgnitus, à quo pulſa-
Tompon. l. tus eſt, is haud dubiè peccauit in ius gentium. Quia
vlt. ff. de leg. legati habentur ſacri & ſancti. Vbi luſtralia circum-
geſtata fuerint, inquit Æſchines, & pro patria vota
Æſchin. in peracta, ante omnia (lex) iubet ſacrorum præſi-
Timar. 174. des primùm ſtatuere de patrijs ſacris, & caduceato-
ribus, & legatis, & περὶ τῶν ὁσίων, de ſanctis (rebus)
Sic enim malo interpretari, quàm ſequi interpretem,
qui vertit de publicis negotijs. Vide vt legatos & ca-
duceatores non ſolùm conſtituat ſacris proximos,
Cic. de verùm etiam inter ipſas res ſacras. *Sic ſentio*, in-
aruſp. reſp. quit Cicero, *ius legatorum cùm hominum præſidio*
orat. 31. *munitum ſit, tum etiam diuino iure eſſe vallatum. Le-*
478.
Cic. de orat. *gatus*, ait hic ipſe Cicero, *is eſſe debet qui non tam*
lib. 1. 323. *caduceo quàm nomine oratoris ornatus incolumis vel*
inter hoſtium tela verſari poſſit. Nempe ſi miſſus eſt
ad hoſtem. Quiſquis ergo legatum læſit impietatis
Plaut. Pan. reus eſt.

Impie ſiccine oratorem verberas?

Et hoſtibus, quorum legatio eſt, priſco more deditur. Niſi fortè illis prædictum fuerit ne legationes mitterent. Tunc, ſcilicet, qui aduerſus edictum peregre miſſus eſt non pro legato eſt, ſed pro hoſte. Abſque hac denunciatione, legato læſo læditur ius gentium. Hac tam pernicioſa mente factiſque fuerũt Gentius, à quo legati Romani coniecti ſunt in cuſtodiam; Athenienſes, qui Corcyrenſes Æginam ablegarunt, & præcones interfecerunt; Tolumnius; tum Mithridates, qui legatos Romanos trucidarunt; Arioviſtus, qui legatos Cæſaris catenis onerauit; Veneti, qui legatos eiuſdem Cæſaris necarunt; Baianus coniecto in carcerem Vitaliano interprete & Comite legato; Perſæ legatis Turcorum veneno abſumptis. Theodahadus, qui legatos Iuſtiniani carcere clauſit; Abari, qui Mezamerum occiderunt; alijque quorum enumeratio & nomenclatorem delaſſare valeat. Cum hoſtium legatis vnà cenſeo illos, qui cùm ad eam diem aperti hoſtes fuerint, animo hoſtili aut fluctuante amicitiam ſimulant. Quanquam ſi contemnendi magis, quàm timendi ſunt, ſuaſu humanitatis non pro vanis hoſtibus, vt merentur, ſed accuratè ac liberaliter haberi poſſunt. Quo pacto legati Bocchi à Sylla accepti ſunt. At qui legati inter hoſtes noſtros hinc inde commeant, ne dubitandum quidem eſt quin excipi, & ſub cuſtodia retineri poſſint, donec res omnis palam ſit, ipſique nobis proſpexerimus. Quo exemplo legati Philippi in Italiam ad Annibalem miſſi à M. Leuino Prætore intercepti ſunt. Cui cùm callido mendacio à Xenophane principe legationis os eſſet ſublinitum, eoque aſtu diremptis, quibus attinebantur, plagis, *ij redirent ad Philippum, ab claſſe Romana excepti, & ad Valerium Flaccum claſſis præfectum retracti cum literis Annibalis Romam ſub cuſtodia ſunt miſſi.* Meritiſſimò. Nam ridiculè poſtulas, vt illud ei ſit ſanctum & inuiolabile cuius in perniciem paratum eſt. Hoſtili

Liu. lib. 34.
Thucyd. li. 3.
Ariſtid. panath.
Cæſ. lib. 1. bel. Gall.
Menand. ecl. legat. 86.
Malch. ecl. leg. 59.
Salluſt. in Iug.
Liu. lib. 13.

fraudi rectè opponitur & ſtrenuitas & ſolertia, tuendæ ſcilicet, ſaluti. Factum quoque Latinorum Senatui probatum, *qui comprehenſos Volſcorum legatos Romam duxere, nihil ſanè veriti ſpecioſum nomen legationis. Ibi traditi ſunt Conſulibus; indicatumque eſt, Volſcos Hernicoſque parare bellum Romanis.* Extat & aliud ſimile exemplum apud Liuium his verbis, *Dum hæc in Lucanis, atque in Hirpinis geruntur, quinque naues, quæ Macedonum atque Pœnorum captos legatos Romam portabant, à ſupero mari ad inferum circumuectæ prope omnem Italiæ oram cùm præter Cumas velis ferrentur, neque hoſtium an ſociorum eſſent, ſatis ſciretur, Gracchus obuiam ex claſſe ſua naues miſit. Cùm percunctando inuicem cognitum eſſet Conſulem Cumis eſſe, naues Cumas appulſæ, captiuique ad Conſulem deducti, & literæ datæ. Conſul literis Philippi atque Annibalis perlectis, conſignata omnia ad ſenatum itinere terreſtri miſit. Nauibus deuehi legatos iuſſit.* Et paulò poſt, *Captiuos in vincula conditos comiteſque eorum ſub haſta* venditos ait. Quod ſi hoſtili legatione neque res noſtra ſubruitur, neque ſalus tentatur, vt ei fauere ius non cogit, ſic ei parcendum humanitas ſuadet. Neque enim iura belli dirimunt ea vincula quibus mortalium mentes natura conſtrinxit. Philippi, licet hoſtis, ad vxorem literas interceptas Athenienſes non reſignarunt, veriti Deos coniugiales, eaque iura quę non in ære legiſlator, ſed animis natura inſculpſit. Hæc eadem moderatio aduertitur in illis ipſis, quorum in euerſionem miſſæ fuerant legationes; vt in Alexandro & in Scipione. Nempe ille, capta Tyro, hic cùm Carthaginienſes aperti hoſtes eſſent, eorum legatis vterque pepercit; *addita tamen denunciatione belli quod præſentium rerum neceſſitas moraretur.* Pari clementia Beliſarius, capta Carthagine, ignouit legatis Vandilorum. Vterque ſanè præclariùs quàm Sylla, qui, captis Athenis, Ariſtonem legatum Mithridatis, qui confugerat in ædem Mineruæ, vi ex-

Liu. lib. 2. — *Liuius.* — *Plutarch. in Polit.* — *Q. Curt. lib. 4.* — *Eutrop. lib. 3. 229.* — *Procop. li. 1. belli Vand.* — *Pauſan. li. 1.*

tractum interfici iuſſit. Hæc licet in re diſperſa, ac prope infinita vno velut faſce complexus ſub vno aſpectu poſui. Quæ, ſi non me animus fallit, vera agnoſcent ij, qui vſu rerum exerciti, ſimulque lectitandis gentium monimentis eruditi rebus humanis, vt ſeſe habent, reputandis idonei ſunt.

CAPVT XXIV.

Legatio & is cuius ea eſt, violatur dictis, reſponſiſque ferocibus & contumelioſis.

QVia de violato iure gentium in perſona legatorum cæpi dicere, cætera quæ huic pertinent exequenda ſunt. Læduntur legati dictis, factis, vtroque. Dictis, ſi inclementiùs appellantur. Inde enim immane quot, qualeſque ſurgant dolorum aculei. Ob ſolam contumeliam verborum imperia ad vltionem acerrimè exardent, vt eſt vetera ſcrutanti notum. Veiens bellum motum eſt ob ſuperbum reſponſum Veientis Senatus, qui *legatis repetentibus res, ni faceſſerent propere vrbe finibuſque daturos quod Lars Tolumnius dediſſet, reſponderi iuſſit.* Corinthus fuit euerſa ob legatos duriùs appellatos. Hanc verborum contumaciam delicia illa Romana deſcripſit his verbis, *Liu. lib. 4.*

Hæc vbi Telebois ordine iterarunt quos præfecerat
Amphitruo, magnanimi viri freti virtute & viribus
Superbi nimis ferociter legatos noſtros increpant.
Reſpondent, bello & ſe & ſuos tutari poſſe; proinde vti
Propere de finibus ſuis exercitus deducerent.
Hæc vti legati pertulere, Amphitruo è caſtris illico
Producit omnem exercitum.

Plaut. Amphitr.

Bello Dalmatico, cuius Scipio Naſica patrator fuit, cauſam dedit immodeſtia reſponſi dati C. Fannio legato Romano, præter cædem legatorum gentium *Zonar. li. 1. & Polyb. in ecl. legat. 202.*

Polyb. ecl. legat. 202. conterminarum. Certè Dalmatæ non modò ſua
ſcelera emendare noluerunt, ſed legati ſermonem
ne admiſerunt quidem, prætendentes nihil ſibi cum
Romanis eſſe commune. Huc acceſſit quod nec
† κατάλυμα, nec † παροχὴ legatis fuit exhibita. Quin † *diuerſorium.*
quos equos ab alijs ciuitatibus acceperant, hos ipſis † *præbitio*
ademerunt; denique inibi res fuit vt legatis manus
Appian. excurſ. legat. 353. admouerentur. Cùm Cæſari ab Tigurinis & Helue-
tijs miſſa fuiſſet legatio, tentamentum an ad aliquas
pactiones vtrinque deſcendi poſſet, Cæſarque eis
obſides & pecunias imperaſſet, illi reſponderunt, ſui
moris eſſe talia accipere, non dare. Enimuero Ro-
manus huius ferociæ intolerans, miſſo aduerſus Ti-
gurinos Labieno, ipſe in Heluetios duxit. Sed vt hoc
reſponſum dici poſſit veriùs ab animi quadam ela-
tione profectum eſſe, quàm ab vlla meditatione in-
iuriæ, moneo ſummoperè cauendum eſſe ab atroci-
bus verbis & reſponſis contumelioſis, quale fuit illud
Theophyl. de legat. Rom. ad gen. cap. 7. 49. Choſrois. Hic enim cùm ſe dixiſſet memoriæ Mau-
ricij parentaturum, ex his, inquam, verbis ſpecie pijs,
ipſa re minacibus, ſcelusque aliquod in perſona Mau-
ricij admiſſum exprobrantibus, bellum eſt exortum.
Inde feralis illa tuba clangere cœpit, quæ vtriuſque
Zonar. in Alex. fratre Leon. imperij Romani Perſicique opes infregit. Simon
Bulgarus infeſtis armis ijt in Alexandrum Impera-
torem Conſtantinopolitanum ob ſuos legatos pa-
rum honorificè, atque adeò ſuperbo reſponſo exce-
ptos. Ipſi magiſtratus, qui ſunt infra principum
fortunam, & quibus cunque eſt ingenium magnum
& liberum, impatientiſſimi ſunt irreuerentiæ nedum
Valer. Max. lib. 8. cap. 5. Tacit. lib. 3. G. ll. lib. 4. contumeliæ. Teſtes P. Seruilius Iſauricus, & Domi-
tius Corbulo, & Cenſores illi, *qui de nota eius delibe-
rarunt, qui in iure ſtans clarè nimis ac ſonorè oſcitauit.*
Ergo quàm regnantibus hic dolor hæreat in alto,
quantumque tacitarum irarum præſtruat hæc adro-
gantia, docent ea quæ vbique ſcaturiunt, exempla.
Quod ſi tumor verborum inſuper cumulatur atro-

citate

citate rerum, enimuero accenditur bellum quidem internecinum. Quæ vltio ideo iuſtiſſima cenſetur, quod non eſt ab libidine iraſcendi, ſed à ſtudio iniuriæ propulſandæ, ac dignitatis tuendæ. Eſtque vniuerſis acceptiſſima, quòd omnium mortalium cauſa eo facto propugnari exiſtimatur. Contra, cuius animum tam grande conuicium non penetrauit, taliſque vltionis negligens eſt, is indignum ſe ſciri vult quem humana iura protegant, quæ, ſcilicet, animo tam communi inulta patitur. Qui clauum tenent ſeueritate vltionum oſtendere debent, quàm non ſint aut contemptim, aut contumelioſè habendi. Neque aliud quicquam, opinor, ſignat Vltio Dea, & Vltores Dij, vt Mars vltor, Iupiter Vindex, Diræ Vltrices, quàm ſimile eſſe ingenium inferiorum numinum.

CAPVT XXV.

Quibus factis lædatur ius gentium in perſona legati.

OMnia facta quibus libertas legationis impeditur, iuri gentium inimica eſſe conſtat. Legationem dico, non etiam ea negotia quæ legationi cauſam dederunt. Nam in tractatione rerum cuilibet licet, prout eſt è re ſua, hoc & illud aut amplecti, aut reſpuere. Neque tamen eo facto quicquam peccat in ius gẽtium. Sed legationi vim facere, hoc demum eſt humani generis hoſtem ſe profiteri. Tam impij facinoris tot ferè ſunt genera quot generibus iniurię humana nequitia mutuo ſe ſe incurſat. Ego tantæ prauitatis aliquot exempla è veterum monumentis excerpſi, è quibus alia omnia, numero quamlibet inexputabili, æſtimari poſſunt. In primis aio, illud ius quod eſt omni humano generi commune violari in perſona legati quotieſcunque is conuicio excipi-

tur. Quo genere iniuriæ ſæpe præcones affectos legimus, quorum, ſcilicet, munus ſæpe alicui mortalium odio eſſet.

Euripid. Troad. 421.

—† τί ποτ᾽ ἔχουσι τοὔνομα
Κήρυκες εἰ; ἀπέχθημα πάγκοινον βροτοῖς
Οἱ περὶ τυράννους καὶ πόλεις ὑπηρέται.

† quonam præcones nomine digni ſunt? nimirum odium publicũ mortalibus, qui cũque ſunt ciuitatum miniſtri & principum.

Iſtis proximi ſunt illi qui indignis modis & contumelioſè habentur. Nobile exemplum huius contumeliæ præbent Zacharias ac Theodorus legati ab imperatore Romano ad Perſas. Quippe hi totum trimeſtre tempus nequicquam tritum in Perſide, omni iniuriæ & acerbitatis genere cõflictati, cum denique dimiſſi eſſent, ac per longiora ducti diuerticula paululum cùm proceſſiſſent, poſtridie per eadem reuerticula per quæ iuerant reducti, ac pluribus ludibrijs affecti denique è Perſide eiecti ſunt. Non meliori loco fuerunt illi qui apertè irriſi, & palam ſordibus ſunt aſperſi. Et quidem quod pertinet ad irriſum, nihil impurius illo quo habitus eſt Manius Acilius legatus Romanus. Hic enim à Mithridate captus, aſino impoſitus, alijſque ludibrijs fuit expoſitus. Paris ſceleris rei fuerunt Corinthij cùm in prętereuntes legatos Romanos ſordes effuderũt. Simili prauitate impulſi Athenienſes Philippi ſtatuas vrina perfuderunt; & Tarentini ſacram legati veſtem ſpurcitie fœdarunt. Adſunt & illi, quibus cùm nulla ſit facultas lædendi perſonas, in ſtatuas iram ſuam euomunt. Talis fuit furor Epheſiorum, qui immani audacia deiecerunt ſtatuas Romanas. Alij iniurioſè perſonas legatorum contrectãt pulſantque. Hæc fuit inſania Aradiorum, qui in legatos Marathenæorum lapides coniecerũt. Alij legatos exarmant, capiunt, detinent, carcere claudunt. Exarmati fuerunt Arabum legati iubente Iuſtino. Aſtutè detenti fuerunt à Lacedæmonijs legati Athenieñſium, donec ciuitatem cædibus impleſſent, teſte Ariſtide. Exemplum ferè ſimile illud eſt. quod accidit Amphilocho, qui de redimẽdis captiuis

Menand. ecl. legat. 145.
Appian. Alex. Mithrid.
Strabo lib. 8. 366.
Dion. Chryſoſt. orat. 37.
Dionyſ. in excerpt.
Appian. πρεσβ. περὶ πρεσβ. 344.
Appian. Mithr.
Diodor. ecl. legat. 327.
Menand. ecl. legat. 80.
Ariſtid. 1. pro Theb. 127.
Demoſth. in literis Phil. Philip. 4. 62.

legatus ad Diopithem ducem Athenienſem miſſus, ab eo comprehenſus eſt, nec dimiſſus niſi priùs nouẽ talentis ſolutis. Legati Romani ab Carthaginiẽſibus inſidijs prope ſunt circumuẽti. Valentinus cum alijs legatis Romanis detentus à Turxantho, alijſque iniurijs affectus. Baianus Abarũm dux habuit in vinculis Comitem legatũ & Vitalianum interpretem. Perſes quoque rex Macedonum legatos Romanos ad ſe miſſos corripuit & vincijt. Philippus queritur apud Athenienſes, Niciam caduceatorem è ſua ditione abreptum; Idque illis impune fuiſſe qui hoc ſcelus admiſerũt. Hancque iniuriam alia cumulatam fuiſſe dicit, eodẽ præcone decem menſibus clauſo carcere, ijſque literis pro concione lectis quas ab ipſo ferebat. Atque hæc quidem omnia videri poſſunt tolerabiliora barbara illa inhumanitate, quę quandoque auſa eſt legatos interficere. In quoſdam enim veneno ſæuitum, in alios ferro. Cùm Perſæ negarent expedire ſibi amicitiam inſtituere cum Turcis, præter cætera exprobrant illis quod quoſdam legatos veneno abſumpſerint. Ipſos interpretes quandoque occiſos legimus. Et cùm Senatus ad Gallos Senones miſiſſet legatos queſtum, Quid ita, cùm ſint ſocij populi Romani, militet hoſtibus nominis Romani, Britomaris Celta ſeruans ſub pectore veterem iniuriam, nempe patrem ſuum cùm militaret, inter auxilia Romana cæſum fuiſſe, eos qui caducea ferebant, inuiolabili veſte circumamictos fruſtatim cõcidit; eaque fruſta per campos diſſeminauit. Quapropter à Romanis in Gallos multa ſeueritate vindicatũ. Domitianus pro cætera ſua pietate interfecit legatos Quadorum: Teuta regina tum Fidenates, & Abari legatos Romanos, Brunduſini ab Appulis vrbe ſua pulſi, conſultis oraculis reſponſum acceperũt, *locum quem reperiſſent perpetuò poſſeſſuros. Hac igitur ex cauſa per legatos ſub belli comminatione reſtitui ſibi ab Appulis vrbem poſtulauerant. Sed vbi Appulis periculum innotuit, interfectos*

Dio. ecl. legat. 380. *Menand. ecl. legat. 139.* *In ecleg. legat.* *Plutarch. Æm. Paulo 476.* *Demoſth. Philipp. 4. in literis Philippi. 61.* *Menand. ecl. legat. 86.* *Dio ecl. legat. 418.* *Appian. Alex. mixt. legat. 443.* *Dio ecl. legat 378. & 399.* *Liu. lib. 4. 245.* *Iuſtin. lib. 12. 108.*

legatos in vrbe ſepeliunt perpetuò ibi ſedem habituros. Quam inhumanitatem prædixit Caſſandra apud Lycophronem.

Lycoph. Caſſ. 72.

† Ἔσται ποτὲ πρεσβεῦσιν αἰτωλῶν φάος
Ἐκεῖ γοηρὸν καὶ πανέχθιστον φανὲν,
Ὅταν Σαλάγγων γαῖαν ἀγγέσων θ' ἕδη
Μολόντες αἰτίζωσι κοιράνου γύας
Ἐσθλῆς ἀρούρης πῖαρ ὄσκληρον χθονός.
Τοὺς δ' εἰς ἐρεμνὸν ζῶντας ὠμησταὶ τάφον
Κρύψουσι κοίλοις ἐν μυχοῖς διὰ σφάγος.
Τοῖς δὲ ἀκτέριστον σῆμα Δαυνῖται νεκρῶν
Στήσουσι χερσῷ ποχλῷ κατηρεφές,
Χώραν διδόντες ἣν ἀπ' ἔχρηζον λαβεῖν
Τοῦ κρατοβρῶτος παιδὸς ἀγρίου κάπρου.

† Illic olim legatis Ætolorũ lux luctuoſa & inuiſa illuceſcet, Cũ ad Salangorum terram & ſedes Angeſorũ Delati petierĩt domini iugera. Bonæ telluris vber hęreditariũ ſoli. At illos in nigrũ viuos crudeles ſepulchrum Abſcondent in cauis hiatus angulis. Ipſiſque carẽs exequijs Daunij monumentum ſtatueut aggeſto lapidũ cumulo contectum, Regionem dãtes quam volebãt Filij apri cerebriuori.

Polyb. ecl. legat. 198. Leptines qui legatum Romanum interfecerat, ab Demetrio miſſus eſt Romã vnà cum Iſocrate Grammatico, qui fuerat ſuaſor eius cædis. Præter iſta quæ omnem atrocitatem ſuperant, inter eas iniurias quæ legationi fiunt, connumeratur excluſio legati. Nẽpe cùm is, qui ad hoc venit vt audiretur, neq; admittitur neq; auditur. Quæ ſanè iniuria tũc eſt atrocior cũ fit illi ipſi cuius miniſterio ſecuritas legatis impetratur; quique peculiari quodã iure eò penetrat quò legatis illicitũ eſt aut intutum. Hi ſunt præcones, caduceatores, araldi, qui dummodo ſint inſignes veſte ſua, inhumaniter excludũtur. *Bapt. Adr. hiſtor. lib. 4.* Huius tantæ atrocitatis Ferdinandus Gonzaga reus fuit cùm araldum Franciſci primi anno 1543. in Germaniam miſſum, cõtumelijs exceptum in cuſtodiã condi iuſſit. Quod Ferdinandi factum cumulatũ eſt atrociore Cæſarei cõſilij facto, cuius verbis poſt aliquot dies araldus iuſſus eſt egredi è finibus Germanię, edicto ne ipſe, aut quiſpiam alius huius notæ homo in poſterum ingrederetur limites imperij, niſi priùs impetrata venia. Obſecro, vbi fãdo auditũ, aut vbi lectũ, caduceatori impetrari veniã & ſecuritatem, qui in hoc inuentus eſt; vt hanc ipſe alijs præſtet? Hac de re idoneis locis vberiùs dico.

CAPVT XXVI.

Pleraque vltionis genera in eos qui ius gentium violarunt in perſona legatorum.

PRimùm dicimus, violare hoſpitalitatem eſſe immane facinus † ἔρημος γὰρ ὢν ὁ ξένος ἑταίρων τε ϗ ξυγγενῶν ἐλεεινότερος ἀνθρώποις ϗ θεοῖς, inquit diuinus Plato. Simpliciter violata hoſpitalitas ſæpe violatores multis cladibus afflixit. Legimus propter mercatores & nauiculatores iniurioſiùs tractatos ſæpe bella fuiſſe exorta. Quid dicendum ſi hæc ipſa tanta atrocitas pertingit ipſam perſonam legati? Si Athenienſium vrbem Philippus propter ſuas ſtatuas vrina reſperſas impleuit ſanguine, cinere, puluere; Si Epheſij deiectis ſtatuis Romanis, malè multati ſunt; Si, inquam, in omnes imaginum ac ſtatuarum violatores acerrimè vindicatum eſt, quo loco pareſt eſſe iniurias illatas legato, quæ eſt vera & viua imago principis? Nempe re tali tam iniurioſis hominibus ita eripienda eſt iniuriæ factæ voluptas; vt etiam eis dematur vltra faciendæ poteſtas. *Dubitabat nemo*, inquit Cicero, *quin violati hoſpites, legati necati, pacati atque ſocij nefario bello laceſſiti, fana vexata hanc tantam efficerent vaſtitatem.* Memorat Polybius, etſi ad iniurias legatis illatas accedebant aliæ cauſæ quibus quoque Senatus adductus bellum decreuit aduerſus Dalmatas, tamen bello prętextas fuiſſe iniurias legatis Romanis illatas. Certè regnantes amor tam iuſtæ vindictæ vſque eò exſtimulat, vt alia arma ſæpe differant, ſępe proijciant, vt hęc ſumant, arrecta, propedixerim, omni mortalitate, quanta ipſis animi magnitudo ad prodenda tantæ vltionis exempla. Enimuero ſi neque ſacrilegi, neque ruptores fœderum ſuo ſcelere lætantur in longum, quiſquis ad le-

† deſertus enim cùm ſit peregrinus ab amicis & affinibus, miſerationemaiori dignus eſt apud homines & Deos.

Plato lib. 5. de leg. 729.

Cic. pro lege Manil. orat. 13. 631.

Dion. Chryſoſt. orat. 37. Appian. Alex. Mithr.

Cic. in Luc. Piſon in. orat. 38. 215.

Polyb. inecl. legat. 203.

gationem facto, dicto, nutu, voto violandam accingitur, ab hoc ſi non homines, at numina, quorum ſub tutela ſunt iura gentium, grauiſſimas pœnas expetunt. Inde enim tot acerba funera totarum gentium. Exemplorum vbique tantum eſt, vt, ſi coaceruentur, in cumulum ingentem excreſcant. Ea re ne & mihi ſuperuacũũ laborem, & legenti è tot tragœdijs tædiũ pariam, ex magno tot atrocitatum aceruo ſecernam grandiora, ex quibus omnium ratio peti poteſt. Legati Dauidis ab Annone rege Ammonitarum pro ſpeculatoribus habiti ſunt. Iniuriæ acceſſit irriſus contumelioſiſſimus. Nam medium cuiuſque mentum nudatum eſt barba, iiſque veſtes curtatæ vſque ad nates. Nunc audi euentum rei. Vniuerſa gens vna cum Syris auxiliaribus victa venit in poteſtatem, ditionemque Dauidis. Rabba inſuper caput gentis expugnata, iræque militum relicta. Laomedon rex Troianus, propter Iphiclum ac Telamonem legatos Argonautarũ carcere clauſos, ab ipſis Argonautis prælio ſuperatus, & ab Hercule fratre Iphicli occiſus eſt. Agamemnon in pugna immitem ſe præbuit filijs Antimachi, quòd is in concione Troianorum Menelaum ad ipſos legatum occidi iuſſerat.

Lib. 2. Reg. cap. 10. & 11.

Diodor. Sic. lib. 5. antiquit.

† Εἰ μὲν δὴ Ἀντιμάχοιο δαΐφρονος υἱέες ἐστὸν,
Ὅς ποτ' ἐνὶ τρώων ἀγορῇ Μενέλαον ἄνωγεν
Ἀγγελίην ἐλθόντα σὺν ἀντιθέῳ Ὀδυσῆϊ
Αὖθι κατακτεῖναι μηδ' ἐξέμεν ἂψ ἐς ἀχαιοὺς,
Νῦν μὲν δὴ τοῦ πατρὸς ἀεικέα τίσετε λώβην.

Iliad. λ.

† Siquidem iam Antimachi bellicoſi filij eſtis, Qui quõdam in Troianorũ concione Menelaum iuſſit legatum profectum cum diuino Vlyſſe Ibidem interficere, neq; dimittere rurſum ad Achiuos. Nunc quidem patris fœdam lueтis offenſam.

Ergo ne in poſteritate quidem illius à quo ius gentium violatum eſt, hoc crimen impunitum manet. Ob caduceatorem Cambyſis, eiuſque ſocios ab Ægyptijs, quos adierat, articulatim conciſum, Pſammenitus rex Ægypti à Perſis victus, viuus mancipatus eſt Cambyſi. Ac natus eius, impube corpus, & cum eo pueri Ægyptij bis mille, quorum vna ætas erat, funeſto fune obligati, oraque frenati, vt feræ, ad ſupplicium longo ſpectaculo tracti ſunt. Quippe

Herodot. lib. 4.

iudices cenſuerant, ob violata ſacra legationis, læſaſque gentium religiones, vt cædes ſingulorum Perſarum rependeretur ſupplicio decem Ægyptiorum. Athenienſes ob legatos Darij petentes terram & aquam, quà in barathrum, quà in puteum præcipites datos, ac iuſſos illhinc petere vtrumque elementum, vrbem ſuam viderunt ruinis deformari & agrum vaſtari. Etſi dubitat Herodotus an ille fuerit fons tanti mali. Eiuſque ſententiæ videtur accedere Pauſanias, qui ob id factum Lacedæmonios publico, Athenienſes priuato malo (neque enim domum Miltiadis egreſſum ait) infortunium tuliſſe memorat. Ariſtotimus Elienſium tyrannus ob ſacerdotes Dionyſij ſuo iuſſu, & nulla verecundia ab ſuis ſatellitibus pulſatas, & inſuper pecunia multatas, paulò poſt ab Hellanico, & popularibus coniurationis in æde ſacra, quo perfugio vſus fuerat, confoſſus occubuit. Memorant Plutarchus & Suidas, è Lacedæmonijs, qui Darij caduceatores interemerant, duos repertos tanta vi animi, vt vltro ad Xerxem Darij filium profecti ſint, ſua pœna expiaturi ſcelus quod fuerat vniuerſorum, & ſua morte finituri periculum publicum; propemodum fortia illa pronunciantes,

Herodot. lib. 7. Vide Ariſtid. in Panath. Pauſan. lib. 3.

Plutarch. de clar. mulier.

Plutarch. in apophth. Lacon.

† Ἥκομεν οἱ κτείναντες, ἀπότρεπε λοιγὸν Ἄπολλον.

† Hem tibi vtrumque caput; nos confice Apollo; Ac perde has animas; patriam bonus eripe noxa.

Plutarch. Polit.

Virtute tam animoſa motus Darius eam pari clementia remunerauit, remiſſa viris fortibus, cui voluntariè ſeſe obtulerant, pœna; vt qui ſe fato damnauerant, regia virtute ſeruarentur. Sic & Decij patriam, & ille tantùm

Dilexit Thebas, ſi Græcia, Menæcus.

Iuuen. ſat. 14.

Huc pertinuit pium votum Catonis,

O vtinam cælique Deis, Erebique liceret
Hoc caput in cunctas damnatum exponere pœnas.
Deuotum hoſtiles Decium preſſere cateruæ.
Me geminæ figant acies, me barbara telis
Rheni turba petat. Cunctis ego peruius haſtis
Excipiam medius totius vulnera belli.

Lucan. lib. 2.

Hic redimat ſanguis populos. hac cæde luatur
Quicquid Romani meruerunt pendere mores.

Homer. Iliad. α. Sen. in ludo. Dion Chryſoſt orat. 36. Pauſan. lib. 7.

Lacedæmonij propter violatum Talthybium caduceatorem Agamemnonis, quique adeò fuit creditus nuntius Deorum, diu ſenſerunt iratum Deum. Inde enim delubrum Talthybij, & Talthybiadæ. Huic & Ægienſes & Spartanos parentare teſtis eſt Pauſanias. Certè is Talthybius, ſiue ſuſceptus eſt è ſeminio mortali ſiue immortali, immortale nomen apud poſteros eſt conſecutus.

Plaut. Sticho.

Contundam facta Talthybij, contemnamque omnes nuntios.

Pauſan. lib. 1. Athen. lib. 12.

Megarenſes propter occiſum Anthemocritum caduceatorem ad ſe miſſum, per multas ætates læſi numinis pœnas dederunt. Solos enim ex omnibus Græcis ne Hadrianus quidem imperator ſubleuauit. Sybaritæ illi mancipati voluptatibus à Crotoniatibus miſſos ad ſe triginta legatos interemerunt; eorumque corpora è muris deiecta obiecerunt pabulum feris. Huius ſceleris ergo à Crotoniatibus exciſi ſunt ac deleti. Tyrij, irritata ira Alexandri, ciuitatis exitium maturarunt propter caduceatores contrarius gentium occiſos, & in altum præcipites datos. Rex Tatius ob Laurentium legatos à propinquis ſuis pulſatos, eiuſque negotij neglectam vltionem illorum pœnam in ſe vertit. Tolumnius, quo autore legati Romani à Fidenatibus interempti fuerant, ab A. Cornelio Coſſo in prælio cæſus fuit. Coſſi hæc ſunt verba, *Hiccine eſt ruptor fœderis humani, violatorque gentium iuris? Iam ego hanc mactatam victimam, ſi modò ſancti quicquam in terris eſſe Dij volunt, legatorum manibus dabo.* Et verò dedit. Thebæ & Calcis, vnde auxilia portata ſunt ijs, qui legatos Romanos violauerant, dirutæ. Legatio Romana Tarentum miſſa obſcœnè à Tarentinis, vt dixi, violata eſt. Ea re bellum aduerſus Tarentinos decretum. His certè L. Poſthumius princeps legationis, *Ridete*, inquit, *ridete dum licet. Tunc enim*

Q. Curt. lib. 4. Liu. lib. 1. & Dion. Halic. lib. 2. Liu. lib. 5. Epit. Liu. lib. 128. Iornand in lib. ſucc. & Zonar. lib. 8. Dionyſ. in excerpt.

enim diu flebitis, cùm haſce lachrymas, aut, vt autor eſt Dionyſius, hanc veſtem *ſanguine veſtro eluetis.* Veneti ſeu Liburni propter legatos Romanos ſecuri percuſ- *Iornand. in* ſos à Cn. Fuluio Centumalo domiti ſunt. *Et ſtrictæ ſe-* *ſucc ſſ.* *cures in principum colla legatorum manibus litauere.* Par fuit ſcelus, idemque exitus Senonum Gallorum. de *Polyb. lib. 2.* quibus dixi. Nam ſignis collatis cæſi ſunt ductu M. Curij, cuius legatos interfecerant. Omnem Senatum Venetum Cæſar necauit ob violatum ius legationis. *Cæſ. bel. Gal. lib. 3.* Iſocrates ille Grammaticus, qui Leptini fuerat autor *Polyb. ecl.* occidendi, vt ſupra dixi, legati Romani, quique oris *legat. 101.* tam duri fuit, vt firmare auderet id iure fuiſſe factum, vnà cum Leptine Romanis deditus à Demetrio fuit, & vterque Romam vectus. In iſtos etſi Senatus pro rei atrocitate noluit animaduertere ob ſingulares eas cauſas quas Polybius memorat, tamen ira diuini numinis apertiſſimè ſe ſe effudit in dirum caput huius impuriſſimi Grammatici. Nam ei, ſicuti immani feræ iniectum collare; totuſque catena vinctus, nec alijs alimentis dignus habitus quàm ijs vnis quæ mortem arcerent; inſuper truci aſpectu, vnguium & capillorum immani auctu, totus ſqualidus, mente mota, fera veriùs quàm homo, præbuit ſe aſpicientibus horribile ſpectaculum, quod quiſquis tueretur, fateri neceſſe haberet, Nihil homine, ſiue quà corpus, ſiue quà anima eſt, cùm ſemel eſt efferatus, eſſe formidabilius. Cùm Senatus per Maſſilienſium legatos cognouiſſet *Polyb. ecl. le-* vexari ipſos ab Liguribus, & legatio data eſſet T. Fla- *gat. 208.* minio, P. Lanato, & L. Popilio, qui Ligur.bus denuntiarent vt bello abſtinerent, Ligures comperto quà de re ea legatio ad ſe nauigaret, incurſu facto eò quò Romani cogitabãt appellere, ne exſcenſionem facerent, prohibent. Flaminium qui iam exſcenderat, cuiuſque ſarcinæ iam poſitæ fuerant in littore, corripiunt, iubentque miſſionem dare ijs magiſtratibus quos Senatus illi prouinciæ impoſuerat. Renuentis ſarcinas diripiunt. Pueris & libertis reſiſtentibus vim

faciunt, iiſque manus impias admouent. Interim Flaminium ſuis opitulantem vulnerant. Duos è familiaribus eius obtruncant. Reliquos vſque ad nauē perſequuntur, & quidem tanto impetu, vt vix eorū manus Flaminius euaderet, nec niſi inciſis anchoris & funibus. Is Maſſiliam delatus, ibi multa cura eſt habitus. Senatus ea renuntiata, Quinto Conſuli bellum mandat aduerſus Ligures. Eius belli is fuit exitus, vt Ægitna (quippe hæc ad oppidum Ægitnam, & ab oppidanis acta) ſolo æquata fuerit. Inde violatores iuris gentium Romam vecti. Senatus iis motus quæ Teuta regina commiſerat in ſuos legatos, confeſtim bellum decreuit aduerſus eam. M. Antonius Iudæorum legatos interemit. Specta qua deinde ſorte vixerit, qua perierit. Heraclius cognita cæde ſuorum legatorum patrata à Choſroe, vindictæ properus quicquid obuium habuit cædibus & incendiis perpopulatus eſt. Quidam ex legatis Scipionis Carthagine redeuntes à Carthaginienſibus occiſi ſunt. Scipio, Annibale deuicto, Punicis legatis pacem ſuppliciter petentibus diſertè tantum ſcelus exprobrauit, & Carthaginienſes nouiſſima exempla meritos dixit. Quanquam in eo cognita eſt clementia Romana, quod Carthaginienſium legatis, qui cùm hæc nuntiata ſunt, Romæ erant, non aliter vices redditæ, quàm vt dimitterentur ſicuti hoſtes. Atque adeò iſti cùm incidiſſent in caſtra Scipionis, ab ipſo quoque inuiolati ſunt dimiſſi. Ob M. Acilium ea ratione ludibriis expoſitum qua dixi, alioſque Romanos legatos interfectos, in Mithridatem exarſit ira Romana. Hoc illud eſt quod vrget M. Tullius, cùm ſuadet Pompeio mandandum eſſe bellum aduerſus regem interfectorem legatorum. Stephanus epiſcopus Antiochiæ quòd Epiſcopis à Conſtante pro Athanaſio miſſis inſidias tetendit, à Conſtantio iudice ſeſe eo pontificatu abdicare coactus eſt. De Maximo hæc legimus, *Tandem in nos oculos Deus retulit, & bonis Orientis intentus ad mala no-*

Dio ecl. legat. 379. Epit. Liu. lib. 128. Zonar. in Heracl.

Appian. A. ex. Liby.

Appian. Mithr. Cic. pro lege Man. Niceph. lib. 9. cap. 23. In panegy. lat. Pac. Theod. Aug. d. Niceph. lib. 10. cap. 2.

ſtra reſpexit, & hunc ſacrato capiti obiecit furorem, vt fœdus abrumpere, ius feciale violare, bellum edicere non timeret. Tomumberus Sultanus Ægypti propter legatos Selimi Turcæ interfectos, poſteaquam victus, copijſque ſuis occidione occiſis, viuus venit in poteſtatem hoſtium, vitam ſuſpendio amiſit. Et hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptores adnotarunt, à Iuliano deteſtabilis memoriæ apud nomen Chriſtianum principe, violatum fuiſſe ius gentium in tribus legatis Perſicis, Manuel, Sabel, & Iſmael. Eſt certè Iupiter

Gambini de reb. Turc. lib. 4. Ital. ſcript.

† ἐπιτιμήτωρ ἱκετάων τε ξείνων τε
Ξείνιος, ὃς ξείνοισιν ἅμ᾽ αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ.

† vltor ſupplicumque hoſpitumque qui hoſpitibus ſimul verecundis opitulatur.

Odyſſ. 9. 251.

Hanc ſanè tam iuſtam vltionem non ſolùm præſumunt ij, quorum læſa legatio eſt, verùm & illi ipſi ad quos miſſa eſt. Legatos Siculos Roma redeuntes in patriam Antiates, inſtructo nauigio pyratico, interceperant; rebuſque direptis eos inſuper carcere clauſerant. Qua re Romam nuntiata, Senatus eam quoque contumeliam ad ſe pertinere ratus, non expectatis copijs tyrannorum Siculorum, quorum ea legatio erat, priùs monitis, ſed nequicquam per legationem Antiatibus, expeditionem decreuit aduerſus eos. Præcipuè expiatur hoc ſcelus læſæ legationis dedendo eos, quorum manibus patratum eſt, ſicuti victimas peculiares. L. Minutius Mirtil9, & L. Manli9, *quod legatos Carthaginiēſes pulſaſſe dicebātur iuſſu M. Claudij Prætoris vrbani per Feciales traditi ſunt legatis & Carthaginem aucti. Et cùm legatos ab vrbe Apollonia Romam miſſos Q. Fabius & Cn. Apronius Aediles, orta contentione, pulſaſſent, cōtinuò per Feciales legatis dediti ſunt, quæſtorque cum his Brunduſium ire iuſſus; ne quam in itinere à cognatis deditorum iniuriam acciperent.* Eandem ferè propter cauſam Polychares à Meſſenijs deditus eſt Lacedæmonijs.

Dionyſ. Halic. lib. 7.

Liu. lib. 28. Val. Max. lib. 6. cap. 6.

Val. Max. lib. 6. cap. 6. Pauſan. lib. 4.

Pauſan. lib. 4.

CAPVT XXVII.

Quibus rationibus ipſi legati lædant ius gentium.

INterdum ius gentium lædunt ipſi legati ſi perfidè obeunt legationem. de qua perfidia & παραπρεσβεία alibi dico. Deinde ſi ferociter, contumaciter, contumelioſè legationem edunt. Id quod bilem, vt ille ait, in naſum conciet; cuius exitus ſunt bella & vaſtitas prouinciarum. Ea fuit ſiniſteritas & ſuperbia L.

Liu. lib. 8.

Annij Setini; *qui ab Latinis legatus Romam ita in Senatu Romano loquebatur, tanquam victor armis Capitolium cepiſſet, non legatus iure gentium tutus.* Tunc certè Senatus bellum decreuit aduerſus Latinos. Deinde ſi autoritate abutuntur ad vim & iniurias exterorum. Neque enim ius gentium protegit legatos vt ipſi, tanquam ex inſidijs & quodam munimine, quos lubitum erit deſtinent ad ictum, ſed in hoc ſolùm ne ipſi lædantur. Nec legati mittuntur vt pugnent, ſed vt quidpiam pronúntient, denuntient, minitentur: &

Liu. lib. 5. Dio in ecl. legat. 375. Plutarch. Numa.

hoc ipſum, videlicet, ne pugnetur. *Vrgentibus iam vrbem Romam fatis,* vt ſcriptores ingenuè fatentur, *legati ad Gallos miſſi contra ius gentium arma ceperunt. Id quod clam eſſe non potuit, cùm ante ſigna Hetruſcorum tres nobiliſſimi, fortiſſimique Romanæ iuuentutis pugnarent. Qui cùm poſtea à Gallis poſtulatum eſſet vt pro iure gentium dederentur, atque id quoque neglectum eſſet, vrbs ipſa tanti ſceleris piaculum facta eſt.* Ideo Camillus cùm Quirites alloqueretur, *Quid hæc,* inquit, *vrbis noſtræ clades? Num ante exorta eſt, quàm ſpreta vox cælo emiſſa de aduentu Gallorum? quàm gentium ius ab legatis noſtris violatum? quàm à nobis, cùm vindicari deberet, eadem negligentia Deorum prætermiſſum? Igitur victi captique tantum pœnarum Dijs hominibuſq; dedimus, vt terrarum orbi documẽto eſſemus.*

Quapropter, ne quid diſſimulem, quod Ageſilao Xenophon laudi ducit, eius ego rei ſum laudator frigidus. Is tradit, nobilem illum regem etiam legationes obeuntem, imperatoris egregij munere fungi ſolitum. Ac, ne dicto fides non adſit, rem confirmat exemplis nonnimis ſalubribus. Prius eſt Autophrahatis, qui cùm Aſſum Ariobarzanem obſideret, fuga inde ſe proripuit. Alterum Cotyis, qui cum Seſtum, & ipſam vrbem Ariobarzanis circumſediſſet, protinus inceſſu Ageſilai ſoluit obſidium. Ob quas res geſtas ſtatutum eſt ei ex legatione trophęũ. Si vterque ſolo terrore nominis Ageſilai deſtitit ab incœpto, ſuſpicienda eſt virtus tam nobilis, in cuius ſola fama victoria poſita fuit. Quòd ſi Rex, cùm legatione fungeretur, armatus & animo confligendi ad hoſtes acceſſit, non magis hanc pugnacitatem probare poſſum, quàm intempeſtiuam illam virtutem legatorum Romanorum, qui, poſita perſona, quam è patria diſcedentes induerant, ſe ipſi milites fecerunt. Affirmoque vt milites & hoſtes armatos militari quoq; ira excipi potuiſſe. Quanquam haud abſimile exemplum eſt apud Homerum. qui ait Tydeum, cùm miſſus eſſet legatus ad Eteoclem, & ingreſſus regiam, plures illic hoſtes fortè inueniſſet, pugnaſſe & viciſſe;

Xenoph. in orat. de Ageſil. rege.

> † Τάρβει μοῦνος ἐὼν πολέσι μετὰ Καδμείοισιν.
> Ἀλλ' ὅγ' ἀεθλεύειν προκαλίζετο· πάντα δ' ἐνίκα
> ῥηϊδίως.

Homer. 4. Iliad.

† Timebat ſolus exiſtẽs multis cum Cadmienſibus. Sed is ad certandũ prouocabat Quemlibet autem vincebat facilè.

& quæ ſequuntur. Sed hæc, ſcilicet, fortitudo felicitate commendata eſt. Verùm vt ſanè ſunt hodierna equidem aio, in perſona legatorum meritò retundi poſſe immanem barbariem illorum, qui, obtentu legationis, alijs contumeliam impudenter dicere, ac facere, fortè & nec opinanti pericula ſtruere ſibi licere putant. Atroci legationi, contumelioſæ, iniurioſæ ſapienter opponitur dignitas & conſtantia. Impudens es maledicendo? Præſtabo vt intelligas

mihi non deeſſe ſolertiæ animique quantum ſit ſatis retundendæ iſti & impudentiæ, & atrocitati. Hoſtili animo accedis? hoſtili excipiere. Pugnas? repugnabo. Feris? referiam. Iniuriæ, ac ſceleri obtendis legationem? Vtrique eripiam perſonam, vtrique deteram fucum. Sic neminem lædo; ſed iniuriam repello.

Herodian. lib. 6.

Quadringenti illi legati Perſici barbaro ornatu inſignes, vt inſolenti ſpecie Romanos, ſicuti contemptibiles, & meticuloſos territarent, iuſſu Alexandri Seueri ſunt comprehenſi. demptoque illis, quo paratragœdiabant, Perſico ornatu, in Phrygiam ſunt ablegati, vt ibi ex oratoribus fierent aratores, foſſores, & caprimulgi. Quid? vllus ne regnantium, nedum Cæſar Romanus, & quidem Alexander Seuerus, reperiri potuit animo tam demiſſo, vt legatos tam ſuperba dicta crepantes ferret? Iubet magnus Rex Artaxerxes, Romanos, eorumque principem abſtinere vniuerſa Syria, Aſiaque, eoque tractu, qui eſt vſque ad Ioniam, Cariamque. denique quicquid gentium mari dirimitur, eorum imperio Perſis concedere. Hac tamen de re nihil eſt neque magis lubricum, neque magis abruptum, quàm præcepta tradere. Quæ ſanè ſunt fallacia, ſi non petuntur ex ipſa re. Talis, videlicet, vltio in legatos perrarò licita eſt; perrarò non inlicita. Ergo tali æſtu cum rebus ipſi deliberandum.

CAPVT XXVIII.

Violatori legationis an talio reddi poſſit.

QVispiam fortaſſe tacitus requirat, An ſi legatio mea violata ſit, huic iniuriæ ſi talionem reddiderim, ius gentium læſerim. Equidem nihil puto ſocordius illo, qui quem violanda eius legatione exacerbauit, ad hunc ipſe ſuam mittere audet. Quæ ſi

pari atrocitate excipitur & homini impudẽti iniuria reponitur, nequaquam legatio dicetur violata, ſed occaſio vltionis ſcienter expectata, & loco captata; nempe illo ipſo quo oportuit momento. Hîc mihi præit, ne errem, hic ipſe, quem paulò ante nominaui, Alexander Seuerus. Priùs enim ipſe ad Artaxerxem ſuos legatos miſerat; quos Perſa barbaro faſtu contemptos ne admittere quidem dignatus eſt. Planè barbarè hoc quidem. Sed illud vecordię plenum, quod cuius tam graues arceſſijt offenſas, ad hunc ipſum ſuam legationem mittere eſt auſus. Quam Romanus Imperator vindex contemptæ maieſtatis, vt æquum fuit, excepit. Quid, quod interdum meritò legatis eliditur anima? Nempe ſi venerunt ad ſerendas diſcordias, & ſollicitandam quietem gentium, ad ſeditiones, rebelliones, cætera mala Rerumpublicarum; ac ſi hæ legationes mittuntur à corrupta Reipub. parte ad ſubruendum eum qui legitimè imperat. Quo loco habitus eſt Senatus ipſe, cuius legatos in hoc miſſos, vt prouincias impellerent ad defectionem à Maximino, plures gentes interfecerunt. Quædam comprehenſos miſerunt ad Imperatorem. Si Maximinus non legitimè imperauit, eo ſanè facto rupta ſunt iura gentium. Si legitimè, illa non fuit ſæuitia, ſed fides. Siue illud fuit, ſiue hoc, fatendum eſt tali remedio morbum etiam irritari. Ergo nihil tale audendum, niſi omni alia ſpe perdita, & remedijs, quæ vſquam reperiri poſſunt, inualidis. Poſtremò, ita res tractanda eſt, vt appareat non id actum, vt legatio violaretur, ſed hoc vnum, vt meritò vindicaretur in eos, qui meditato ſceleri ſanctiſſimum legationis nomen obtendunt. Huic haud abſimilis quæſtio illa eſt, An retineri legatus ab ijs, ad quos miſſus eſt, poſſit. Et ſi hoc admiſſum fuerit, An legati illorum, à quibus id iniurię profectum eſt, obſidum loco retineri poſſint. Retinentur legati grauiſſimis de cauſis, quæ ſunt è re nata; vt ſi clam hoſtilia tentarũt;

Herodian. lib. 7.

ſi quid eos proditoriè moliri conſtat; ſi priùs noſtri retenti ſunt. Sed quia hac ipſa de re infra dico & vberiùs & curatiùs, nunc quidem huius æris alieni facio me debitorem, quod infra diſſoluam. nec variabo conſtitutum. Hoc interim veluti fœnuſculo ab æquo iudice impetrabo ampliationem. Nullam ei iniuriam fieri aio quem ſua ripa, vt aiunt, ſequor.

Appian. in Liby. In Senatu Carthaginienſe deliberatum eſt de retinendis legatis Scipionis, donec legati Carthagine Romam miſſi rediiſſent. *Thucyd. lib. 1. & Diodor. Sic. lib. 11. bibl.* Legati Spartani Athenis retenti, atque adeò in vinculis habiti ſunt vſque ad reditum Themiſtoclis, qui pro Athenienſibus apud Lacedæmonios legatione fungebatur. Aſtutũ commentum memoratur earum ciuitatium, quæ bello Punico deficere ad Pœnos deſtinauerant. *Frontin. Strat. lib. 1. cap. 8.* Hæ *cùm id agerent, vt datos Romanis obſides, priuſquam deſciſcerent, reciperent, ſimulauerunt ſeditionem inter finitimos ortam, quæ Romana autoritate dirimi deberet. Ergo ad id miſſos legatos, velut contraria pignora, retinuerunt: nec priùs eos reddiderunt, quàm ſuis receptis.* *Cæſ. belli Gall. lib. 4.* Cæſar Germanorum perfidiam, qui inducias ruperant, ſic vltus eſt, vt eorum legatos rurſus ad ipſum fallendum miſſos retinuerit. *Procop. li. 2. belli Goth.* Nec Beliſarius Gothorum legatos priùs dimiſit, quàm Iuſtiniani oratores ad ſuos miſſi dimitterentur. Et verò Syracuſanis nequaquam inluſiſſet Dionyſius, ſi ij legatos eius ad ſe miſſos retinuiſſent. *Iuſtin. li. 21.* Nam cùm is acie victus Syracuſas legatos miſiſſet, *per quos promittebat ſe depoſiturum tyrannidem, ſi modò ad ſe mitterentur ij, cum quibus de pace conueniret, ipſique in eam rem miſiſſent primores,* eos ipſe, quæ tyranni fides fuit, carcere attinuit. Mihi tamen magis placet moderatio Senatus Romani, quæ eſt ab ingenti magnitudine animi, vereque Romana. *Zonar. li. 2.* Cùm enim Amilcar amiſſa claſſe, nouum exercitum ab Carthagine expectaret, atque interea loci Hannonem miſiſſet qui ſenatum fruſtra haberet, neque deeſſent qui eum comprehendendum cenſerent, quod Carthaginienſes

fraude

fraude cæpiſſent Cornelium, his maior pars vtique reſtitit. Si hoc, inquiunt, feceritis, nihilo vos meliores eritis Pœnis.

CAPVT XXIX.

Quomodo legato iter faciendum.

QVicquid illud eſt periculorum, quæ ſupra memoraui, facile legatus repellet, ſi ſimulatque dedit ſe in viam, idemtidem ſibi ſubijciet, ſe, poſita conditione priuati, publicum onus in humeros ſuos ſuſtuliſſe. Id quod eò pertinet, vt mente induat principem, aut Senatum; atque in primis dignitati ſeruiat, eàdemque ſecuritati, ſiue it, ſiue manet, ſiue redit. Quapropter occultè iter ingredi, & intutum, & ſanctiſſimo legationis munere indignum eſt. Latebras ignorat legatio; palàm ambulat & aperto cœlo. Amat agnoſci, aſpici, ſalutari. Magna mihi copia eſt memorandi, quibus legatis & inglorium & damnoſum fuit, diſſimulanter & habitu priuatorum exteras prouincias peragrare. Et verò quantulũ diſtat à ſpeculatore is qui occulto limite graditur? Vſque eò legatio animoſa eſt, vt non protegi velit, ſed protegere; non latere pone quemquam, ſed ipſa alijs eſſe tutamen. *Cum indicatum Senatui eſſet, ſpecie legatorum Illyrios ſpeculatores Romæ eſſe Perſe autore miſſos, vt quid ageretur, ſcirent, Illyrij vocati ſunt in Senatum. Qui cùm legatos ſe eſſe miſſos ab rege dicerent ad purganda crimina, ſiqua de rege Iſſenſes deferrent, quæſitum ecquid ita non adiſſent magiſtratum, vt ex inſtituto loca lautia acciperent: ſciretur denique veniſſe eos, & ſuper qua re veniſſent. Hæſitantibus in reſponſo, vt curia excederent, dictum. Reſponſum tanquam legatis, vt qui adire Senatum non poſtulaſſent, dari non placuit.* Liu. lib. 32. Hem indignitatem, quæ vtique vitari potuit, ſi iſti legati, ſi modò legationem

S

non ſunt ementiti, maluiſſent cenſeri dignitate legationis, quàm in proditorio ſpeculatorum miniſterio deprehendi. Enimuero cùm legatio hoſtium ipſorum præſidio ſit inuiolabilis, quiſquis aut ſiniſteritate, aut ignauia, aut prauo pauore, abutitur munere tam ſacro, quid aliud hominibus ſuſpicandum relinquit, quàm agitari inlicita? Sic, videlicet, ambulabãt legationes illæ gẽtium Italicarum paulo ante bellum ſociale, quibus id agebatur, vt ciuitates aliæ alijs ſe ſe obſtringerẽt mittẽdis inuicem obſidibus, alijſq; fidei pignoribus. Talis fortaſſis fuit illa Bocchi, qua is id agebat vt Iugurtha victus qui ad ipſum confugerat, ab Sylla comprehenderetur. Certè Sylla Romano more hos legatos Numidarum latronum periculo ereptos non ſolùm humaniter excepit, ſed & nonniſi muneratos dimiſit. Legationes clandeſtinę cõmeant quoque inter eos, qui conſpirant aduerſus potentiores; ac plerunque noctu audiuntur, vt illa quam Perſes miſit ad Carthaginiẽſes. Certè legati Romani compertum affirmauerunt, *legatos ab rege Perſeo Carthaginem veniſſe; ijſque noctu Senatum in æde Aeſculapij datum eſſe. Ab Carthagine legatos in Macedoniam miſſos & rex affirmauerat, & ipſi parum conſtanter negauerant.* Talem quoque legationem his verbis ſignat Dion Chryſoſtomus. Accipio, inquit, & à Phrygibus legatos clam miſſos ſi quo modo Philoctetan donis perſuaſum, paritetque inimicitijs aduerſum nos in ciuitatem recipere poſſent. Neque tamen non interdum expedit, clandeſtinò legatos iter facere, ſi per hoſtilem ditionem ingratijs tranſeundum eſt; dummodo tam cautè eant, vt feliciter quoque perueniant. Hoc enim quia non tam in manu prudentiæ, quàm in fortunæ temeritate poſitum eſt, vix probari poteſt ſine exceptione felicitatis. Hoc conſilium improſperè ceſſit legatis Perſei, quos ſupra memoraui. Contra, legati Vitigis ad Coſroem hoc modo penetrarunt; & Deiotarus ad Parthos.

Plutarch. Sylla. vol. 2. 827.

Liu. lib. 41.

Dion Chryſoſt. orat. 60. 284.

Procop. li. 2. belli Perſ.

—regem parere iubentis [Pompeio.] *Lucan.lib.8.*
Ardua non piguit, poſitiſque inſignibus aulæ,
Egreditur famuli raptos indutus amictus.

Ergo quod ad hanc rem pertinet, neutram in partem decernere audeo. Quod ſi periculũ nullum eſt, deuij & occulti tramites omnino ſunt vitandi, & aduentus legati publicandus. Nempe & hoc publicæ curæ eſt, non neſcire quis per prouinciã iter faciat, nuntiusne, an ſpeculator, an reuera legatus; num ſpecie legationis valida quæpiam manus hoſtilis. Hìc verò, ne hoc quoque non dicam, legatus cum comitibus & familia ita ſe ad modeſtiam componere debet, vt eum pace aduenire, & incedere cum dignitate conſtet, non militares copias turmatim ducere. Nam quiſquis ornatus in modum militarem proteruè & numeros & arma oſtentat in aliena ditione, huius ferociæ ſimili paratu obuiam eundum; vt ſi inſanire occœperit, & amicitiam verbis prætendere, re pro hoſte ſe gerere, quem decipere ſtuduit, hunc ipſum experiatur hoſtẽ, & quidem non ſegnem, neque ſocordem; ſed eum, qui improbis artibus promptam vim, virtutemque opponere poteſt. Huius conſtantiæ ſpecimen Georgius vrbi Daræ ab Iuſtiniano præpoſitus oppoſuit Iſdigunnæ legato Coſrois. Is quingentos Perſas ducebat, lecta robora; vt ea manu Daram improuisò occuparet. Huic Georgius, intellecta fraude barbara, vſque ad conlimitia obuiam ita prodijt, ſicuti hoſpitem excepturus, hoſtem repreſſurus; hinc hoſpitalitatem oſtentãs, hinc ferrum: vtrumque in promptu habens. Cæterùm, viſa ea turma, veriùs quàm comitatu, impudentiam barbari tempeſtiua audacia aggreſſus, illi dixit in os, non more legati venire; neque tot Perſas hoſtes imperij fas eſſe recipi vlla vrbe ditionis Romanæ. Denique frementem legatũ, ſtipatũ vnis viginti comitibus in vrbẽ admiſit. Ac ne equus quidem Troianus ea fraude fraudulentior fuit, quam frauſi ſunt biſſeni illi ductores Arabum, qui præ ſe

Procop. li. 2. belli Perſ.

Zonar. in Michaele.

agebant ducentos camelos; quibus ſingulis impoſitæ erant duæ arcæ; ſingulis arcis incluſi armati. Cui doloſo apparatui muneris nomen inditum, quod ſe imperatori vehere palam iactabant; cùm tamen latens illîc militaris dolus vrbi Edeſſæ immineret. Æquè improbi, etſi non æquè callidi fuerunt illi tres legati Pannonici, qui ſtipati equitũ tribus millibus, inceſſu turbido Neapolim proficiſcebantur, tanquam ab Imperatore Federico tertio redẽpturi diadema regni Hungarici. Sed iſti manere extra portas iuſſi, vno excepto, cui vt cum ducentis equitibus vrbem iniret, permiſſum. Ne factum quidem Maiorini homini ingenuo placere poteſt. Is cùm eſſet legatus imperatoris Romani, infecto ſibi capillamento, & in diſſimulationem ſui compoſitus è Gezericho fraudem nullam ſuſpectante ignoratus; & pro amico exceptus, & genus armorum, & quantum militum is ſub ſignis haberet, elicuit. Illa Zopiri fide dicam, an pertinaci prauitate mihi quidem nihil videtur infidelius, lutulentius, ſpurcius. Neque enim tam ſiniſtrè conſtitutũ eſt, vt nõ patriæ, aut regi fides præſtari poſſit ſine ope perfidiæ tam portentoſæ, & in ſemet ſæuientis. Ergo legationis hoc eſt ingenium, vt prudentem ſimulationem quandoque comitem adſumat; at proditionem, & quicquid proditioni adfine eſt, ne agnoſcat quidem. Quapropter non tam ſeruaſſe vrbem neſcio quam Epirotarum, quam præſidio obtinebat, quàm ſuam fidem temeraſſe exiſtimo Milonem illum, qui cùm perſüaſiſſet Tarentinis vt ſe legatum ad Conſulem Papyrium Curſorem mitterent; oppidanos in ſecuritatem reſolutos ei tradidit. De ſe tantùm querantur tales vulpiones, ſi detecta ſua proditione, malè multantur. Talis fuit Pelopidas. Is enim *cùm Theſſaliam in poteſtatem Thebanorum cuperet redigere, legationiſque iure ſatis tutum ſe arbitraretur, quod apud omnes gentes ſanctum eſſe conſueſſet, à tyranno Alexandro Pheræo ſimul cum Iſmenia cõprehenſus in vincula cõiectus*

Conr. Bran. lib. 2. de legat. cap. 14.

Procop. li. 1. belli Vand.

Herodot. lib. 3.

Frontin. ſtratag. lib. 3. cap. 3.

Æmil. Prob. Pelop. 145.

eſt. Cùm Conſtantinus per quietem audiſſet Conſtantium retegentē cædem, autoreſque cædis fratris ſui, è ſomno excitatus non dubitauit condere legatos in carcerem, nempe à fratris interfectore miſſos, & fraude graſſantes. Tuxantus quoque legatos Romanos his verbis eſt affatus, Annon vos Romani ij eſtis, qui decem quidem linguis, ſed vnica fraude vti eſtis? Non meHercule vulgaris virtutis eſt, compertas fraudes, detecta falſiloquia, & deprehenſa mendacia regerere in ipſos legatos, ſi ad hoc miſſos conſtat vt ſua improba diſſimulatione nihil tale ſuſpicantes circumueniant. Inſignis quoque prudentiæ ſimiliſque modeſtiæ eſt, tales legatos deprehenſos continuò dimittere potius, quàm ijs acerbiùs iraſci. Tali temperamento habitus eſt à Lacedæmonijs Themiſtocles, cùm admiſſus confeſtim dimiſſus eſt.

Petr. Patr. ecl. legat. 19.

Menand. ecl. legat. 137.

Plutarch. Themiſt. 221.

CAPVT XXX.

Quos legatus in itinere conuenire debeat, quos non.

QVæri & illud poteſt, An legatus per quorum ditiones iter facit, hos conuenire debeat. Interdum ipſe it; quandoque mittit qui excuſationis munere fungatur. Ipſe it, ſi, vt iret habet in mandatis. Quòd ſi cuius legatio eſt, ipſemet hæſitauit, & legatus fortuitum iter incœpit, in promptu habenda prudētia, cuius ductu ne in tenebris quidē errare poteſt. Hæc, opinor, ſuadebit vt obuij principes, ſi ſunt amici, adeantur, ac ſalutentur, deuij & abalienati vitentur. Prætextus aſſumetur neceſſaria celeritas, quæ negotiorum occaſiones ex magna parte ſibi vindicat. Excuſatione factum probatur, aut coloratur. Vtrobique cauendum ne ſuperbia, eique indiuiduus deſpectus prodantur. Neque enim alia excuſatè fiunt, quàm quæ non malignè fieri palam eſt. Vt adire

magiſtratus municipales eſt infra dignitatem legationis, ita quoque ij ſcire debent, publicè mitti eum qui illhac iter facit. Ergo ſimulatque familiares intra portas pedem intulerint, aut diuerſorio excepti, & locario fuerint, res minimè diſſimulanda; ſed ſciſcitantibus paratiſſime reſpondendum cuius ſint. Certè magiſtratus legatum & ſalutatione & alijs obſeruantiæ documentis excipient. Saltem qualicunque hoſpitalitate ſignificabunt animum bonum; qui apud bonos inuenit gratiam beneficij. Hanc beneuolentiam legatus expedita comitate & moderatione remunerari debet. Quod ſi nihil horum eſt, ac legatus ne vllis quidem verborum officijs dignus eſt exiſtimatus, ibi verò aut inſcitiam & ruſticitatem gentis, aut odium, aut quod odio odioſius eſt, contemptorem animum aduertere poteſt. Illæ deriſu & contemptu dignæ. At hoc vltimum etiam vltione. Quorum omnium ipſe tacitus obſeruator quæ viſum fuerit imo pectore condet; ſed non tacitus cùm legationem renunciabit, præteribit. Talium non equidem ſuadeo vt quærantur occaſiones, ſed ne fortè oblatæ poſthabeantur; cupidè etiam arripiantur, ſi in eo, quicquid eſt, latent ſemina motuum. Legati Senatus præter alia quæ hoſtilem Perſei animum ſignificabant, retulerunt ei, *nec ſibi aut venientibus, aut manentibus quicquam hoſpitaliter, aut benignè factum*. Prudenter. Nam ſequutum bellum regi improſperum. Ergo hæc principi, aut Senatui referri debent cùm is in legati perſona deſpectus; falſuſque eſt, eos amicos putans quos experitur inimicos. Nam modus hoſpitalitatis eſt argumentum voluntatis; magnitudo contemptus index odij, & quidem execrabilis. Cynethenſes gens inhoſpita & improba Spartam legatos miſerant poſt vrbem ſuam completam cædibus hoſpitum. Iſti in quamcunque Arcadiæ vrbem eundo ſunt ingreſſi, ea mox exterminati ſunt edicto ne rurſus redirent. Certè Mantinienſes poſt illorum abi-

Liu. lib. 32.

Polyb. lib. 4.

tum & vrbem & proxima quæque vrbi loca luſtrarunt, ſicuti infecta inceſſu hominum fœdiſſimorum. Eadem fuit perfidia illorum qui multa humanitate excepti à Mamertinis eos interfecerunt, & coniuges omniaque illorum rapuerunt. Enimuero quædam legationes, eorum reſpectu quorum ſunt, infauſtæ habentur, ad eum prope modum quem refert Philarchus. Nempe, ſicuti opinio eſt infortunium aliquod portendi ſi lac venale in aliquam domum inferatur, ita eam ciuitatem ait neceſſe eſſe morbo conflictari, in quam Athenienſium legatio aduenerit. Quod dictum Demoſthenes prolatum à Pythone aduerſario ſuo eluſit & confutauit. Hodierno die quædam gens eſt, cuius non modò legationes, ſed & ipſos afflatus peſtilentes eſſe, conterminæ gentes ſuo ſæpe malo didicerunt. Cæterùm vt laudo eam hoſpitalitatem, qua legatus excipitur, ita male odi eorum legatorum arrogantiam, qui non contenti qualicunque beneuolentiæ ſignificatione quæſitiſſima quæque honorum ſibi tribui æquum cenſent. Ac derepente toti ſunt in fermento, ſimulatque aliena aut cunctatio, aut grauitas non reſpondet ad ſpem. Certè ſperare debent aliud nihil, niſi vt excipiantur ſicuti legati, non colantur vt reges. Honores externi, nimirum, ſunt voluntarij. Quæ hodie nobis eſt ciuilitas, ſi non eſt incoacta, ſuum nomen, ſuamque venerem amittit. Nam quicquid cogitur ſeruitus eſt. At, inquiunt, regnantibus meritò tument præcordia quoties nullo cultu habentur. Fateor apud populares. Ab externis quiſquis auidiùs exigit non debitum, iniurius eſt. Ergo modeſtia prouocari debent officia: quæ arrogantia proterere non debet priuſquàm prodeant. Quod ſi princeps inuſitato honore cultus eſt in perſona ſui legati, id ſanè continuò reſcire debet; ne neſciens non quidem ſit ingratus, ſed, quod propemodum in æquo eſt, videri poſſit. Quæ præter hæc legatus refert ſuis, quia ſunt minuta, & inania, & ſuperua.

Diodor. ecl. legat.

Plutarch. Demoſth. 3. 1573.

cua, hominem produnt non diligentem, ſed ineptum. Cæterum legatus quà tranſit relinquere debet expreſſa veſtigia iudicij, grauitatis, modeſtiæ. Vitanda temeritas, ineptia, petulantia; atque his affinia, intempeſtiua profuſio, ſumptus nepotini, & prodigalitas libidinoſa. In ipſius perſona potiſſimùm elucere debet abſtinentia. Qua laude M. Tullius ſe ipſe vehementer commendat. *Adhuc*, inquit, *ſumptus nec in me aut publicè aut priuatim, nec in quempiam comitum. Nihil accipitur lege Iulia, nihil ab hoſpite. Perſuaſum eſt omnibus meis ſeruiendum eſſe famæ meæ.* Cum quibus legatus inſtituet ſermonem nunquam argutandum more mulierculàrum. Nihil dicendum, quo is, cuius legatio eſt, neſciens obligetur. Verba decora ſanè, & electa, & luculenta hodie talibus locis in ſpeciem hinc inde vſurpantur, ſi non argumenta mutuæ beneuolentiæ, at imitamenta. Cum alienioribus aut conſultò ambigua oratione, aut ſuſpenſa vtendum. Odioſa, & ſuſpitioſa quæque diſſimulanda; prompta humanitas & beneuolentia promptè agnoſcenda. Nemini non potiùs reſpondendum, quàm is interrogandus. Et hæc ipſa reſponſa ſobria malo & amputata, quàm luxuriantia, ac redundantia. Ita vt legatus aliena potiùs rimetur, quàm ſua promat, diſcatque magis quàm doceat, ſermoni temperando ſæpiùs quàm indulgendo. Ingenioſior ſit reperienda occaſione gratias agendi quàm quicquam petendi. Ita ſe gerat, vt omnes fateantur mores ſapientiſſimi principis & præclariſſimæ gentis effictos in perſona ſua. Adeò vt quiſquis legatum viderit, totum principem, omnemue Senatum multa ſimilitudine exſcriptum putet. Hinc diſcedens hoſpitale munus ne temerè accipiat. Minus grauatè illud, quo æque probatur moderatio accipientis atque benignitas dantis. Tigranes ille qui ſe ferebat regem regum, magna munera miſit Appio Claudio; Quæ cùm is reſpuiſſet, alia rex inſuper addidit. His quoque repudiatis, denique vna

Cic. ad Att. lib. 4 ep. ep. 2. 111. & 153.

Plutarch. Lucullo.

vna tantùm phiala Romanus contentus fuit. Ergo ſi quid legato & opulentiùs & maioris momenti offertur, palam faciat, ſibi probari animum autorem muneris: rem accipere non eſſe pudoris ſui. Nulla comitate ſuam modeſtiam, nulla benignitate ſuam continentiam expugnari poſſe doceat. Animo ſuo identidem reputet, in tanto munere minimam eſſe licentiam. Se cæteris eſſe ſpecimen. Ac nullum neque dictum, neque factum ſuum magis eſſe in obſcuro, quàm ipſam fortunam principum, qui quòd in excelſo ætatem agunt, vt ſuſpiciuntur ab vniuerſis, ſic vita ipſorum omnium rumoribus obijcitur. Poſtremò impensè ſuadeo, vt ſi legatus bonos mores domo ſecum extulit, hos ne amittat in via, ſed in patriam referat, & quidem limatiores. Ad eius ſcilicet, exemplum mores vniuerſæ gentis æſtimari poterunt. eademque ſtatui documentum, quo cæteri legati dein iter faciant. Tam laudabilis legationis exemplum exſtat apud Diodorum Siculum in eclogis legationum. Legationem præter alios obibat Scipio Africanus miſſus ad ſpectandum regnum Ptolemæi regis Ægypti. Cùm rex magna pompa legatis obuiam iſſet, eoſque prorſus apparatu regio, & ſplendidiſſimis conuiuijs excepiſſet, eos inſuper per regiam circumduxit, totus in eo, vt regias opes Romanis oſtentaret. At legati, nimirum homines excellenti virtute, regis magnificentia luxuque in leui habitis, veluti quæ animos & corpora ſimul corrumpunt, illa quæ rex præ cæteris admiranda proponebat ita aduerterunt quaſi non inſpicerent. Verùm in ea præcipuè verſi quæ ſunt ſpectatu digna, impenſiùs aſpexerunt vrbis & poſitum, & molem, & pharum, & quicquid ibi eruditos oculos in ſe conuertere poterat. Inde Memphim nauibus vecti, & vber. ſoli, & opportunitates Nili, tum multitudinem oppidorum Ægypti, & incolarum numerum propè incredibilem, munimenta eius regionis, ſingulorum locorum reditus potiſſimùm ad-

Diodor. Sic. ecl. legat. 329.

notarunt. Hinc apud animum quiſque ſuum ſtatuerunt, in Ægypto poſſe ſummo ducatui eſſe locus, ſi illi regno contingat habere ſe dignos duces. His tot, talibuſque rebus per Ægyptum ſatis conſideratis, tranſierunt in Syriam; plurimaſque orbis partes peragrarunt. Eaque peregrinatione peracta, ipſi temperantiæ ſapientiæque laudibus inclyti, omnium ſermone celebratiſſimi, omnique genere honorum culti, denique multis nominibus ſuſpiciendi & celeberrimi ſeſe reddiderunt patriæ.

CAPVT XXXI.

Legatio per partem legatorum, aut per aliquem è comitibus perferri poteſt.

VIdendum an legatio, parte legatorum, ſi plures ſunt, detenta vi morbi aut alio caſu, per alium perferri poſſit. Nempe aliquando accidit, vt non omnes ſimul, vt miſſi ſunt, ſed aliqui tantùm ex his mandatas partes exequi poſſint. Et verò Strabo memorat, è multis legatis Indicis miſſis ad Auguſtum, vnos tres Romam perueniſſe, & legationem obijſſe; cùm alios & viæ longitudo, & alia incommoda abſumpſiſſent. Et quidem tali re luce clarius, licere legatis non impeditis præteragi, ac perferenda legatione fungi vicem omnium. Cum Callicratem legatum Achæorum Rhodi morbus abſtuliſſet, alter legatus Diæus Romam perrexit. Quòd ſi nulla ſubeſt cauſa properè eundi, præpropere pergit alter ſocio relicto: præſertim ſi legatio tanti eſt, vt non niſi vtriuſque humeris ſuſtineri poſſit. Semper enim & ſuſpitionibus obnoxia, & periculoſa res eſt, legatum quidpiam negotij agitare ſeorſim ab ſuis collegatis; vt è facto Edeconis alibi dico. Ideoque prudentes legati vix vnquam eò deueniunt, niſi extremæ neceſſitatis coactu. Sergius

Strabo lib. 15. 663.

Pauſan. lib. 7.

Priſc. ecl. legat. 25.

Procop. lib. 2. belli Perſ.

ab Iuſtiniano legatus ad Choſroem, cum in itinere Conſtantianus alter legatus ægritudine attineretur, in Perſiam penetrare noluit. Quòd ſi munus legationis incumbit vni, cui citra petitum locum inſperatò impedimentum obiectum eſt, tunc omne conſilium redeundi, ſubſiſtendi, mittendæ legationis petendum è loco ſimul, & ingenio negotij. Nam ſi legatus eò peruenit, vnde non longus ad ſuos recurſus eſt, ſuadeo ne parſit nuntijs, vt quorum intereſt, hi rebus ſuis, quatenus licet, conſulant. At ſi iam eſt ingreſſus fines exoticos, ac vel puſilla mora omne negotium peſſumdat, nihil, ſcilicet, opus eſt ſciſcitari id conſilium, quod non poteſt eſſe niſi ſerum. Ergo quomodo in legato electa eſt fides & induſtria, ita ipſi eligendus eſt vicarius honeſtiſſimus, & ſolertiſſimus è comitibus. Huius opera ſe excuſabit, ſimulque petet negotio tempus prorogari. Expeditum ſanè remedium, dummodo ſit impetrabile. Quid, ſi legato res eſt cum ſuſpitioſis, & eam ipſam occaſionem pro impedimento cupidè arripientibus? Quid, ſi cum Senatu venali, aut multitudine concitata? Quid, ſi omne momentum legationis non tam eſt in arbitrio illius cuius eſt, quam in illorum manu qui adeuntur? Nempe ea legatio miſſa eſt ad excuſandum, ad ſatisfaciendum, ad promiſſorum fidem exoluendam: Quæ omnia ne momento quidem differri poſſunt ſine lata culpa, aut ſuſpitione fraudis, aut nota perfidiæ? Enimuero tunc maximè pertinet ad fidem legati maturè præſtare fidem ſuorum; & arcanum legationis continuò promere illius miniſterio, quem ipſe huic muneri aptiſſimum dilegit; ne impatientia rei diu expectatæ ſuſpenſos abalienet, aliudque meditari cogat. Aut, ſi compendioſius ducet, rogabit mitti ſibi ex omni Senatu delectos viros, quibus ea quæ habet in mandatis edat, amouendæ, videlicet, ſuſpitioni contemptus, inriſus, doli mali. Quia moras & impedimenta haud dubiè in crimen detorquent anxia &

ſuſpecta pectora illorum, quorum commoda legatio reſpicit; putantque rem agi ſubdolè. Hoc malo fuit implicitus Tarquinius Superbus ob ſuſpitionem excitatam auctamque *ab Turno Herdonio Aricino, tunc cùm in diem certam ad lucum Feroniæ conuentus indictus eſt*. Ita quoque aliquot ab hinc annis Poloni exiſtimarunt fingi ſibi illa, quæ Vido Pibrachio in itinere atrociſſima acciderant, vt in vita eius memoraui. Ergo quoties vel in tantilla mora periculum eſt, ſapienter legatio, aut eius pars præmittitur; ne is, qui aditur, aduentum ſe legatorum ignoraſſe prętexat. Sic legati Romani qui ad Iugurtham obſidentem Adherbalem miſſi erant, *ſimulatque Vticam ſunt appulſi, literas ad eum mittunt, quàm ocyſſimè ad prouinciam accedat*; ſeque ad eum ab Senatu miſſos. Enimuero tunc legatus experitur quanti ſit aſſumere in comitatum viros bonos ac ſtrenuos, quorum miniſterium, ſiquid tale acciderit, habeat ad manum. Et legibus quidem cautum eſt, vt poſſit quis (cogente, ſcilicet, neceſſitate) & per alium legationem mittere. Nam etſi Martianus iuriſconſultus propriè loquitur de legationibus municipalibus, nihilominus tamen nihil cauſæ video quapropter hoc ipſum de alijs non conſtitui vtiliter poſſit. Qui verò ſint alij, nominatim tradit Martianus, dum filios dat vicarios patribus. Qua ſanè appellatione ſeriò monetur legatus, vt in hoc delectu ſit attentus, pauidus, & circumſpectus. Denique intelligat, ſe non alterius humeris pondus legationis imponere poſſe, quàm vnius illius, quem natura alterum ipſum eſſe voluit. Quæ charitas cùm ſæpe filios egrediatur, & porrigat ſe vſque ad illos, quorum virtus haud eſt minus amabilis, quàm ipſa naturæ pignora; filij appellationem latiùs extendo; eoſque contingere puto, qui legato, propter virtutem, filiorum loco ſunt. Quod eò magis firmo, quòd id à magnis viris factitari video.

Liu. lib.

Salluſt. in Iug.

L. 2. in princ. D. de leg.

L. 4. D. de leg.

CAPVT XXXII.

De comitibus legati.

MEntio comitum admonuit ne hos negligerem: Legatus ſecum ducit & comites & familiares. Comites voco illos, qui aut à principe, aut à Senatu dantur legatis honeſtioris notæ homines; quomodo Phœnix ab Agamemnone Vlyſſi & Aiaci datus eſt dux, comeſque. Aſſumuntur etiam ab ipſo legato præter proprios filios, vt ſupra dixi, quiſquis legationi vſui eſſe poteſt, vt Lælius à P. Africano. Magiſtratibus in prouincias proficiſcentibus dari ſoliti ſcribæ, accenſi, medici, aruſpices, præcones. Neque enim ſancta cohors comitum vlli ſeruili, aut familiari negotio implicatur; ſunt enim miniſtri legationis, ſicuti neque milites deputantur obſequijs, aut priuatis imperatorum negotijs. Eodem prope exemplo, quo moderatoribus prouinciarum aderant ij, quibus domeſticis nomen & cancellarijs. In legationibus, videlicet, arduis & longinquis omnia ſunt aduertenda, multa inueſtiganda, atque adeò ipſa inania, quorum ductu itur ad ſeria. Neque legatus ſemper eſſe poteſt in circumſpectu omnium. Ergo adiutrice opera, & ſenſibus alienis vtitur & ſuis. Homines tam opportunos atque adeò tam neceſſarios quis non videt cenſeri oportere Attica, vt ita dicam, fide, & alacri induſtriæ ſpiritu, qui ſit cumulatus doctrina, laudibusque morum? Sunt enim legatorum vicarij, aut, ſi mauis, ſecundarij quidam legati. Et priſca conſuetudine adhibentur illis ipſis ſolennibus ſacris, quibus ipſi legati; vt Scythico libamini, quod feris hominibus fuit gentile ſacrum. Nonnunquam vnà cum legato interfuerunt epulis regum & Cæſarum, vt infra dicam de interprete. Ne multa; Comites ſunt veluti.

Cic. Academ. quæſt. lib. 2.

Veget. lib. 2. cap. 19.

Cod. de aſſeſſor. per to. tit.

Herodot. lib. 4.

affixi cuſtodes legatis, aut eorum, vt ita dicam, Optiones. Denique hinc ſumuntur animati traduces, qui poſtea in Repub. areſcunt. Sic Panætius Scipioni, ſic Orobazo legato Arſacis ſolers ille Chalcidenſis; ſic legatis Hadriani II. Pontificis Anaſtaſius bibliothecæ præpoſitus, homo literatus; ſic alij alijs comites additi. Fidem certam & ſinceram ab iſtis exigo; ne in quarum rerum conſcientiam adhibentur, has infideli loquacitate euertant. Eudulius à Choſroe de pace miſſus ad Valerianum regendis Armenijs ab Iuſtiniano impoſitum à comite, eodemque fratre ſuo proditus eſt. Is enim clam congreſſus cum Valeriano mala Choſrois nudauit, hoc eſt filij cōtumacem animum, ac dominationi imminentem; ſuper peſtilētiam, quæ Perſarum exercitum depaſcebatur. Quæ vt innotuere Iuſtiniano, mentione pacis abiecta, Valerianus raptim infeſto exercitu hoſtile ſolum ingredi eſt iuſſus. Quid, quod hæc eſt ſæpe factitia fabrica, vt legatione protegantur ij, qui per ſpeciem comitum mittuntur ad circumſcribendos incautos, ac nec opinantes? Priſcum eſt vaframentum. Nimirum, Tarquinius cum legatis Latinorum Romam miſit corruptores quoſdam (tanta illi in auro fiducia) qui egentiſſimum quemque & ſeruitia perpulerunt coniurare aduerſus patritios. Id quod aut ſcelus fuit, aut affine ſceleri. Tu hanc vocas induſtriam? Ego certè fraudem, indignam quam legatio recipiat in comitatum. Simili verſutia Lælius ad Syphacem profectus legatus quoſdam ſpecie ſeruos, re tribunos ac centuriones, miniſterio exploratores ſecum duxit. Id factum Liuius memorat his verbis, *Scipio cum legatis quos mitteret ad Syphacem calonum loco primos ordinis ſpectatæ virtutis atque prudentiæ ſeruili habitu miſit. Qui dum in colloquio legati eſſent, vagi per caſtra alius aliâ aditus exitusque omnes, ſitum, formamque & vniuerſorum caſtrorum & partium quà Pœni, quà Numidæ haberent, quantum interualli inter Aſdrubalis*

Plutarch. in diſp. princ. deb. eſſe philoſoph.
Plutarch. in Sylla.
Annon. lib. 5. cap. 28.
Procop. li. 2. belli Perſ.
Dionyſ. Halic. lib. 5.
Frontin. ſtratag. li. 1. cap. 1. & 2.
Liu. lib. 20. 585.

ac regia caſtra eſſet, ſpecularentur; moremque ſimul noſcerent. ſtationum vigiliarumque; nocte an interdiu opportuniores inſidiantibus eſſent. Ab iſtis fraude confectum eſt bellum. Id quod haud magis probo quam ſocordiam hoſtis, qui eo pacto ſe ductari paſſus eſt. Induſtriam nulla labe aſperſam libentiùs amplector: cuiuſmodi fuit Chalcidenſis illius ex comitatu Orobazi. Is enim inſpecto Syllæ vultu, cæteroque habitu callidè æſtimato, viri ſpiritus & fortunam, quantaquanta poſtea fuit, præſumpſit. Nempe hic Perſa, dum Sylla & legatus ſermones cædebant, non fuit otioſus inanium ſpectator, aut ineptus barbari cultus admirator; ſed, hercule, perſpicaciſſimus Syllani vultus inſpector, ſagaciſſimus latentis ingenij rimator, ſubtiliſſimus principalium geſtuum obſeruator. Tales velim ab legato adſumi comites; non illos, qui aut ſunt nulli rei, aut ijs ſuſpecti, aut etiam inuiſi qui legatione adeuntur. Aduentus Appij Claudij, aliorumque quos Senatus mittebat in Græciam, vt Achæos inter & Lacedæmonios cognoſcerent, Achæis ægrè fuit. Quia legati ſecum duxerant Areum & Alcibiadem, quos Achæi hoſtes iudicauerant. Interdum ad conciliandum fauorem legationi comites legato dantur ab communibus amicis, illius, ſcilicet, cuius legatio eſt, & illius ad quem mittitur. Ad hunc modum dicuntur Armenij & Chaldæi comites additi ei legato, quem Cyrus miſit ad regem Indorum. Sic *Monobazus Adiabenus teſtis ijs, quæ inter Varſacem & Pætum pacta fuerant, teſtis adhibitus.* Inter comites plerunque eminet is, quem vocant ab epiſtolis, aut à ſecretis. Qui, hercule, non temerè eſt adſumendus, ſed priùs explorato an pluris apud eum ſit fides quàm merces; ne, vt trutina, eò propendeat vbi plus poſitum fuerit. Hunc velim eligi patrij germinis hominem; cuiuſque ſpes omnes claudantur intra charitatem ſuæ Reipub. Ne locatam fidem non diutiùs retineas, quàm quandiu

Plutarch. in Sylla.

Pauſan. li. 7.

Xenoph. li. 3. Cyrop.

Tacit. li. 15. Ann.

Herodot. lib. 3. dando & pollicendo facis tuam. Sic olim Senatus, ſic reges Perſarum omnibus prouinciarum præfectis regios ſcribas dare ſoliti. Cuius moris hodie retinens eſt Senatus Venetus. Horum miniſterio in rebus arduis & arcanis circumſpecti legati perrarò vtuntur; maluntque ipſi, quoad eius fieri poteſt, arcana ſua intra pectus continere, eaque ſua manu perſcribere, quàm quicquam alienæ fidei & conſcientię credere, quod ſi emanet, ipſos peſſimè habeat. Enimuero nonnulla ſæpe accidunt quæ prudentiùs quiſque pectori ſuo quàm amico credit. Neque verò à comitibus legati ſolùm hanc fide ſubnixam induſtriam exigo, ſed, propè dixerim, ab ſingulis eius familiaribus. Hos enim cupio eſſe homines catos & idoneos ſpectandis, cognoſcendis, referendis ijs, quæ legatum non neſcire opus eſt. Eadem eſt ratio angariorum, curſorum, tabellariorum. Nam ſi non modeſtia horum oculos, ſilentium linguas, temperantia manus cohibeat, denique fides totos muniat, legato negotium faceſſunt.

CAPVT XXXIII.

An vxor in legationem duci debeat.

RESTAT præcipua comes legati. Vxorem dico. Quæ ſanè an comes peregrinationis in externas gentes trahi debeat, non abſurdè quæritur. Et quidem non eſſe ducendam, ideo videri poteſt, quod fœminæ pro ſua impotētia, dum id agunt vt negotia promoueāt, affligunt. Impetus adeſt; iudicium abeſt. Accenſa ſtudia deſtituit ſapientia; curioſitas inſidet pectus, inconſtantia caput agitat, leuitas ſoluit linguas. Denique ſi quid vitij in vniuerſa gente eſt, non alius citiùs denudat. Omitto comitatum, in quo primus ſeſe offert luxus. Quem è veſtigio ſequuntur artes

artes effœminatæ, & ſtudia indecora, & vitia non mediocria. Nihilque adeò veriùs eſt dicto illo Menandri,

† Vxor ſumptuoſa eſt permoleſta, neque permittit, viuere qui eum duxit; vt vult.

† Γυνὴ πολυτελής ἐςʹ ὀχληρὸν, οὐδʹ ἐᾷ
Ζῆν τὸν λαβόνθʹ ὡς βούλεται.
In fragm. Men.

Atque iſthactenus loquor de incolumi pudicitia. Quid ſi ea coinquinetur? Nempe huc demum res redit, vt dum adultero opera datur, vir prodatur. Nam ad huiuſmodi adulteria libido quæſtuoſa prolicit fœminas, ars adulterum. Atque adeò hæ fœditates ſunt è præcipuis virtutibus iſtorum, quibus in aula nihil non arridet. Neque enim ſolùm excuſantur, vt culpa inter viros fœminaſque vulgata, ſed, quæ eſt fœcunda laus huius ætatis, commendãtur tanquam ratione commiſſa. Sic Alcibiadis, cui cum Timæa Agidis vxore fuit conſuetudo ſtupri, ſic Auguſti impenſa libido, ſic aliorum adulteria totis familijs & imperijs funeſta, vt Seiani, non tam velata ſunt, quàm colorata. Solerter Ariſtoteles inter cæteras tyrãnidis artes numerat quoque γυναικοκρατίαν περὶ τὰς οἰκίας, id eſt, eam, quæ fœminis conceditur catillandi licentiam. Et mirantur legati, ſi occulta, quæ cõſcientiam fidiſſimæ comitis egredi non debuerunt, debuccinantur? Paratus quiſque eſt, ſat ſcio, iuſiurandũ dare, credere ſe ſuam vxorem eſſe pudicam. Quid mirum, cùm domeſticum dedecus vir ſciat vltimus? Qui tamen ſæpe in ſinu geſtat propter quæ ipſum aliorum miſeret. Sæpe ægrotãt illi ipſi qui curationes obeunt. Cocodrili in aqua perhibentur cæci, ſub dio perſpicaciſſimi. Sic multi domi habent oculos noctuæ. Pedem limine extulerunt? momento fiunt dracones, aut aquilæ, tam cernunt acutum, vt vrbem totam peruenentur, & abdita ſoli aduertãt. Dein quicquid, vt fœdũ, auerſantur, alienis malis annumerãt. Vſque eò familiare eſt hominibus, vt ſibi quiſque fucum faciat, ſeque vt Cæneum, & Cygnum perhibent, putet inuulnerabilem. Quæ omnia etſi quandoque

Plutarch. de tranq. an. & Athen. lib. 12. & Iuſtin. lib. 5. Sueton. in Aug. Ariſt. lib. 5. pol. cap. 11.

Herodot. lib. 2. & Pl. n. lib. 8. cap. 25.

Palaphat. in Cygno.

vera ſunt, ſemper veriſimilia, tamen & diſſeri contra validè poteſt. Scythicum planè eſſe, Vxorem, vt alteram Penelopen, tãquam longo diſſidio improbatã, in viduitate, ac ſolitudine relinqui. Vt dum miſeræ implexæ luctu cor guttatim cõtabeſcit, vtrique coniugũ eripiatur illud ipſum; cuius gratia matrimoniũ inuentum eſt. In hanc ſententiam Agamemnon,

Hom. Iliad. c.

† Αἱ δέ πυ ἡμέτεραί τ' ἄλοχοι καὶ νήπια τέκνα
Εἵαται ἐν μεγάροις ποτιδέγμεναι.

† Et noſtræ vxores, & imprudẽtes nati ſunt in ædibus expectantes.

Sic, ſcilicet, diſſociari coniugia, ac prope obliterari; & caſtitatem ſexus imbecillis exponi cupidinibus alienis. Certè præſtare coniugia præſenti cuſtodia manere inlæſa, quam tali diuortio lacerari, mox, ſubrepente licẽtia, maculari. Stultè metui ne præſens vxor viro in obeunda legatione impedimento ſit. In aſſumenda omnes opes iudicij aduocandas fuiſſe; ne pro fido ſolatio incõſultè blandiens aliquod malum induceretur; atque vt cõſideratè fieret quod factum non mutatur. Nam poſtea vnicuique ſuam ſortem æquo animo ferendam. Verè & hoc Menander,

In fragm. Men.

† Μὴ οὐ γαμεῖν γάρ· ἂν ἅπαξ λάβῃς, φέρειν
Μύσαντα πολλὴν προῖκα καὶ γυναῖκα δεῖ.

† Ducas caue vxorem. Sed ſi ſemel duxeris, ferre conniuẽtem multã dotem & vxorẽ oportet.

Ideoque in honeſtiorem ſententiam inclinandum, Viro, qualecunque munus obeat, vxorem datam eſſe adiutricem. Hãc in aduerſis eſſe ſolatium, in proſperis oblectamentum, in arduis leuamen, in dubijs hortamen. Domi prȩſtare ſedulitatem, foris dignitatem, vtrobique fidelitatem. Tali comite legatum priuari alieniſſimo tempore. In eoque plus eſſe atrocitatis quò legatio futura eſt diuturnior. Quid, quod non paucæ reperiuntur ſecretorum capaciſſimæ, & prudentia longè ſexum anteuenientes? Philippus pater Alexandri magni quocunque inferret arma, illuc ducebat vxorem. *Hipſicratea, tonſis capillis equo ſe & armis aſſuefecit, quò facilius laboribus & periculis viri [Mithridatis] intereſſet. Quinetiam victum à Cn. Pompeio per efferatas gẽtes fugiẽtem animo pariter & corpore*

Athen. lib. 3.

Val. Max. lib. 4. cap. 6. & Plutarch. Pompeio.

infatigabili ſecuta eſt. cuius tanta fides aſperarum atque difficilium rerum Mithridati maximum ſolatium & iucundiſſimum lehimentum fuit. Cum domo enim & penatibus vagari ſe credidit, vxore ſimul exulante. Porcia ingentis facinoris Bruto conſcia fuiſſe dicitur. [*Plutarch. Bruto. 3. 1811..*] *Auguſtus de Repub. ſæpe ſermones habuit cum Liuia ſua; eademque comite ſæpe in Occidentem ſæpe in Orientem meauit.* [*Sueton. in Aug.*] Pompeia Plotina immane eſt quanto auxerit gloriam Traiani. [*Tacit. lib 3.*] M. Antoninus Philoſophus Fauſtinam ſecum in æſtiuis habuiſſe dicitur; eamque matrem caſtrorum appellaſſe. [*Victor in Iuliano. Capitol. in M. Anton. phil.*] Placilla Theodoſio, ob ſingularem pietatem, fuit ingenti ornamento. [*Niceph. lib. 12.*] Adnotatum eſt Zemoſthenem Charmolcum Maſſilienſem, cùm legationes pro patria obiret, ſecum circumduxiſſe Lydimacham vxorem ſuam, licet mala forma fœminam. [*Lucian. Tox. 623.*] Vxor Tiberij ſecundi, & Sophia Iuſtini vnà cum viris imperium adminiſtraſſe dicuntur. [*Menand. ecl. legat. 96. & 131.*] Huc adde, quòd caſtitas legitimi thalami præcîdit omnes occaſiones vitæ ſalacis, quæ cuilibet ingenuo, nedum legato, dehoneſtamento eſt. Inter ea quæ numen amat nihil eſt neque prius neque potius, quàm cupido ſedatus, & propoſitum animi pudici. Ego meditationi cuiuſque legati relinquo an hæc præualeant; talemque habeat vxorem, cum qua & cogitationes intimas, & cætera curarũ partiri poſſit. Nempe ſic dotata ad longinquam & illuſtrem legationem comes adſumi poteſt; vt ipſa quoque icta lumine, quod hoc munus radiat, domum cõſpectior redeat. Ita Iſdigunnas legatus ab Choſroe ad Iuſtinianum in eam legationem aſſumpſit vxorem & filiũ. [*Procop. li. 2. belli Perſ.*] Suæ, ſcilicet, gloriæ ita fauens, vt non ijs, quos chariſſimos habuit, ſocietatem eius inuideret. Prope ad eam formam, qua triumphantes imperatores liberos vtriuſque ſexus vrbem ineuntes ſecum vehebãt. Quæ mihi quidem eam hiſtoriam legenti viſa eſt intima cauſa. Nam Procopius nugator merus eſt, & inuentor ignauæ rationis, cùm id ab Iſdigunna factum

Diodor. Sic. lib. 17. biblioth.

memorat, quo magis honeſtaretur legatio. Nihil eſt vulgatius more Perſico, omniſque propemodum barbariæ, vbi mulieres trahuntur ad longinqua, atque adeò ad bella, teſtes & incitamenta virtutis. Poſtremò, ducant non ducant, peregrinis vxorum criminibus mariti perinde quàm ſuis plectuntur.

Ulp. in l. 4. D. de off. Proc.

Proconſulem, ait Vlpianus, *melius eſſe in prouinciam proficiſci ſine vxore. Sed & cum vxore poſſe; dummodo ſciat, Senatum Cotta & Meſſalla COSS. cenſuiſſe futurum, vt ſi quid vxores eorum, qui ad officia proficiſcuntur, deliquerint, ab ipſis ratio & vindicta exigatur.* Tu pro Cotta & Meſſalla COSS. quibus verbis nihil eſt deprauatius, lege Cotta Meſſalino cenſente. Nititur emendatio autoritate Taciti, qui libro quarto Annalium huius S. C. diſertè meminit in actis anni V. C. DCCLXXVII. Cornelio Cethego, Viſellio Varrone COSS.

CAPVT XXXIV.

De familia legati.

MOdo familiæ non ego eſſe finitor, ſed legati prudentia debet. Familiarium alij habentur ad decorem, alij neceſſitudine. Huic tantùm paruerunt illa magna pectora, quæ ſibi decus ex magnitudine rerum geſtarum, non ex longo aſſectãtium comitatu pepererunt. Scipio Æmilianus is, cui immortalem famam circumdedit Carthago exciſa & Numantia deleta, ad reges adeundos à Senatu miſſus tam arto comitatu profectus eſt, vt præter Lælium amicum, & Panætium philoſophum, ſeptem ſeruos ſecum duxerit, quos alij tradũt fuiſſe duos, alij quinos. Totidem Cato ſenior cùm militaret, habuit. Iulius Cæſar cùm mille nauigijs transfretaſſet in Britanniam, ternos. Vnde hanc paucitatem fuiſſe cenſes, ſi non à moderatione? Nimirum, vt ait Athenæus † κεκολασμένως ἔζων, τηροῦντες τὰ τῆς πολιτείας. At hodierna ingenia,

Val. Max. lib. 4.

Athen. li. 6. & Plutarch. in Apophth. Plin. de viris illuſtrib.

† frugaliter viuebãt, ſeruantes ciuilem modũ. Id quod Nazarius vertiſſe videtur his verbis, *reſtrictè, cõpteque viuebant*, in panegyr. ad Conſtant.

quia ſtultitiæ fluctibus iactantur, magnitudinem principis, maieſtatem Senatus, decus legationis ponunt in longo ordine impedimentorum, in conferto agmine aduorſitorum, deductorum, aſſectatorum, ſalutatorum, anteambulonum, manduconum; in multitudine equorũ, plauſtrorum, puerorum, cætero apparatu luxuriæ. Adeò vt legati turba quàm dignitate conſpectiores videantur miſſi ad traducendam pompam, ad exhibenda ſtolidorum oculis ſpectacula; denique in hoc vt monſtrentur digito prætereuntium. Et verò aduertuntur, monſtranturque non vt aliquod ſpecimen peregrinæ virtutis, ſed vt euidens documentum barbaræ ſtoliditatis. Nam quo pertinent illa fœminarum propria, totos dies lectica ferri, aut equis vias terere, aut vectari, ſicuti vſum pedum amiſerint? Quid ſibi vult hæc pompa titulorum, aliaque honorum, quæ à principum fortuna iſti audacter mutuãtur, & ad ſuam transferunt, quam ridiculè affirmant eſſe ſimulachrum principalis? Quid? eò ventum eſt, vt hodie ignarus habeare omnium rerum, ſi legato inſcripſeris literas ad hunc modum, Viro ſtrenuo, induſtrio, egregio, docto, prudenti, ac non illuſtriſſimo & excellentiſſimo (nam nihil egeris ſi non geminaueris) & ſiquid pote ineptius & inanius. At, inquis, hæc dantur dignitati eius principis, aut imperij cuius legatio eſt. Audio, & ſcio. Sed apud me pluris eſt dari mihi ſubmiſſiores eoſdemque veriores titulos, quàm muneri meo ſublimiores, eoſque falſos; quibus, videlicet, ſuſtinendis meæ & animi & corporis qualeſcunque dotes impares reperiãtur. Pudet referre inceſſum pompaticum, tum ſegmenta & aurum illitum, intextumque veſtimentis, & colores meretricios, eumque cultum, vbi nihil eſt ſerij, nihil ſeueri. Fateor, artificiosè legatos quandoque nouo, inſolitoque ornatu effulſiſſe, vt ea nouitate curioſitatem hominum accenderent, eóque legatio auguſtior eſſet. Quo conſilio Pythermus qui- *Herodoti lib. 1.*

Hygin. fab. 69. dam Phocenſis princeps cuiuſdam legationis, quam Iones, & Æoles miſerunt Lacedæmonem, inſignem ſe fecit veſte purpurea. Hac mente magni ſæpe viri inſolito geſtamine aduerti voluerunt; vt Polynices is, qui Adraſto reſpondit, Exuuias leonis eſſe induuias ſuas, inſignia, videlicet, generis. Et Tydeus cùm ſe Ceneo prognatum firmaret, & à Calidone genus ducere, pelle aprina, quo tegmine vtebatur, ſignauit aprum Calydonium. Supra in exemplo eius legationis, quæ fœdè à Tarentinis violata fuit, vidimus legatis dari ſolitam veſtem, cui nomen ſacræ, nempe indumentum auguſtius, dum is obit ſacrum munus. Ariſtagoras Mileſius à ſuis legatus Lacedæmonem, *ἐν τακτικ. 127.* Ionibus poſtulauit auxilium aduerſus Perſas, à quibus bello premebantur. Is dum concionem habuit, pretioſa veſte circumamictus perhibetur, ſed in alijs oſtentans luxum Perſicum. Huic ergo quidam ex ephoris dixit, † οἴκοι τὰ μιλήσια, ac ſi dicat, noli inſerere iſtos mores luxurioſos Spartanis rigidis, frugalibus, & ſeueris. Ego autor ſum legatis vt ne temerè degenerent in peregrinitatem; veſteſque patrias non magis mutent, quàm mores, ne patriorum rituum perfugæ dici poſſint. Certè legatos exterarum gentium cultu externo, hoc eſt, ſuo Romæ ſub Nerone ſpectaſſe ludos, teſtis eſt Tacitus. Denique & habitus, *Taci. lib. 13. Ann.* cultuſque legati, eiuſque familia ſeueris hominum iudicijs probatur, ſi in ea agnoſcuntur frugalitas & ſplendor pari libra. Frugalitatem non dico illam nimis anxiam, quæ, vt aiunt, centro & linea omnia ſua metitur; ſed quæ, abiectis ſordibus, apparet culta, & nitens munditia. Splendorem agnoſco eum, qui recidit luxum populatorem opum. Neque tamen inficior magnorum imperiorum legationes ſæpe circumfundi multitudine comitum, & magnificentia inceſſus repræſentare opes ſuorum, dum in eo dignitas conſpicua ſit, non ſeſe prodat ſuperbia. Ita Con- *Niceph. X. l. 10. cap. 18.* ſtantius cùm propagandæ veræ pietatis, & confir-

† domi Mileſia (continè).

mandæ Chriſtianæ fidei gratia legationem ad Orientales gentes mitteret, ambitioſa munificentia eam inſtruxiſſe dicitur, electo in eam Theophilo Indo viro inſigni, ad conciliandum ei fauorem vniuerſorum. Itaque ad ducentos generoſos è Cappadocia equos nauibus impoſitos, aliaque inſuper dona perferenda Theophilo dedit: vt illi & liberalitatem ſuam, ſimulque animi magnitudinem admirarentur. Cæterùm non alios legatus in vſu habere debet, quàm quos commendat modeſtia, & gloria obſequij, & probitas morum. Conuicium paſcere ignauos. Honeſtum eos, qui propria induſtria propulſare valent egeſtatem. Hos ipſos non ſine delectu ſuccenturiatos, ſed in patria conquiſitos æſtimatoſque. Et ſi enim

Iuuenal. ſat. 9.

Viuendum rectè cùm propter plurima, tunc his
Præcipuè cauſis vt linguas mancipiorum
Contemnas. Nam lingua mali pars peſſima ſerui.

Atque adeò etſi ipſe totus eſt nihili;

† Seruo peius nihil ne bono quidem.

Incerti.

† Δούλου δὲ χεῖρον οὐδὲν, οὐδὲ τοῦ καλοῦ,

tamen, quia ſicuti primitijs metallorum adhæret ſcoria, & iniuria fæculentæ permixtionis, ita vitijs nemo non vrgetur, verendum eſt, ne familiaris ex miniſtro factus explorator, & futilis locutor, domeſticas maculas ijs denudet, qui malignè rimantur aliena. Nemo etiam eſt adeò circumſpectus, quin inter iocos laxet ſeria. Quæ ſi non tutis auribus excipiuntur familiæ probæ, ac tacitæ, haud dubie eliminantur. Nam omnis fama plerunque à domeſticis emanat autoribus. Ergo domum legati oportet aſpici ſine labe, eſſeque venerabilem, vt cohortem, quam dixi, Prætoris. Adeò vt, quiſquis illam aduerterit, accendatur quare cupiat ſcire cuius ſit. Eſt enim legato familia ſua id quod olim primatibus officiorum domeſtici & cancellarij; qui moderatoribus prouinciarum erant ſicuti ſponſores probitatis.

Arg. l. nullus C. de aſſeſſ. & dom.

CAPVT XXXV.

Quibus honoribus, & qua comitate excipiantur legati.

MAioris alicuius imperij legato propinquanti, per officium obuiam mittitur. Et hinc incipit paratus is quo magnī hoſpites excipiuntur. A quibus negligitur, in hos meritò oritur ſuſpitio animi auerſi. Cum Cæſar, cœpto bello ciuili Romam ductaret exercitum, adnotatum eſt,

Lucan. lib. 3.

Non illum lætis vadentem cœtibus vrbes,
Sed tacitas vidiſſe metu. Non conſtitit vſquam
Obuia turba duci.

Liu. lib. 13. Memorat Liuius, Decium Magium Campanum, qui tantopere inuiſus fuit Annibali, obuiam Pœno ire noluiſſe. Pompeius neminem ab Ægyptio rege ſibi obuium, accepit vt omen exitij. Et prima ſuſpitio Octauij in Antonium indidem fuit. Neque mirum ſi populus ægrè tulit, Tiberium Germanici cineribus non ſaltem porta tenus obuium. Contra, quem dixi Octauius, vt conſpexit milites paternos ſibi obuios procedere, omnia dein lætiora ſperare cœpit. Magnifica decreta populi Athenienſis ſuper occurſu & exceptione Attali regis memorat Polybius. Et qua pompa in Italia obuiam itum ſit Pompeio, Plutarchus.. Pyrrhus *legatis Romanis ad redimendos captiuos caſtra ſua petentibus, quò tutiùs venirent, Lyconem Moloſſum obuiam miſit. Quò honoratiùs exciperentur, ipſe cum ornatu equitum extra portam occurrit, ſecundarum rerum prouentu non adeò corruptus vt officij proſpectum in ijs deponeret, qui tum maximè armis cum eo diſſiderent.* Senatus legatos miſit qui quàm longiſſimè occurrerent Galbæ ex Hiſpania venienti Romam, nempe Narbonam vſque, qui ei verbis Reipub. plurimam

Appian. ciu. 2. Appian. ciu. 3. Tacit. Annal. 3. Polyb. περὶ πρεσβ. Plutarch. Pomp. 2. 1187. Valer. Max. lib. 5. in Pyrrho. 192. Plutarch. Galba.

mam ſalutem dicerent; rogarentque ſtudijs vniuerſorum daret vt quàm primum ad vrbem accederet. Talibus officijs inter pares amicitia & alitur, & firmatur. Principi hic honor delatus eſt documentum obſequij, eiuſque qui cuncta exſuperat, amoris.

† Iupiter in ſuam domũ. Dij verò ſimul omnes ſurrexerũt è ſedibus ſuis patri obuiã. Neq; quiſquam ſuſtinuit expectare venientem; ſed obuij ſteterunt omnes.

† Ζεὺς δὲ ἑὸν πρὸς δῶμα. θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἀνέσταν *Homer.*
Ἐξ ἑδέων σφοῦ πατρὸς ἐναντίον. οὐδέ τις ἔτλη *Iliad. α.*
Μεῖναι ἐπερχόμενον, ἀλλ' ἀντίοι ἔσταν ἅπαντες.

De hoc officij genere ſatis copioſè & ſuo more M. Tullius. *Cic. orat. pro Mur.* Quin & Chriſtum aſcendenti in cœlum matri obuium iſſe tradit Nicephorus, *Niceph. lib. 2. cap. 21.* quàm ex fide, ipſe viderit. Porrò non eſt mirum, ſi boni principes hæc ſibi vltro præſtita accipiunt pro incorruptis iudicijs; intimeque lætãtur, quòd eàdem ſuas virtutes agnoſcunt, quæ ipſos hominum animis inſinuant. Qui eſt ſuæ bonitatis fructus ampliſſimus. Hunc & illi ipſi qui ſeruili imperio populares exercent, exprimunt ab ijs, quibus tantùm ſunt inuiſi, quantum timentur; vt charitate ſuorum tuti, non terrore ſepti videantur. Et tanquam meruerint (quod mireris) amant inſignia beneuolentiæ, cùm & beneuolentiam aſpernentur, & omnem amorem auerſentur; eorumque pectora, quibus tam ſalubres affectus innaſci poſſent, ſuperbis pedibus calcent. Ad hoc exemplum & L. Poſthumius Conſul, quamlibet inuiſus Præneſtinis, *Liu. lib. 32.* & Sylla adhuc cruentus, præmiſſo edicto, ille Præneſte, hic Romam, proceres ad diem certam ſibi obuiam prodire iuſſerant. *Appian. Mithrid.* Eàdem prope ſuperbia Vitellius è Germania proficiſcens, vt fuit Lugduni, vniuerſum exercitum occurrere infanti filio iubet. *Tacit. lib. 2. hiſtor. 402.* Quæ immodeſtia validè commendat modeſtiam Pompeij, cui *cum poſtero die quàm à Cæſare Pharſalica acie victus fuit, Lariſſam intranti vniuerſus populus obuiam proceſſiſſet, Ite, inquit, & iſtud officium præſtate victori.* *Val. Max. lib. 4. cap. 5.* Huius modeſtiæ inſtar habuit illa ſequentis ætatis. Nam quibus prouinciæ decretæ erant, edicto inter cætera cauebant; *Vlp. in l. 4. D. de off. Proc.* ne ſibi prouinciales neque publicè neque priuatim

occurrerent. Quia perſæpe, vt ingenti ſtudio hæ obuiam itiones, ſic pari ſumptu peragebātur. Qui, vt nimius, quandoque & ab ipſis principibus recuſus, ac temperatus; vt ab Auguſto is qui ſibi, & à Traiano, qui Mœſiæ Præſidi tribuebatur. Interdum parciſſimè delibatus; vt ingentia in Rempub. merita inſuper moderatione cumularentur. Ideo cùm ſibi principes nec ſinerent effusè obuiam iri, neque à quolibet, Plinius Iunior rogat Traianum vt ſibi permittat ei quàm longiſſimè occurrere. Quippe eo permiſſu continebatur ſingularis quidam fauor & munus principis erga illum, cui is tantum permitteret, vt ſe hoc genere officij percoleret. Neque verò vniuerſorum vera & iuſta gaudia coërceas intra ſepta priuatæ lætitiæ. Erumpentis affectus patientia difficilis, mora grauis eſt. Ergo fertur impetu, atque abrumpit per quæ tardatur.

Zonar. in Aug.
Plin. lib. 10. epp. ep. 53.
Plin. ep. lib. 10. ep. 10.

Obuia progrediar (inquit Liuia) *felixque per oppida dicar,*

Collaque, & os, oculoſque illius (Druſi) *ore premam.*

In C. Pedonis elegia ad Liuiam.

Denique hæc, vt ita loquar, pietas multitudinis in principem, ſtudia exercitus erga imperatorem, litibus orbat forum, domos vacuat, vias complet, eumque diem ingenti & animi & vocis contentione concinit lætum nitidumque. Ipſos imperatores charitas in exercitum ſæpe excit palatio & vrbe. Sic mille quingentis militibus è Britannia Romam redeuntibus Commodus obuiam iuit. Et Gaines hortatus eſt Honorium vt exercitui obuiam prodiret. Affirmauitque vetuſto more hoc ſpecimen honoris ab Imperatore militibus haberi. A' Rep. hic mos ad priuatas affinitates, amicitias, hoſpitia deduci cœptus. Cyrus aduentanti Cyaxari auunculo, adſumptis quatuor nationum equitibus, obuiam proceſſit. Quanquam eo comitatu Cyaxares offenſus magis eſt quàm lætatus, ob paucitatem ſuorum valde demiſſorum hominum præ illorum præſtantia qui cum Cyro aduene-

Zonar. in Commodo.
Zoſim. lib. 5.
Xenoph. lib. 5. Cyroped.

rant. Cauendum enim ne rubore manifeſto perfundatur is, quem aulico agmine & flore nobilitatis, aut militari manu circumfuſi excipimus, ob nimiam diſſimilitudinem exprobratricem anguſtiarum; cùm hinc opes oſtentantur, illhinc aſpiciuntur omnia longè deteriora. Ergo & hanc eſſe partem honoris fatendum eſt, vt non oneret, ſed honeſtet; tenuitatem non deridendam propinet, ſed velet; ſordes etiã, ſi quæ ſubſunt, tegat non detegat. Hoc temperamen- *Zoſim. lib. 4.* to vſus dicitur Theodoſius erga Athanaricum Gothum à Germanis pulſum, cùm ei ex vrbe Conſtantinopoli longè obuiam progreſſus eſt. Adnotauit Ta- *Tacit. lib. 5.* citus, Corbulonem, cùm Pæto apud ripam Euphratis cum ſuis copijs obuius fuiſſet, *non eam ſpeciem inſignium & armorum prætuliſſe, vt diuerſitatem exprobraret.* Hac ipſa comitate excipiuntur à principibus amici tenuiores, ſi modo ob ſcientiam, & inluſtres artes, claritudinem & admirationem adepti ſunt. Cùm idem vſurpabunt hodierni contemptores doctrinæ, nihil facient nouo exemplo. Nam *Platoni Dionyſius* *Plin. lib. 7. cap. 29.* *tyrannus vittatam, id eſt, coronatam nauem miſit obuiam.* *Zonar. lib. 1.* *Ipſe quadrigis albis egredientem in littore excepit.* Rex Ægypti Ioſepho filio Tobiæ venienti Memphin vnà cum regina, illoque qui ſuã legationem obierat, obuiam proceſſit: eumque currui ſuo impoſitum in vrbem perduxit. Cæterùm hoc officium tunc eſt conſummatiſſimum, cùm cuiuſpiam honori ſimul obuiã mittitur, ac tutelæ. Vt Volux dixit Syllæ, ſe à patre *Salluſt. Iug.* obuiam illi ſimul & præſidio miſſum. Pyrrhus, vt mihi ſupra dictum, legatis Rom. aduenientibus obuiam *Dion in ecl. legat. 374.* præſidium miſit. Hinc mos illuſtribus legationibus obuiam prodeundi. In quo obſeruandum, aduentantibus legatis non alios occurrere debere, quàm honeſtiſſimos totius gentis; non qui rhetoriſſent, aut, vt aiunt, prædicent de Remo & Romulo, ſed qui prudentia, & abſciſſa ſermonis grauitate penetrent animos exterorum. In primis nulla odij ſuſpicione aſper-

ſos oportet : ne ſicuti tales à regnantibus occurſu prohibentur, vti à Nerone Thraſea, ita eos legati aut intimè rideant, aut palam auerſentur. Romæ in libertate Quæſtor mitti ſolitus; quòd exterarum gentium legatis, donec manebant, ex publico ærario ſumptus decernebantur. Qui mos non ob frequentiam legationum, vt putat vulgus literatorum, inſequenti æuo exoleuit; ſed quia proceſſu temporis Roma victorijs & felicitate facta eſt patria omnium prope gentium; quarum legationes, quoties vrbem inibant, non ſicuti exterorum excipiebantur, qui eſſent prope domeſtici, vt infra dicam. Cæterum hoc more L. Manlius Quæſtor Maſgabæ legato Maſſiniſſæ, & alius inſuper Quæſtor Muſicani huius ipſius Maſſiniſſæ filio, & L. qui apud Val. Max. eſt P. Cornelius Scipio regi Pruſiæ, & filio eius Nicomedi cum pecunia, alij alijs obuiam miſſi. Legatis Romanis iter facientibus magiſtratus, quibus ab ipſa fūctione nomē † παρόχοις ſalem & ligna ſuppeditare ſoliti. Horatius cū dixiſſet

Tacit. lib. 16. Ann.

Val. Max. lib. 5. cap. 1.

Liu. lib. 35.

Liu. lib. 21.

† præbitoribus.

Horat. lib. 1. ſerm. ſat. 5.

Huc venturus erat Mecœnas optimus, atque
Cocceius miſſi magnis de rebus vterque
Legati, &c.

paulò poſt addidit,

Proxima Campano ponti quæ villula tectum
Præbuit, & Parochi quæ debent ligna, ſalemque.

Hæc erat illa ipſa præbitio, παροχὴ καὶ χελάλυμα de qua ſupra dixi. Diſcimus quoque è Liuio, legatos qui repente aliquò mitterentur, ſingula iumenta per oppida, iter quà faciendum erat, imperare ſolitos. Exterarum gentium legatis præter æris munera, vt alibi dico, ædes liberæ, hoc eſt incuſtoditæ dari, ſumptuſque donec in Italia eſſent, decerni benignitatis Rom. fuit. Cæterum hæc erat maieſtas & magnitudo nominis Romani, vt ipſi reges, filijque regum legatis Romanis obuiam ire ſoliti fuerint. Supra de Pyrrho ſatis dixi. Tiberio legato Romano Antiochus obuiam iuit. Ptolemæus tum Ariarathes alijs Senatus

Liu. lib. 32. 39.

Liu. lib. 32. 44.

Polyb. ecl. legat. 173.

Annon. lib. 4.

legatis. Plerumque reges hoc munus delegant primoribus amicorum. Carolus Magnus miſit qui exciperent legatos Aaronis regis Perſarum, vt primùm Piſæ terram tangerent. Quæ ſanè ſiue obſeruantia, ſiue comitas eſt in dexeius affectus, quo animi eorum amant expugnari, qui neque metu terreri, neque viribus frangi poſſunt. A' ſcriptoribus adnotata fuit comitas Alexandri Magni erga ipſos expugnatarum vrbium legatos. Hic diligenter cauendum, ne dum alienæ dignitati cōſulimus, obſimus propriȩ. Meritò notatus eſt ſeruilis, regioque nomine vix dignus Pruſias, *quòd pileatus, capite raſo, obuiam ire legatis Romanis ſolitus eſſet.* Ita demum iuuat honore honeſtari, ſi is honos proficiſcitur ab animo magno & excelſo, eodemque prono in obſequium noſtrum, non ab demiſſo vſque ad ſeruilem patientiam. Sic Tiridates apud Corbulonem gloriatus eſt, *ab eo qui ſupplex ſit decus eſſe, ſi rebus ipſius proſperis magis quàm aduerſis ſupplex eſt.* Atque inter vberrima præconia Traiani principis multi laudi natum & hoc eſt in ſublimi illo ore Plinij, & memoriæ æternæ ab eodem commendatum in illo Panegyrico, in quem, vt in ſanctius ærarium conditum eſt quicquid eſt virtutum laudumque principalium. *Nullam*, inquit, *in eo gloriam ponit, quod ſit omnibus maior, niſi maximi fuerint quibus maior eſt.* Poſtremo videndum ne inter lætos paratus ſalus noſtra prodatur à nouo aliquo Antonino. Nempe ab illo omnis nequitiæ volutabro Artabanus ſubdola ſpecie affinitatis & inlectus & inluſus & prope oppreſſus eſt, cùm ei, vt mox futuro genero obuiam proceſſit. Simili perfidia Hymethò à fratribus Ceryne & Phalce ad colloquium per caduceatorem euocata rapta eſt. Et Gubazes Rex Lazorum ſceleratis inſidijs impioque furori ducum Iuſtiniani incautus obiectus. Qui hiſtorias peruolutarunt non neſciunt infortunium Gratiani. Hic enim apud Lugdunum ab Andragathio occiſus eſt, cùm re non

Plutarch. Alex. 3. 1219.

Liu. lib. 35. & Appian. in Mithr.

Tacit. li. 15. Ann.

Plin. in Panegyr.

Herodian. lib. 4.

Pauſan. lib. 2.

Agath. li. 3.

ſatis explorata, crederetſe honoris cauſa obuiam ire vxori ſuæ. Quibus perfidijs monetur quilibet, ita hoſpitibus obuiam eũdum, ac ſic demum ferri poſſe, vt nobis quoque honos habeatur, vt honeſta ſpecie amicorum clientiumque præſidia circa ſe quiſque diſponat. Ad hoc exemplum ipſe Iacob pertimuiſſe, ſibique diligenter cauiſſe dicitur, audito fratrem Eſau ſibi obuium venire ſtipatum trecẽtis militibus. Hîc quoque mihi monendus eſt legatus, ne in iſtis obuiam itionibus magnificentiæ & ſplendori nimium fidat. Hac enim calliditate ſæpe illis oculi faſcinantur, qui exteriora nimis intuentur. Hic fuit aſtus & ſimulatio Antiochi, qui eo paratu obuiam iuit legatis Romanis, vt ea tanta ſimulatione ijs omnem ſuſpitionem demeret, quidpiam ab ſe nouarum rerum agitari, aut eſſe, vt reuera fuit, animo in Romanos infenſo. Hunc fucum alio cumulauit. Nam aula eis, hoc eſt regia domo, ac propemodum ipſo diademate conceſſit. Cæterùm non omnibus legationibus obuiam itur; non prouincialibus, non municipalibus, non earum gentium, quæ ſe nobis obſequio probant, non propter obſcuritatem, aut longinquitatem ignotis. Ab iſtis, ſcilicet, quæri poteſt illud ipſum, quod Artafernes ſciſcitatus eſt legatos Athenienſium, Vnde itis, & qui mortales eſtis, qui expetitis ſocietatem Perſarum? Sæpe hæ obuiam itiones ſunt infultæ dolo, atque huc ſpectant, vt ne legatis liceat vlteriùs, neque aliouorſum pergere, quàm quò, & quà ducuntur. *Antiochus legatis Romanis, ne Piſidiam ad ſe, vbi bello occupatus erat, venirent, Apameam occurrit. Syracuſani legatis Senatus, ne in vrbem intrarent, extra portam per ſuos legatos Hippocratem, & Epicidem obuij ſunt facti. Et cùm legatis Armeniorum cauſam gentis apud Neronem orantibus Agrippina aſcendere ſuggeſtum imperatoris, & præſidere ſimul pararet, cæteris pauore defixis, Seneca admonuit venienti matri occurreret. Ita ſpecie pietatis*, inquit Tacitus,

Ioſeph. lib. 1. antiq.

Polyb. ecl. legat. 173.

Herodot. lib. 5.

Liu. lib. 25.

Liu. lib. 14.

Tacit. lib. 13. Ann.

obuiam itum dedecori. Quibus obuiam itum eſt, hoſpitio, vt dixi, publicitus excipiuntur. Ei loco Romæ nomen Græcoſtaſis. Sic in Græcia fuit πρυτανεῖον. At ſingulariter apud Eleos diuerſorium magiſtratuum Romanorum, cui nomen Leonidæum. Quæ hoſpitalitas quàm Romæ diligenter culta fuerit, ex hiſce Valerij verbis liquet, *Rex Ptolemæus*, inquit, *à minore fratre regno ſpoliatus petendi auxilij gratia cum paucis admodum ſeruis ſqualore obſitus Romam venerat, ac ſe in hoſpitium Alexandrini pictoris contulerat. Id poſtquam Senatui relatum eſt, accerſito iuuene, quàm potuit accurata excuſatione vſus eſt, quòd nec Quæſtorem illi, more maiorum, obuiam miſiſſet, nec publico hoſpitio eum excepiſſet. Eaque non ſua negligentia, ſed ipſius ſubito & clandeſtino aduentu facta dixit. Et illum è curia ſubitò ad publicos penates deduxit. hortatuſque eſt vt, depoſitis ſordibus, adeundi ipſius diem peteret. Quin etiam curæ habuit, vti munera ei per Quæſtorem quotidie darentur.* Ea munera fuerunt eſculenta, vt pulli, oua, olera, poma, cæterique agreſtes & parabiles cibi, priſcis penus, teſtis continentiſſimæ frugalitatis ſimul & hoſpitalitatis. Et hic quidem mos Romæ viguit. Nam hoſpitibus primo die ad cœnam vocatis, inſequentibus diebus illa quæ dixi mitti ſolita,

quæ olim noſtri iam luxurioſa ſenatus
Cœna fuit.

Cultior ætas, ſed non caſtior vocauit lautia & dautia, ſiue lautitias, quales dicuntur fuiſſe Tarentinæ, hoc eſt, cibos apparatiores & exquiſitiores, quibus quoque nomen cupes aut cupedia additis locis ipſis lautis. Talia propè munera miſit Attila legatis Romanis qui ipſum adierant, nempe bouem, & piſces fluuiatiles. Ex hoc genere comitatis ſurgit quoque non infima laus regum ipſorum. Hinc certè Cleomenes Spartanus rex & amatus, atque adeò celebratus his ferè verbis, Hunc vnum eſſe Hercule prognatum. Talia vergente re Romana, & ſæculo iam

Varro lib. 4. de ling. lat.
Pauſan. li. 5.
Val. Max. lib. 5. cap. 1.
Vitruu. li. 6. cap. 20.
Iuuenal. ſat. 11.
Iornand. de ſucceſſ.
Feſt. in Dacrimas.
Feſt. Cupes.
In ecl. legat.
Plutarch. Ag. & Cleo. p. 1415.

remotiore ab illo priſco cultu, curata ſunt è re ſordida; prorſus vt iſti lucriones in qualibet re ſpurca reperiunt lucrum nitidum. *Nam ſi damnati*, ait Vlpianus, *aut ſardonycha, aut aliam gemmam magni pretij, vel ſi quod chirographum magnæ pecuniæ in ſinu haberent, ea pecunia ad ea ſeruabatur, quæ iure Præſidum erogabantur. Aut inde dabatur ijs militibus qui fortiter fecerant; vel legationis, vel alterius rei cauſa venientibus inde munera mittebantur.* Lautijs adiuncta erat cura ægrotorum, legati, ſcilicet & comitum eius. Poſtremò legatis ſic exceptis perpetua beneuolentiæ ſeries exhibetur; ne laudabile principium diſſimilis exitus ſequatur. Id quod accidit apud Pyreneum Thracem tyrannum. Quippe is quod Muſas ſuis tectis excepit, humaniter fecit. Quod ſic exceptas conſtuprare voluit, fœdè & inhumaniter. Quod ex eo punitus, iuſta paſſus eſt. Non omitto, legatos ſic cultos ſpecie honoris ſatellitio circummœniri; at reuera ne ſint incuſtoditi. Quomodo Adathantem perfugam ab Lucullo habitum fuiſſe, ſcriptores memorãt. Hac ratione potiſſimùm agitur cum legatis ſuſpectarũ, aut etiam hoſtilium gẽtium. Nam amicæ & gratæ legationes liberis ædibus excipiuntur. His illud addo, Semper magni imperij legatum excipi ab eo qui aditur aut à proxima huic perſona, ſi is morbo aut aliquo grauiſſimo impedimento deſtinetur. Iacobus ab rege Perſarum legatus ad Iuſtinum imperatorem; quòd Iuſtinus æger erat, exceptus eſt ab Imperatrice, cui literas regis reddidit. Hic honos hodie habetur legatis Pontificis Rom. ab omnibus regibus vno excepto rege Chriſtianiſſimo, qui Cardinali legato non obuiam it, ſed mittit fratres aut aliquem è propinquis qui hoc munere fungatur.

Vlpian. in l. Diuus. D. de bonis damn.

Plutarch. in probl. 42.

Ouid. lib. 4. Metam.

Frontin. Stratag. li. 2.

Liu. lib. 32. 44.

Menand. ecl. de legat. 97.

CAPVT XXXVI.

Hic dico quibus de cauſis ſæpe differatur admiſsio legati.

STatim vt aduenerunt, legatos intromitti ad edenda mandata, negant eſſe ex dignitate illius qui aditur. Neque etiam ſinit humanitas, vt qui ex longinquo veniunt, non detur ſpatium exigundæ aut ſedandæ laſſitudinis, aut detergendi, vt ita dicam, pulueris adhæſum, ſeſeque colligendi. Achilles non priùs audiuit mandata Agamemnonis ab Vlyſſe & Aiace legatis eius, quàm ij leuaſſent laborem itineris comitate epuliſque. Et Calypſo Dea Mercurium ambroſia priùs hilarauit, quàm ad quid veniſſet, ſciſcitaretur. Telemachus priùs inuitat hoſpitē ad cœnam, quàm audiat ſuper qua re venerit. Supraque adnotabam ex Vitruuio hoſpites, quo aduenerant die, ad cœnam vocari antiquis vſitatum. Quæ comitas ſic eſt agnoſcenda, vt eàdem abijciatur quicquid eſt inutilis ceſſationis. Ergo legatum, dum hoſpitali lætitia excipitur, nihil prohibet ſecum meditata requirere, & memoriam firmare, vt, cùm iuſſa erit, fideliter depoſitum reddat. atque eàdem id agere, qui ad ſacros ſermones admittatur, ſibiue Senatus detur: aut, ſi populus aditur, introducatur in theatrum, vt ciuitatibus Græciæ moris fuiſſe teſtis eſt Valerius. Enimuero ſi non momenta temporis rapiuntur; condunt ſe toti dies nobis ſubducti veriùs quàm acti. Neque vnquam prudentes quæ nunc poſſunt differunt in nouilunium. Quid inſcitius, quid etiam infidelius, quàm ex magna properantia ſolui in magnam tarditatem, ac dies negotiorum terere otio, aut inutili negotio? In quo tamen ab legatis aliquando peccatum, docet locus Salluſtij his verbis. Cùm Adherbal Cirrham profugiſſet, *id oppidū Iugurtha circumſedit;*

Iliad. 1. & obſeruauit Athen. li. 4.

Odyſſ. lib. 5.

Odyſſ. 1. 7.

Valer. Max. lib. 2. cap. 1.

Salluſt. Iug.

vineis turribuſque & omnium machinis generum expugnare aggreditur, maximè feſtinans tempus legatorum antecapere, quos ante prælium factum ab Adherbale Romam miſſos audiuerat. Senatus poſtquam de bello eorum accepit, tres adoleſcentes [nempe quòd celeritate opus erat. Et hîc aduertendum, tali re adoleſcentibus potiùs quàm ſenioribus legationem dari] *in Africam legantur, qui ambos reges adeant; Senatus, populique Romani verbis nuntient, velle & cenſere, eos ab armis diſcedere. Idque ſe illiſque dignum eſſe.* Iſti legati, etſi, ne mora negotium corrũperetur, maturauerant, nihilominus ſibi ab Iugurtha illudi paſſi ſunt; ac re infecta ex Africa diſceſſerunt. Quid maturato opus, ſi denique res aſtu & vafritia cuiuſpiam delabitur ad indiligentiam? Compoſitiùs tamen omnia, quàm feſtinantiùs agenda. Induſtria celeritate, diligentia maturitate adiuuanda. Neutrius enim probo feſtinationem. Non legati, vt ſicuti gemens ſub pondere legationis, illud adhuc anhelus proijciat; non illius, qui aditur, vt prodat inquietem curioſitatem audiendæ legationis. Itaque pars hoſpitalitatis & comitatis in eo cõſiſtit, vt ſuum ſpatium legato relinquatur, ſi non id inimicum eſt legationi. Xenocrates Athenienſis miſſus ab ciuitate ad Antipatrum de redimendis captiuis, ab rege inuitatus ad cœnam ſic cæpit,

Laert. lib. 4. in Xenocr. ſunt verſus ex Odyſſ. x.

† Ὦ Κίρκη, τίς γὰρ κεν ἀνὴρ ὃς ἐναίσιμος εἴη
Πρὶν τλαίη πάσασθαι ἐδητύος ἠδὲ ποτῆτος
Πρὶν λύσασθ' ἑτάρους, καὶ ἐν ὀφθαλμοῖσιν ἰδέσθαι;

† Ecquis ſuſtineat requiem ſumpſiſſe laboris. ô Circe, aut potus atq; tibi meminiſſe prius quam vincula demãtur ſocijs, videatque ſolutos?

Qua fide tam anxia rex delectatus, captiuos ei conceſſit. Neque is qui miſſu Abraham petebat Iſaaco vxorem, priùs quidquam guſtauit, quamuis inuitatus ab Laban, quàm mandatum peregiſſet. Tunc demum epulæ allubeſcunt, ſi iam impetrata & confecta re, atque animo defæcato ijs indulgere licet. Hîc quoque ſedulò moneo legatum ne ſibi à tali comitate imponi ſinat. Certè his artibus Narſæus Sicorium Probum legatum Galerij & Diocletiani diutiùs

Gen. ca. 24.

Petr. Patric. ecl. legat. 20.

quam oportuit, detinuit apud Aſprudum fluuium. Sed quia multæ cauſæ ſubdolæ huius dilationis multis rationibus colorantur, eas enumerabo quæ ſuccurrunt; vt eâdem legatus ſecernat conutatem à fraude; illam agnoſcat, hanc vitet; promat patientiam, non ſit manifeſtus imprudentiæ; denique habeat in promptu tutamen aduerſus ſutelas. Quæ ſanè hinc ſunt, quòd legatus nonniſi inhumane ejci poteſt, ſæpe tamen legatione euertuntur conſilia illorum ad quos miſſa eſt. Hanc ob cauſam hi dolosè tempus terunt, & dies ex die prolatant ſubdola conutate, mendaci excuſatione, fruſtratione, ludificatione, vt interea momenta rerum vertantur, & opportunitates vaneſcant. denique vt legato ſic deluſo plus relinquatur pœnitentiæ, quàm remedij. Sic ab Tullo Hoſtilio os ſublinitum eſt legatis C. Cluilij; ſic ab Agatocle legatis Brutiorum; ſic legatis ipſis Romanis ab gente Achæorum. Quos Senatus admonuit, ne poſtea excuſatione, qua ſe tegebant vterentur: *vt legatis Romanis ſemper adeundi concilium gentis poteſtas fieret; quemadmodum & illis, quoties vellent, ſenatus daretur.* Tunc certè legatus eripere ſe debet callidæ huic moræ, tempuſque ſermoni orare; promenduſque eſt generoſus ſpiritus par magnitudini rerum, ſi legatio à validioribus miſſa eſt ad pares, multoque magis ſi ad impares; præcipuè ſi omne momentum rei arduæ poſitum eſt in præſenti opportunitate, quam poſtilla non indipiſcare quadrigis, quod aiunt, albis. Ergo perrumpenda ſunt clauſtra obſcurarum artium; Atque oſtendendum barbaram calliditatem non eſſe valentiorem conſtantia noſtra. Denique dolis propiùs admotis, qui negotium peſſumdant, opponendus eſt vigor animi, quo quiſquis præditus eſt, neque timidus eſt, neque vltra ſortem temerarius; ſed maturè anteit calliditates. Hoc tam animoſum prudenſque pectus Dionyſius tyrannus meritò deſiderare potuit ab ſuis

Liu. lib. 1. Iuſtin. li. 23. Liu. li. 29. et Pauſan. li. 7.

Diodor. Sic. lib. 16. biblioth.

legatis, quos de pace Syracuſas miſerat. Quos, videlicet, Dion imperator exercitus Syracuſani, diuerſa cauſatus, diſtinuit; donec abſoluta, ſine impedimento, ea muri parte, quà vrbs patebat, intromiſſis denique legatis, ac de pace verba facientibus reſpondit, Vnam eſſe viam pacis, ſi Dionyſius poſita tyrannide certis honoribus cõtentus eſſe poſſet. Sic Conſtantius Oratores Synodi Ariminenſis, de die in diem diſtulit, nequicquam illis eam moram ſibi moleſtam eſſe querẽtibus. Tandem per literas hac excuſatione apud patres vſus eſt, neceſſitate coactum contra hoſtes ire, eamq; propter expeditionem legatos videre non potuiſſe. At iuſſiſſe vt ſe remeãtem Adrianopoli expectarent; vt ibi à ſummis tumultibus liber per otium legationem audiret, quæque opus eſſent, conſtitueret. Impunè fortaſſe hac ludificatione ductauit Synodum, togatos patres; cui ſi cum alio imperio res fuiſſet, hoſtile ſe facinus feciſſe ſciſſet. Huic ſimilis fuit aſtus ille quo oratores eiuſdem Synodi in oppido Thraciæ Nica diſtenti ſunt obtentu aſperitatis hyemis, & difficultatis itinerum; dum ſymbolum fidei è Latino Græcum factum mitteretur ad Orientales epiſcopos. Sic Iulianus cùm legatus Germanorum eum adijſſet, tempus conſultò extraxit eumque vbi aliquandiu diſtulit, & ſpem eidem fecit, fœdus acceptum à Conſtantio iri, de repente barbaros adortus, ingenti clade eos afflixit, regemque eorum victum ad Conſtantium miſit. Conſtantius legatus Romanus ad Vandilos ingratijs ſubſtitit in vrbe Edeſſa contermina Perſidi, diu multumque à rege Perſarum dilatus. Zacharias ac Theodõrus legati Tiberij imperatoris ad Hormiſdam filium Choſrois, primùm ab illo, qui regi erat à ſecretis, deinde ab alio quodam Perſa ludibrio habiti, ac per diuerſa itinera huc illuc circumducti ſunt, interim dum rex aduerſus imperatorem copias inſtruit, & omnia bello neceſſaria parat. Quòd ſi minoris alicuius

Niceph. lib. 9. cap. 41.

Nicephor. lib. 10. cap. 1.

Priſc. ecl. legat. 59.

Menand. ecl. legat. 143.

imperij legatum, quem ratio demiſſior magis decet, quàm elatior, hi doli diutiùs excludunt, ibi verò prudentiam expedire debet, cuius ope intentos in ſe alienos dolos euitet, aut eludat. Tunc, ſcilicet, diligentia quærendum, ſagacia rimandum, mente proſpiciendum, quantum ſub illa artificioſa cunctatione lateat inſidiarum. Neque enim niſi malignè conſueta differuntur, aut promiſſa retardantur. Hac arte Senatus ductauit Carthaginienſes; Quibus cùm pollicitus eſſet ſe miſſurum legatos ad Maſſiniſſam, tamen omno negotium vſque eò duxit, quoad res eorum ab rege afflictas exiſtimauit. Simili aſtu Athenienſes concionem, quæ poſtea habita eſt ſuper poſtulatis Alexandri miſſi à Mardonio diſtulerunt in aduentum Spartanorum; vt interea Lacedæmonijs daretur ſpatium mittendi legatos Athenas. Sæpe non ſimulatè ſed verè hæſitant, dum nihil non ſpinoſum, & confragoſum circumſpiciunt ij qui legatione adeuntur. Differuntque admiſſionem, ne legatus imparatos bene paratus deprehendat. Hoc conſilio Maeſtriani Comitis à Licinio legati ad Imperatorem admiſſio ad tempus dilata. Hac eadem arte Georgius legatus ad Choſroem per multos dies detentus, nec ad regem intromiſſus fuit. Demetrius Athenienſium, quibus tamen ſupra omnes Græcos fauebat, legationem biennium, vt alibi dico, detinuit. Vſque eò regia planè ſuperbia is profitebatur † τὸ δυσόμιλον, ϗ δυσπρόσοδον. Hæc dilatio ferri ſanè poteſt, quoties ei nulla techna ſubeſt. *Ita nos cogimur*, inquit Cicero, *reliquis de rebus nihil decernere antequam publicanis reſponſum ſit. Quare etiam legationes* (interpretare prouinciales & municipales) *reiectum iri puto.* Sæpe is eſt nexus rerum, vt nonniſi quibuſdam explicitis, cætera explicari quoque poſſint. Inter haſce moras, ſpecie officij, miſſitantur ad legatum homines ſagaci naſo, qui, vt canes venatici, aut vulturij odorantur occulta; & quò rectà non poſſunt, per anfractus vagiſque ſermonibus euadunt;

Appian. in Lybica.

Herodot. lib. 8.

Petr. patr. ecl. legat. 18.

Theophyl. de legat.

Rom. ad gent. cap. 6. 52.

Plutarch. Demetr. 3. 1665.

Cic. ad Att. lib. 1. ep. 15.

† difficiles aditus & acceſſus.

dum aſtuta mulcedine prolectant aures legatorum: dein ſenſim electant arcana legationis. Tam callidus ſecretorum venator fuit Alcibiades, qui perfecit vt legati Spartani, antequam ederent legationem, ſecum loquerentur. Quorum ſimplicitas illius technis decepta cùm eſſet, ſuaſu, inquam, illius, in media concione, contra quàm verum erat, ipſique priùs iecerāt profeſſi ſunt ſe non attuliſſe libera mādata. Quo reſponſo Nicias, qui legationi fautor aderat, improuiſò perculſus eſt, & populum ea vox aſperauit. Ad poſtremum legati negotium, ad quod venerant, afflixerunt futili loquacitate, aut ſaltem inconſulta facilitate. Porrò cùm id agitur vt legato dies eant † ἄπρακτοι, ſaltem is interim ſignum Minotauri ſecum deferat, ſciatque mandata adeò tecta tacitaque habenda eſſe, vt illud quicquid eſt arcani, ipſi extranei reuereantur ſicuti rem ſacram. Vt contra hos aſtus taciturnitate legatus, ita contra vim, cuivis adhibetur, conſtantia munitus eſſe debet. Vide quàm inconcuſſus Pompeius. *Is cùm legationis officio fungeretur, à Gentio rege Illyriorum interceptus, cùm Senatus conſilia prodere iuberetur, ardenti lucernæ admotum digitum cremandum præbuit: Eaque patientia regi deſperationem tormentis quicquam ex ſe cognoſcendi excuſſit.* Ii quoque qui legatione adeuntur ſæpe eius arcana ſapienter premunt. *Scipio cum Syphacis legati nuntiarent ei regis ſui nomine ne fiducia ſocietatis eius ex Sicilia in Africam tranſiret, veritus ne confunderentur animi ſuorum, abſciſſa peregrina ſocietate, dimiſſis legatis, rem preſſit & famam diffudit, tanquam vltro à Syphace accerſeretur.* Quandoque non admittitur legatio, quia contemnitur. Contemptus eſt ab iuſta indignatione. Nempe ſic excipiuntur legationes ingratorum, eorumque qui ſæpe victi ſæpe rebellant: quoties in fidem ſunt accepti, toties fidem fregerunt. Neque talis legatus qui mittitur à ſtolidis, inſolentibus, impijs, tanti eſt vt quid velit, quid non velit, cuiquam admodum curæ

Plutarch. in Alcib. & Nicia.

† nullis negotijs.

Val. Max. lib. 3. cap. 3.

Vide Clem. Alex. lib. 4. ſtrom.

Frontin. lib. 1. ſtrat. cap. 9.

ſit. Iuſtinianus Totilæ legatum neſcire voluit vtrum eſſet albus, an ater homo. Nam eum vetuit ſibi venire in conſpectum. Ac ne mandata quidem ſcire qualia attuliſſet, laborauit, pari contemptu. Id quod ego ita accipio, tanquam is auditus quidem ſit, ſed non ab Imperatore, à quo nihil eorum, ad quæ venerat, impetrauit. Quamuis Procopius diſertim inauditos affirmet Totilæ oratores ab Iuſtiniano dimiſſos. Pari ſeueritate nuntiatum eſt legatis Carthaginienſium, Eorum legationes Senatum admittere non poſſe, quorum exercitus adhuc eſſet in Italia. Interdum dilatio admiſſionis non eſt ab indignatione, ſed à dedignatione, ſuperbia, inriſu. Sic Demetrius, de cuius ſuperbia ſupra dixi, habuit fruſtratui legatos Athenienſium, quos integro biennio nequicquam multo circumductu fatigatos, poſtremò ne admiſſos quidem auditoſue domum remiſit. Vt aulica ſocordia deterrimis poſthabet optima, immane eſt quãta auiditate tam ſtulta, tamque odioſa ratio excepta ſit. Potiùs enim ſimulatur negotium, quàm vt non admiſſio tardè impetretur. Nimirum, ſocors ſuperbia dignitatem collocat in alieno tædio, aut cõtumelia; neque intelligit quantum moræ additur, tantum gratiæ demi. Inde quantum irarum excitetur, docent quęhanc ſtoliditatem ſæpe conſequuntur, *faces*, vt ait vetus Poëta, *obuolutæ ſanguine*. Octauius auerſum à ſe Antonij animum inde ſubodorari cœpit, quòd foribus eius diu adſtitit. Et legati Lacedæmonij miſſi ad Lygdamum, ſæpiuſque putida excuſatione dilati, tandem intolerantes faſtus tyrannici, Faciat, ſiquid facit; non enim huc ventum à nobis vt cum ipſo colluctemur, ſed vt colloquamur. Vt ſic habiti extranei contemni ſe putant, ſic iſti frequentes regum cultores id accipiunt pro argumento imminutæ amicitiæ. Apelles ille tutor Philippi regis Macedoniæ, & princeps amicorum eius cùm, vti conſueuerat, introire ad regem vellet, familiaritatem eius aſpernante rege, à ianitore.

Procop. lib. 3. bell. Goth.

Zonar. in Scip.

Plutarch. in Demetr.

Cic. lib. 1. de diuin.

Appian. ciuil. 3.

Polyb. lib. 5.

iuſſus eſt expectare. Regem enim tunc quidem eſſe occupatum. Appelles rei nouitate percullus, hæſitabundus aliquandiu ſtetit. Mox intelligens eius quod erat, illhinc ſe duxit ab amicis deſertus, neque alijs proſequentibus quàm proprijs pueris. Nempe ſic accepit, qui congreſſus eſſet, hunc quoque amicitia deiectum. Ideo Vologeſes Rex Parthorum, præter cætera veritus ne Tiridates frater ſuus haberetur pro mancipio populi Romani, id pro eo Corbulonem orauit, ne is complexu prouincias obtinentium arceretur foribuſve eorum aſſiſteret. Hac, ſcilicet, ratione nihil intolerantius. Ideo laudatus ob id potiſſimum eſt Syracuſanus Dion, *quòd cùm Theodorum principem Megarenſem domi conuenire vellet, neque admitteretur, multum diuque ante fores retentus, comiti ſuo, Patienter hoc ferendum eſt, ait: forſitan enim & nos cùm in gradu dignitatis noſtræ eſſemus, aliquid tale fecimus.* Memorat Tacitus, legatis Agrippinenſium negatum fuiſſe coram adire alloquique Velledam, *Arcebantur*, inquit, *aſpectu quò venerationis plus ineſſet. Ipſa edita in turre, Delectus è propinquis conſulta reſponſaque vt internuntius numinis portabat.* His rationibus priùs admiſſio artificioſè differtur, ſæpe eo conſilio vt ad notitiam eorum quæ legatus affert perueniri poſſit; Interdum vt omnino auferatur. In primis ea tunc à ſolertibus hominibus vſurpantur quæ barbaros, ſtolidos, nec ſuæ ſortis intelligẽtes legatos in ſuæ ſtultitię & nequitiæ conſcientiã cõpellant. Gens Carporũ eò liuebat quod Gothis nomine Romani imperatoris dona ſingulis annis mitterentur, ſibi non itidem. Iſti ergo ſuper hac re miſerunt legationem ad Tullium Menophilum, qui præeſſet Mœſiæ. Is Tullius cognito ad quid iſti veniſſent, & quo faſtu mitti ſibi munera poſtularent, quãplurimis diebus eos non admiſit. Interim permiſit barbaris otioſè ſpectare exercitamẽta militum, id agens vt hominum tam ſocordium cogitata euerteret. Ad poſtremũ cùm eos admiſiſſet, ipſe

Tacit. lib. 15.

Val. Max. lib. 4. cap. 1.

Tacit. hiſt. lib. 4.

Petr. Patr. ecl. legat. 16.

ipſe ſedit ſolio excelſo, ſibique adſidere iuſſit illos qui maximis in exercitu munijs fungebantur, legatis prorſus contemptim habitis. Quippe dum illi legationem ederent, ipſe cum proximis ſeriò ſermonem continuum inſtituit, ſicuti alijs, ijſque maioris momenti negotijs intentus. Illi, edita legatione, hoc reſponſum abſtulerunt, Huc redite poſt quatuor menſes. Tunc dabitur vobis reſponſum. Iuſtinus quoque dicitur primò Meboden, poſt etiam Sebochthen Perſicos legatos planè ſpretos dimiſiſſe. Et hac quidem ratione agi ſolet cum barbaris, ſolaque temeritate & impudentia fretis hominibus. Quod ſi tale quidpiam vſurpatur inter eiuſdem dignitatis potentiæque imperia, tunc verò manifeſtum eſt rem ſpectare ad apertam profeſſionem inimicitiarum & hoſtilitatis. Certè ſimile factum Perſei Senatus accepit pro denunciatione belli, cùm legati Romani in Ætoliam, & Macedoniam miſſi ad regem, renuntiarunt, *ſibi conueniendi eius, cùm alij abeſſe eum, alij ægrum eſſe, falsò vtrumque fingerent, poteſtatem non factam.* Intolerabilior prope fuit faſtus Artaxerxis, à quo legati Alexandri Mammeæ de pace miſſi ne admiſſi quidem ſunt. Poſtremò decretum ne legati, ne nuntij alicuius regis aut gentis admittantur, eſt argumentum maximarum irarum. Id quod Achæos aduerſus Perſeum ſtatuiſſe memorat apud Liuium Callicrates. Enimuerò ſi abſint illæ cauſæ quas ſupra memoraui, non admittere illum qui Reipub. cauſa legatus ſit, hoſtile, immane, prorſus barbarum facinus eſt, atque adeò Attilicum. Nempe Attila pro ſua cætera humanitate, noluit ad ſe intromitti Apollonium legatum, ſi non ſibi mitterentur dona imperatoris. Huic comitati addidit & illud vecordis crudelitatis plenũ. Nî legatus huic petitioni ſatisfaciat, ſe ei mortem indicturum. Huic tamen tam efferatæ mentis homini legatus & ſapienter & intrepidè reſpondit. Interdum dilationi admiſſionis nihil ſubeſt faſtuoſi, nihil etiam

Menand. ecl. legat. 94.

Liu. lib. 32.

Herodian. lib.

Liu lib. 41. 30.

Priſc. ecl. legat. 58.

captioſi. Sed, videlicet, in eo agnoſcitur princeps cunctator, cuius ingenio ſapienter obſecundant legati clientium & infirmiorum. Tiberius ne ſedulos quidem, atque attentos captatores vtilitatum fiſci, niſi tardè admittebat, nedum legationes nihil ad ſua compendia pertinētes. Veritus ne, ſi quoſdam abſoluiſſet, alij inſuper aduentarent. Vah! hominem læuum, qui ex negligentia captaret otia, quæ ipſa aggerat negotia. Legati qui adeunt principes tali ingenio præditos rimari debent

Zonar. lib. 1.

—quæ molliſſima fandi
Tempora, quis rebus dexter modus.

Virgil. lib. 4. Æneid.

Huius ſolertiæ haud immemor Lucretius orat Venerem vt Martem Romanis placet.

Lucret. lib. 1.

Hunc [Martem] *tu diua tuo recubantem corpore ſancto*
Circumfuſa ſuper ſuaueis ex ore loquelas
Funde, petens placidam Romanis inclyta pacem.
vacua bene redde tabellas, ait Ouid.

Ouid. lib. 1. eleg.

Sic Neronem alijs curis intentum, hoc eſt Reipub. tempora ſubripientem, eadem libidinoſæ vitæ tribuentem Verritus & Maloriges Friſij opperiebantur. Quippe prudentes malunt vitia regnantium modeſtia expugnare, quàm ijs inutiliter iraſci. Ad hoc exemplum Philo Iudæus, cùm pro gente ſua apud C. Cæſarem legatione fungeretur, atque à principe irato eiectus eſſet, neutiquam deſpondit animum; aut inani querela principem inſectatus, inritus ad ſuos rediit; ſed maius ex animo robur ſibi promendum intellexit. Interdum dilatio admiſsionis eſt ab occupatione eius qui aditur, qui tunc interpellari ſine nota extremæ neceſsitatis, aut etiam ſine ſcelere, prope dixerim, non poteſt. Veluti, ſi aduentus legati incidit in ipſum tempus ingentis luctus; ac ſi is quem legatus adire iuſſus eſt interim moritur, vt accidit Choſroi, cùm Zacharias & Theodorus legati Romani ad eum veniſſent de pace inter imperatorem & Perſas fir-

Tacit. lib. 13.

Vide ipſius Philonis de hac legatione librum. Meminit & Zonar. lib. 1.

Menand. ecl. legat. 143.

manda. Tunc enim ipſe legatus legitimæ excuſationi obuius ire debet; nec ſic læuo tempore eum vrgere, cuius dolori adhibenda ſunt fomenta. Quis non amet modeſtiam, prudentiamque Publij Iulij? Is ab Senatu miſſus ad Antiochum, audito regem filij funere, luctuque attineri, ne ad acerbitatem caſus accederet inſuper moleſtia noui negotij, abijt, atque in aliud tempus legationem differre maluit. Arnaton legatus Mauricij imperatoris miſſus ad Chaganum, quòd rex graui ob amiſſos filios, luctu attinebatur, per vndecim dies non ad ipſum admitti ſe æquo animo paſſus eſt. Duodecimo demum die inductus eſt in tabernaculum regis. Tunc potiſſimùm legati ſe differri æquo animo pati debent, ſeque componere ad modeſtiam, cùm legatio ſola reſpicit compendia mittentis. Annon ſtolidè & legatus Cyri miſſus ad regem Indorum, & legati Thebanorum ad regem Perſarum, & Samij Siphnium, Pyrrhi ad Antigonum, aliosque Aſiæ reges, omnes quidem ad argẽtum mutuò arceſſendum, hic quoque ad impetranda auxilia, non ſtatim admiſſi, non ſtatim abſoluti iraſcantur, tumeant, tinіant? Eadem eſt ratio victi erga victorem. Atque has quidem ob cauſas, quod ſciam, ad quos itum eſt plerũque differunt admiſſionem legati. Iſtis quilibet poteſt adnectere ſuas, ſi quas habet magis ſpeciales, quas ego neque mente, neque memoria cõplexus ſum. Hæc, taliaque cùm ſæpe præſentiant ij, quorum legatio eſt, non dubitant per literas petere ab illis, quorum eſt interior potentia apud illum qui aditur, vt ipſorum fauore facilis legato ad principem pateat aditus; potiſſimùm ſi legatio miſſa eſt ad maiorem, validioremque. Hoc ipſum Vitigis Rex Italiæ petijt à Magiſtro officiorum Iuſtiniani, cui ſuos legatos diligenter cõmendat, & à Patricio viro Quæſtore; quem rogat, *vt quos ſub celeritate deſtinauit, remota tarditate, quantocius ad principem perueniant.* Ergo legati Romani non dubitant donis eum pulſare à quo

Liu. lib. 35.

Theophyl. de legat. Rom. ad gent. cap. 5. 51.

Xenoph. lib. 8. Cyr. Diodor. Sic. lib. 16. bibl. Pauſan. lib. 1.

Caſſiod. Var. 10. ep. 33.

Prieſ. ecl. legat. 39.

ſe ſperant ad Attilam admiſſum iri. Id quod vſu pari ſolet cùm ſolæ preces hîc deprehenduntur eſſe ineſficaces. Huc quoque pertinet ſermo legati habitus cum familiari Onegeſij, & ipſius legati cum ipſo Onegeſio. Legatos Plato ait ab ſe petijſſe vt Dionyſio ſcriberet, in his Philagoram & Philædem à Dario miſſos. Nempe vt ipſos tyranno de meliori nota commendaret. Interdum propter morbum, aliaue impedimēta non admiſſa legatio, aut etiam ſemel admiſſa vberiùs audienda delegatur vni, aut duobus, pluribuſue, qui rem principi referunt, aut Senatui. Poſteaquam legati Romani qui, capta ab Annibale Sagunto, Carthaginem miſſi ſunt, iuſſa patrum expoſuerant in Senatu Carthaginienſe, electus eſt Hanno diſceptator patrij iuris cum ipſis. & M. Tullius exprobrat Vatinio, ab illo auditos eſſe legatos ſine S.C. *Quis legatos vnquam audiuit ſine S.C.? Ante te nemo. Poſt continuò fecit idem in duobus prodigijs Reipub. Clodius. Quo etiam maiore es malo mactandus, quòd non ſolùm facto tuo, ſed etiā exemplo Rempub. vulneraſti. Neque tantùm es improbus ipſe, ſed etiam alios docere voluiſti.* Senatus eos legatos quos ad ipſum miſerat Antiochus quibuſdam Senatoribus audiendos delegauit.

Plato ep. 13. ad Dion. to. 4. 363.

Polyb. lib. 3.

Cic. in Vat. orat. 34. 88.

Diodor. Sic. ecl. legat. 315.

CAPVT XXXVII.

Quibus de cauſis legatus ipſe differt ſuam admiſſionem.

IPſe legatus quandoque mauult differri quàm admitti. Atque adeò quædam legationes ea re tātùm ſuſcipiuntur vt tempus teratur, dum quidpiam ſubdolè moliuntur ij quorum ſunt. Ea fuit ſolertia Themiſtoclis. Is, autore ſe, ab Athenienſibus legatus eſt ad Lacedæmonios, in hoc ſolùm vt, dum ipſe necteret moras, eâdem perficeret vt Lacedæmonij pariter ſuos legatos mitterent Athenas;

Thucyd. lib. 1.
Æmil. Prob. in Themiſt.
Diodor. Sic. lib. 11. bibl.
Æl. lib. 4. Var. hiſt. cap. 47.

ea, ſcilicet, gratia, vt ij quoque ibi retineri, ſi ipſe Spartæ retentus eſſet, poſſent. Homo ſagax rem ſolerter inuentam perfectam reddidit. Vt enim venit Lacedæmonem, non continuò adijt magiſtratus, ſed palam tarditatis, & indiligentiæ accuſauit alios legatos, quorum ſe aduentum morari ſimulabat. Quæ res eò denique redijt, vt nequicquam querentibus Lacedæmonijs, Athenæ (id enim agebatur) muro interim & munimento cinctæ fuerint. Ita, quam primò Lacedæmonij crediderant indiligentiam, poſtremò intellexerunt eſſe dolum. Haud minùs callidè Cyneas à Pyrrho de pace Romam legatus non ſtatim adeundi Senatus diem petijt; ſed primores priuatim conuenit. hoſque eorumque coniuges muneribus tentauit, ſi poſſet priuata largitate emere publicam pacem. Et munera quidem eius plurima accepta ſcribit Zonaras. Contra, à nemine admiſſa, Plutarchus. Id quod ſæculo innocenti, iiſque quæ conſecuta ſunt, conuenientius eſt. Nam pace negata, autore Senatuſconſulti Appio Claudio Cæco, Cyneas illo ipſo die iuſſus eſt manere extra fines agri Romani. Sic legati Iugurthæ *vbi Romam venere, ex præcepta regis hoſpitibus, alijsque quorum ea tempeſtate autoritas pollebat, magna munera miſere. Vbi ſatis confidunt, dies eſt conſtitutus, quo & ipſis, & Adherbali Senatus datus.* Ad cauendum tales calliditates neque principi, neque Senatui dolus & aſtutiæ deeſſe debent. Nam cuius torpedinis eſt, rectores rerumpublicarum hiſce externæ calliditatis artificijs ductari? Potiùs diſſimulando intellectu, & ſimulando ſtudio commodandi legatis, exprimendæ ſunt, quas habent literæ, & mandata. Denique mature ſciendum ad quid venerint. Quid, quòd Eumenem Senatus, *cùm, data dicendi poteſtate, nollet dicere, excedere templo iuſſit; atque interlocutus eſt, dicendum eſſe regi? Abſurdum eſſe ignorare regem quid ſperans, aut petens venerit. Reuocandum igitur, cogendumque quæ vellet, quaque*

Iuſtin. lib. 2. p. a. fi.
Frontin. lib. 1. Stratag. cap. 1.
Zonar. li. 2.
Plutarch. in Pyrrho.
Salluſt. in Iug.
Liu. lib. 27.

ſentiret, expromere. Qui reductus à Prætore in templum, quæ antea tacuerat, dixit. Sæpe quoque legatus differt ſuam admiſſionem, non quia corrumpit, ſed quòd ipſe corrumpitur. Ita, videlicet, corruptus remiſſiùs contendit, rerumque agendarum momenta ſibi eripi, ſubducta ratione, patitur. Hanc tam inſignem perfidiam Demoſthenes Æſchini non ſemel exprobrat. Sæpe legatus palam fatetur ne velle quidem ſe admitti ad principem, ſi is ex illis eſt, qui tument vltra mortale. Nam qui viri ſunt, hi colunt mores ingenuos, peſſimè oderunt Perſicos, & Perſicis deteſtabiliores illorũ, qui numini illudũt, dum nõ ſatis habent ſalutari vt mortales; volunt inſuper adorari vt numina, tanquam non humi reptantes, ſed cœlum inſidentes, non vt caſibus obnoxij, ſed imperitantes. Certè quoties tales adeuntur, aut maieſtas legationis barbaro faſtui ſubmittenda eſt; aut legatus, ſi non vſque eò blennus, infamiſque eſt, abſtinebit cõgreſſu ſuperbiæ tam dementis. Ergo per internuntios, prætextu veriſimilis impedimenti; aut ſcripto edet mandata, aut rogabit delegari apud quos expromere ad quid venerit, poſſit. Laudo animoſam virtutem Cononis Athenienſis, qui etſi non erat legatus Reipub. ſuæ, ſed exul, tamen aſpectu ſe & colloquio Artaxerxis prohibuit. Denique memor ſuæ libertatis, reique publicæ, in qua natus erat, maluit per literas & internuntios agere cum rege, quàm ſuos mores ſubmittere in Perſicam ſeruitutem. Sic Simeones Seleuciæ Epiſcopus ferreis compedibus vinctus, & poſt multa verbera introductus ad Saporem regem Perſarum, illum adorare noluit, apertè profeſſus id honoris vni Deo conuenire. Tam ſtultæ ſiue adulationis ſiue adorationis exemplum præbere ſolitus fuit magiſtratus Genuenſis, is quem Podeſtatum vocant. Quippe cùm is magiſtratus admittebatur ad imperatoris Conſtantinopolitani ſalutationem, bis flectebat genua, nempe cùm primùm ingrederetur ianuam

Demoſth. in orat. περὶ παραπρεσβ.

Prob. in Con. & Iuſtin. lib. 6.

Niceph. lib. 8. cap. 36.

Curopal. 151.

triclinij, & in medio triclinio. Inde accedebat ad imperatorem, eiuſque throno inſidentis oſculabatur pedem & manum, Porrò hanc Genuenſium humilitatem mos Lypaili ab hoc multum diuerſus, notabiliorem vtique facit. Is enim quo primùm die ſalutaturus eſt imperatorem, genua tantùm flectit, ipſe, nimirum, & comites eius, ſed oſculo pedum abſtinet. Quo ſane vtriuſque facto apparet, hoc eſſe ciuile, illud ſeruile. Hac quidem gratia liberi homines vt ſemper in animo, ſic frequenter in ore habent Sophoclæum illud, vltimam prope Pòmpei vocem,

† Quilibet ingenuus ſimul ac ſubit ora tyranni, illius inde redit, mutato nomine ſeruus.

† Ὅστις γὰρ ὡς τύραννον ἐμπορεύεται
Κείνου 'στὶ δοῦλος, κἂν ἐλεύθερος μόλῃ.

Appian. ciu. 2. & Plutarch. in Pomp. & in Apophth.

Acutiùs, ſed ignobilius Thebanus Iſmenius, qui legatus à ſuis ad regem Perſarum, atq; à Tithrauſte admonitus, ad regios ſermones admitti neminem, qui non venerabundus genubus eius accidat, cùm nihilominus ad regem duci ſe iuſſiſſet, vt fuit in cõſpectu; annulum ſibi è digito detractum clanculum abiecit ad pedes regis, eumque inclinatus, ſpecie adorantis, continuò ſuſtulit. Iſte pluribus deis vna hoſtia litare voluit; nimirum, dignitati legationis, & libertati patriæ, eâdemque gratiæ regis. Id quod an ritè fecerit ego in medio relinquo. Et ſi non difficile eſt poſt Areopagitas iudicare, qui Euagoræ mortem indixerunt, quòd regem, dum apud eum legatione fungeretur, adorauerat. Ita quoque non tanti fuit intertrimentum annuli, quàm dignitatis, quam inclinata perſona legati haud dubiè inclinauit. Id moneo, magnis regibus ægrè eſſe, ſi talibus ſolennijs nõn colantur ab exteris legatis eo more qui eorum, à quibus mittuntur, proprius eſt. Nam tali re diſcedere à moribus patrijs propemodum eſt, irreuerentem ſe ac deſpectorẽ alienæ dignitatis profiteri: Certè Perſici legati quoties adibant imperatorem Romanum, de more ſuę gentis humi procumbentes eum adorabãt. Vni ex iſtis cùm pileus, dum ſeſe inclinat, è capite

Ælian. lib. 1. Var. hiſt.

Athen. li. 6.

Menand. ecl. legat. 94. Theophyl. legat. gent. ad Rom. ca. 40.

deciſſet, continuò ij quibus principes adulari mos eſt, id factum dixerunt eſſe lætum omen. Atque, vt adulatio fatua eſt & inaniloqua, Perſiam Romano imperio acceſſuram, ſatis audacter, ne dicam ſtolidè & mẽdaciter firmarunt. Hæ ſolent eſſe argutiæ aulicorum comedonum. Illud iam monui, ad vnum miſſam legationem ab alio admitti, & excipi poſſe, qui modò in illius locum ſucceſſerit, ad quem deſtinata fuerat. Alexander adhuc puer legatos Perſicos, quia forte ierat peregre Philippus pater, hoſpitaliter excepit. Et cum legatio Romana miſſa ad Agronem regem Illyr. eum mortuum inueniſſet, à filio eodemque hærede regni, & à nouerca, quæ regimen rerum ſuſceperat, & excepta, & admiſſa eſt, licet poſtea violata. Iulianus legationes à plurimis gentibus miſſas ad Conſtantem ipſe, adepto principatu, admiſit. Legati Leonis Imperatoris miſſi ad Carolum Magnum, eo morte intercepto, ab Ludouico filio eius excepti ſunt, & admiſſi. Cuius rei quòd à me aliud exemplum allatum eſt, pluribus hîc ſuperſedeo.

Plutarch. de fort. aut virt. Alex.

Zonar. li. 2.

Zonar. in Iul.

Annon. lib. 4. cap. 100.

CAPVT XXXVIII.

Congreſſionum & admiſſionum ſimilitudo.

QVia fortunæ imperiorum plerunque index eſt forma admiſſionum, cùm hoc agimus, nõ rem inanem, ſed maximè ſeriam tractamus. Quæ vt faciles explicatus habeat, adhibebitur ſubſidium antiquitatis, ex cuius perennitate fiet deductio in noſtra & hodierna. Quippe alia eſt ratio legationis miſſæ ab aliquo validiore imperio, alia à pari, alia à minore & infirmiore. Aliter excipiuntur domeſtici, aliter exteri. Sed admiſſionum & congreſſionum mira ſimilitudo eſt. Hæ ab illis pleraque mutuantur; Quæ ſi ſemel diſtinctè tradita fuerint, facilis quoque

totius

totius rei cognitio futura eſt. Congredi dicuntur pares cùm ex æquo conueniunt ad conferenda capita de re cuiuſque publica; duo, ſcilicet, pluresue Reges; aut hinc Rex, illhinc maioris alicuius regis illuſtris legatus, aut Præſes conterminæ prouinciæ; quem regi parem; fortè & maiorem facio, ſi vices agit eius imperij, ad quod ipſe Rex omnia vertit officia venerantium. Hac dignitate præditi fuerunt omnes Proconſules, Proprætores, Præſides, & Præfecti, quibus ipſa ſe regum maieſtas propalam ſubmiſit.
Eumenes in Aſia, Antiochus in Syria, Ptolemæus *Liu. lib. 32.*
Alexandriæ conuenerunt legatos Romanos. Ipſe *62.*
Mithridates tantus rex in congreſſione eius & Syllæ *Plutarch.*
admittitur ab hoc, qui regi dexteram porrigit, ſimul- *Sylla. 854.*
que eum interrogare incipit, vt maior minorem.
Huius tantæ prærogatiuæ intelligens Antigonus
æquum cenſebat, Eumenem ſibi † ὡς κρείττονι λαλεῖν. *Plutarch.*
Sed animoſè huic Eumenes reſpondit, Neminem *Eum.*
me præſtantiorem iudico † μέχρις ἂν ὦ τοῦ ξίφους κύριος.
Interdum priorem loqui eſt potior dignitas. Id con- *Xenoph. hiſt.*
ſpectum fuit in congreſſu Pharnabaſi & Ageſilai. Ibi *Græc. lib. 4.*
enim datum ætati Pharnabaſi, qui ſenior eſſet, vt *464.*
priùs loqueretur. De qua re infra vberiùs dico. Video ſicuti in tabula, pictum Tigranem Armeniæ re- *Appian.*
gem. At quem regem? cui quaternio regum, vt ap- *Mithrid.*
paritorum, ſemper adſtare ſolitus erat. Hunc ergo aſpicio accedentem ad Pompeium à lictoribus ſubmoueri, ſed ab ipſo acciri. Video regem iam propiùs progreſſum, ſublata capite cidari, eam Pompeio ſubijcere; eique vultu ſupplice, & genu flexo Romanum Romana comitate porrigere illam inuictam dexteram, & fidem, atque ipſum, filiumque eius ſupplices alleuatos, vtrumque ſedi ſuæ circumponere. Video *Zonar. li. 1.*
eundem Pompeium iudicantem iudicium inclytum inter Hircanum & Ariſtobulum fratres, reges Hebræos. Inde conuerſum ad regês edicere ne armis diſceptent. Ipſemet Pompeius quanquam deiectus

† vt præſtatiori loqui.
† quoad ſuero gladij dominus.

fatis & acie fugatus, tamen fortunam ſiue ſuam, ſiue imperij extulit his verbis,

Lucan. li. 8. *Soluſque è numero regum telluris Eoa.*
Ex æquo me Parthus adit.

Ergo omnes alij reges Orientales adibãt Pompeium, ſicuti maiorem, ipſi, ſcilicet, Romano minores. Video legatos Romanos in hoc ipſum mitti vt cognoſcant de controuerſijs regum, aut ordinent res prouinciarum. Hos ab ipſis regibus, regumue legationibus adiri. Non ergo mirum ſi Romanus Imperator deridet Membodem legatum Perſicum qui venerit non vt legationem ederet, ſed vt iudicaret. Sed vt hoſce dicas & victos reges, & ſeruientes magnitudini Romanæ, aſpice Artabanum regem Parthorum, qui vnus prope defuerat triumphis Romanis, tamen talem tantumque vſque eò ſuſpexiſſe faſtigium Romanum, vt miſerit legatos ad Germanicum, per quos præter fœdus & amicitiam, pollicitus eſt ſe daturum honori eius, vt ripam Euphratis accederet. Quid, quod ipſe venit ad colloquium legati Conſularis? Hæc exempla addita ijs quæ mox memorabo, diſcutiunt hallucinationem illorum, qui putant ſe aliquid dicere, cùm aiunt, non eundem apud exteras gentes legato locum deberi, qui illius eſt cuius legatio eſt. Contra ipſe firmare audeo, Qui locus eſt principis, aut Reip. eundem eſſe illius quem princeps aut Reſpub. ad exteros ſolenniter legauit. Vnum excipio illum ad quem miſſa legatio eſt. Quippe etſi hic eſt multo infra ſortem & conditionem illius cuius legatio eſt, tamen eum in ditione ſua eminentiſſimo loco eſſe æquum eſt. Quem locum ipſe meHercules vni illi perſonæ conceſſerit qua ſe & minorem, & infirmiorem, & inferiorem fatetur, non etiam legato eius. Pontificis, Imperatoris, regum legati nuſquam ſedẽt ſuperiori loco, quàm is eſt, ad quem quiſque ipſorum miſſus eſt. Quòd ſi aũt inuitatio, aut itineris ratio, aut alicuius negotij ſeria tractatio compulit legatum

Menand. ecl. legat. 84.

Tacit. lib. 2. Ann.

Sueton. in Calig.

diuertere ad illum, qui obſequia & venerationem vertit ad illos quorum legatio eſt, enimuero ipſe tūc conceſſerit illorum nemini; ſed ſuperiori loco conſiſtet, hoc eſt, illo ipſo quo is conſiſteret, ſi præſens eſſet, cuius miſſu dedit ſe in viam. Quiſquis principum non hoc honore talem legatū honeſtat, in illo aduerti poteſt aut animus contumacior, aut auerſa volūtas ab illo quem legatus in ſua perſona exſcriptū refert. At, inquis, prærogatiua regiæ, principalis, vniuerſorum dignitatis eſt vera & ſolida, cùm in legato tātum ſit effigiata, aut adumbrata. Nemo negat. Sed is legatus neque ſtipes eſt, neque columna, neque ſtatua, ante quas ipſi perſæpe reges venerabundi procubueruut; ſed eſt viua magni dominatoris effigies, & illius, vt ita loquar, altera ſiue geminata perſona, quam ſine magno ſenſu & acri indignatione alterius nempe originalis & primariæ non demittas in inferiorē, quàm qui ipſi debitus eſt, locū. Et verò Mithridates de quo paulo ante agebam, non ſolùm Sertorio ceſſit, verùm etiā vni è ducibus eius C. Mario. Hoc addo, In illa Repub. quæ in nullius perſonam cōtulit inſignia iuris ac dignitatis ſuę, ſed vbi tantùm eminēt magiſtratus, etſi multa poteſtate præditi, vt in Heluetica & Rhætica, nullum eſſe tanta confidentia qui legato ſe, non dico præponat, ſed ne æquet quidem. Ratio eſt, quòd qui ibi legatus eſt non ad hunc aut illum magiſtratū miſſus eſt, ſed ad vniuerſos. Horum dignitas, autoritas, maieſtas cum in nullius perſona exſcripta aut collecta ſit, ſicuti Venetijs in illo qui ibi eſt Dux, ſed per omnes magiſtratus, perq; cunctorū capita diffuſa ita vbiq; ſit, vt nullo certo loco, nullaq; perſona definita ſit, nullus quoque ibi locus legati loco eminentior; nulla item ibi perſona eſt quæ non legato concedat, ne maioribus quidem magiſtratibus, aut cuncto Senatu excepto. Cæterùm cuius rogatu hæc ſiue colloquia, ſiue congreſſiones habentur, haud ferè multùm diſtat à victo; ſaltem cenſetur

Plutarch. Sertor. 2. 1067.

& minor & inferior. Qui quidpiã, quod eò pertineat, petenti concedit, ſeque exorari patitur, maior & validior. Hic fuit tumor Ariouiſti, cùm Cęſaris legationi reſpondit, *ſi quid ipſi à Cæſare opus eſſet, ſeſe ad eum venturum fuiſſe; Si quid ille à ſe velit, illum ad ſe venire oportere*. Priuſquam habeãtur hi congreſſus, circumſcribitur locus, tempus, comitum numerus; totius negotij ſpecies præfinitur. Quæ omnia ſpectant congredientium ſecuritatem, dignitatemq;. Securitatem, quia ſpecie colloquij ſæpe fraudi apertum eſt iter. Certè Attalus & legati Romani perierant, ſi non prompto effugio expediſſent ſe è plagis Pruſiæ regis Bithiniæ, qui pro mille equitibus, vti cõuenerat, vniuerſum exercitũ duxerat ad colloquiũ. Simile quiddam de Ezechia rege Iudæ memorant ſacri libri, de Iugurtha Salluſtius, de Mithridate Plutarchus, de Cotye & Corbulone Tacitus; de Hermia tyranno Acharnenſium Diodorus, ac de Valeriano Zoſimus. Ergo talibus locis tamque cõſpicuis ſingula anxiè & ſcrupuloſè aduertuntur; ne inſidijs implicẽtur qui vi opprimi non potuerũt. Dignitas è multis, potiſſimũ è præteritis rebus feliciter, aut infeliciter geſtis æſtimatur, augetur, minuitur. Hãc Tiridates ſibi adſcribebat cùm colloquio ſui & Corbulonis elegit locũ, in quo nuper obſeſſę cum Pæto legiones fuerant, ob memoriã lætioris ſibi rei. Sibi Corbulo, cùm eũdem locũ non vitauit, vt diſſimilitudo fortunæ gloriã augeret. Qua ratione barbarus ſucceſſum rerũ, Romanus optionem barbari vertit in ſuã gloriã. Cæterùm ita res, ſcilicet, peragitur, vt imperio opibus & viribus editiori nunquam non appareat cõcedere illud quod minus eſt. T. Quintius COS. Romanus quia dabat pacis leges Philippo regi Macedoniæ, *vt ventum eſt ad colloquium, rogatu regis dicere cæpit*. Hinc liquet, regem impetrato ab Cõſule vt prior diceret, agnouiſſe, tali re, ſibi conuenire ſicuti minori, vt prior loqueretur. Certè Sylla in cõgreſſu ipſius & Mithridatis diſertim regi dixit, Supplicãtiũ eſſe vt priùs loquãtur, victorũ

Cæſ. lib. 1. belli ciu. — *Appian. Mithrid.* — *Zonar. in Ezech.* — *Plutarch. Sylla. 854.* — *Tacit. lib. 2. 12. & 13.* — *Diodor. Sic. lib. 16. bibl.* — *Zoſim. lib. 1.* — *Tacit. lib. 15.* — *Liu. lib. 22.* — *Plutarch. Sylla.*

vt taciti horũ preces excipiãt. Hinc ergo cõſtat regẽ non ex æquo cõſtitiſſe cũ cõſule, eodẽq; imperatore exercitus Romani, ſed ſuam maieſtatem illius amplitudini ſubmiſiſſe. Id quod & Perſeo accidit, huius Philippi filio, quod fuit nobile documentum viciſſitudinum humanarum, cùm is congreſſus eſt cum legatis populi principis terrarum. *Nam poſtquam in conſpectu* (verba ſunt Liuij) *dirimente amne, paulisper internuntiando cunctatio fuit vtri tranſgrederentur; Aliquid regiæ maieſtati regiæ; Aliquid legati populi Romani nomini cùm præſertim Perſeus petiſſet colloquium, exiſtimabant deberi. Ioco etiam Martius* (ſpecta prudentiam hominis, qui nõ animi, ſed negotij gratia iocatus eſt; atque ita quidem vt aſſeruerit maieſtatem imperij. Neque iocum longè accerſitum, aut diu meditatum, ſed è re natum traxit ad rem ſeriam) *cunctantes mouit. Minor inquit, ad maiorem* (ſicuti de ætate loqueretur, accepit Perſeus; tanquam de maieſtate Martius. Vtrumque verum). *Et quòd Philippo ipſi nomen erat, filius ad patrem tranſeat.* Quibus verbis maieſtatem Romanam condijt priuata comitate. *Facilè id perſuaſum regi eſt. Aliud deinde ambigebatur, cum quàm multis tranſiret. Rex cum omni equitatu tranſire eum æquum cenſebat. Legati vel cum tribus venire iubebant. Vel, ſi tantum agmen traduceret, obſides daret, nihil fraudis fore in colloquio: Hippian & Pantaucum principes amicorum obſides dedit. Nec tam,* ait Liuius, *in pignus fidei obſides deſiderati erant, quàm vt appareret ſocijs, nequaquam ex dignitate pari congredi regem cum legatis.* Vide quàm Liuius nihil detrahat regiæ maieſtati. Id quoque diſpice, quàm ſublimet magnitudinem Romanam, cui denique ſubmittit maieſtatem regis. Similiter Craſſus in congreſſu Surenæ, quanquam, re perdita, venerat in diſcrimen vitæ, ſaltem videri voluit memor dignitatis, ſi non re, at verbis. Nam cùm ex equo deſcendiſſet, atque ad Surenam tenderet, Surenas barbaro inriſu, vt eum vidit, Quid hoc, inquit? Pedes it Romanus imperator, &

Liu. lib. 32.

Appian. in Parth.
Plutarch. in Craſſo.

Tacit. lib. 15. Ann.

nos equitamus? Huic reſpondit Craſſus ex neceſſitate, ſed tanquam ex dignitate. Neuter, inquit, peccat, patrio vterque more congredientes. Nam *Parthus* vt ait Tacitus, *equitatu ſtat, Romanus legionum agminibus.* Sed ego puto, & fato, & vltima deſperatione Craſſo ademptum fuiſſe, vt prius omne conſilium belli gerendi, ſic poſtea congrediendi cum vlla aut ſecuritate, aut dignitate.

Plutarch. Sylla & Strabo lib. 13. Appian. Mithrid. Appian. lib. 1. belli ciu. Appian. lib. 2. belli ciu. Appian. lib. 4. ciu. Lucan. lib. 4.

Cautiùs Sylla & felicius, qui cum Archelao præfecto Mithridatis, in campo circa Delium, vbi eſt ædes Apollinis, deinde etiam cum ipſo Mithridate æquo loco congreſſus eſt cum paucis, inſtructis vtrinque exercitibus; nempe, vt verbis, viriſque ſimul, prout opus eſſet, velitari poſſet. Scipio & Syllani in campum ita conuenerunt, vt vtrinque eſſent terni. Petreius & Afranius in Hiſpania cum Cæſare congreſſi ſunt, adſtantibus vtrinque exercitibus. in eoque Lucanus repperit materiam laudādi Afranij,

—ſeruata precanti
Maieſtas non fracta malis, interque priorem
Fortunam, caſuſque nouos, gerit omnia victi,
Sed ducis & veniam ſecuro pectore poſcit.

Strabo lib. 12. Plutarch. Eum. Plutarch. Demetr. 3. 1655. Plutarch. Cic. 3. 1620.

Lucullus & Pompeius conuenerunt apud Damala. Eumenes & Ptolemæus in campum. Seleucus & Demetrius apud Oroſſum. Antonius & Octauius, pace facta, vterque ſuo exercitu pone ſe relicto, coierunt ſinguli cum trecentis ad Pontes Lauinij fluminis, nempe apud vrbem Bononiam. Ad id loci vbi peruentum eſt, Lepidus inſula, quæ ibi eſt, perluſtrata chalmyde vtrique ſignum dedit, quî eos inter ſe faceret conuenas. Illi, relictis ad pontes trecentis, vnà cum amicis, in medium progreſſi aperto campo conſtiterunt; Cæſar quidem (vide quàm ſingula definita ſint) propter imperium, medius.

Appian. lib. 5. belli ciu. Plutarch. Ant. 1702.

Et cùm hic ipſe Octauius, & L. Antonius Marci frater conuenturi eſſent Gabios, duo ſuggeſtus medio campi erecti ſunt, vnde vterque, veluti apud iudices, pro ſe cauſam diceret. Sed is cōgreſſus abſceſſu Lucij diremptus. Sex.

Pompeius, Antonius & Cæſar congreſſi ſunt apud promontorium Miſeni, Caſſius & Brutus apud Sardeis; legati Romani & Antiochus Selymbriam; nēpe omnes apud loca nulli ipſorum ſuſpecta aut intuta. Hinc palam eſt, in loco congreſſus, ſiue coitionis eligendo præcipuè ſpectari conuenientium ſecuritatem, commoditatem, dignitatem. Quas ſæpe præcedit maxima ſuper iſtis concertatio; cuius ſpecimen extat apud Menandrum inter Romanos & Perſicos legatos, priuſquam conuenirent in eum locum cui nomen Atraclum. Mitiora & rariora talium certaminum exempla præbet antiquitas quàm hodiernus dies. Certè perpaucis & regibus, & principibus, & rebuſpublicis eſt de prærogatiua honoris concordia; cùm maior pars non virtutis experimentis, ſed ſola animi elatione cenſeri velint.

Plutarch. Bruto. 1828.
Liu. lib. 23. 129.
Menād. ecl. legat. 98.

CAPVT XXXIX.

De eadem re.

IDemtidem moneo in his congreſſionibus potiſſimùm conſulendum eſſe dignitati. Ea dignitas quibus rebus contineatur docent ea, quę protuli exempla. Sed quod eſt arduum ſtare in loco lubrico, nec prolabi in errorem, vberiùs rem omnem exquiro, cuius omnis ratio præter ſupradicta colligi, opinor, poteſt ex ijs quæ ſequuntur. Xenophon adnotauit, eos qui à Cyro familiari inuitatione honeſtabantur, non temerè hoc illóue loco ſediſſe, ſed Hercule ipſius Cyri iudicio. Quem, ſcilicet is, præcipuo honore dignabatur, hunc ſibi iubebat aſſidere ad læuam. Hanc enim dextra dicebat inſidijs eſſe magis obnoxiam. Ergo, is qui hoc loco ſedebat, cenſebatur ibi poſitus eſſe veluti tutamen & ſatellitium regi. Alterum collocabat ad dextram; tertium rurſus ad læuam; quartum item ad dexteram. Quòd ſi fortè pluresibi eſ-

Xenoph. de inſtit. Cy. hiſt. lib. 8. 174.

ſent, eodem omnes ordine ſedebant. Quippe is ita ſtatuebat, vbi is qui virtute eminet, idem quoque loco non antiſtat, ibi verò extingui ad præclara æmulationem. Verùm vbi laudatiſſimus quiſque conditione eſt optima, ibidem omnes ſummo certamine contendere ad præſtantiſſima quæque. Ergo vt ſummus gradus eſt index ſummæ virtutis, illius cui vniuerſi omnia ſua accepto ferunt; ita deinceps gradatim, quanti quiſque ſit, aſſignatus cuique locus demonſtrat. Et quidem in rebus humanis virtus, fateor, diuinum germen ſemper eminet & omnia ſe inferiora ducit. Verũtamen. Sæpe comitem ſibi fortunam adſciſcit. Qua voce omnia externa demonſtrantur. Itaque quoties hominem in perfecta felicitate conſtitutum dicimus, eàdem eum multis virtutis & fortunæ bonis cumulatum aſſerimus. Hinc illa frequentia inter ſummas poteſtates, & acria de loco certamina. Nempe genus, opes, & potentia, horumque vſus & oſtentatio cenſentur eſſe in cenſu virtutis. Cui hæc maximè adſunt, is impromiſcuus, & ſicuti ab ipſa virtute ſepoſitus exiſtimatur. Ergo nobiliſſimum, opulentiſſimum, & potentiſſimum quemque primæ, ſiue ſuperioris ſeſſionis honor demonſtrat. Nec ſanè mirum ſi Arſaces rex Parthorum Orobazum legatum ſuũ miſſum ad Syllam regreſſum necauit, quia Syllæ loco ceſſerat. Romanè Sylla, qui, allatis tribus ſedibus, vnam Ariòbarzani, alteram Orobazo dedit; tertiam eamque mediam ſumpſit ſibi. Ita medius audiuit legatum edentem mandata. Atque hinc ſciri voluit, regum Parthicorum maieſtatem eſſe infra magnitudinem Romanam; ac proinde Orobazum legatum ſe legato ac duce Romani exercitus inferiorem duxit. Certè Sylla barbarum neminem tanti putauit, quem non deſpectaret vt imparem. Ea re ſi non alio cultu, ſaltem loco eminere voluit. At medius cenſetur honeſtiſſimus quòd idem eſt tutiſſimus. Ideoque cum Hiempſal Iugurthæ inuidit. Eadem eſt ratio loquendi

Plutarch. in Sylla.

Salluſt. Iug.

loquendi in publicis conſeſſibus. Nempe multum
intereſt, an hoc an illo loco. Nam qui prior loquitur,
vt iam mihi dictum, cenſetur admitti ab illo à quo au-
ditur. Cuius rei etſi aliquot exempla ſupra memora-
ui, illis tamen non piget addere ſequentia. C. Cæſar *Vell. Pa-*
ab Auguſto in Syriam miſſus, cum rege Parthorum, *terc. lib. 2.*
æquato vtriuſque partis numero coijt. *Sed prior Par-*
thus (nempe hinc ſe Caio concedere faſſus eſt) *apud* *Tacit. lib.*
Romanum in ripa Romana; poſterior hic apud Regem in *15.*
hoſtili epulatus eſt. Tiridates Rex Armeniæ cùm veniſſet
ad locum ſuo ipſius, & Corbulonis colloquio deſtinatum, vi-
ſo Corbulone, prior equo deſiluit. Et cùm paci componendæ *Ammian.*
(verba ſunt Ammiani Marcellini) *inter Gothos & Va-* *Marcell.*
lentem principem Romanum conueniens locus eſſet præſti- *lib. 27.*
tutus, & aſſereret Athanaricus ſub timenda execratione
iuriſiurandi, ſe eſſe obſtrictum, mandatiſque prohibitũ pa-
tris, ne ſolum aliquando calcaret Romanorum, & adigi non
poſſet; indecorumque eſſet ac vile imperatorem tranſire ad
eum, rectè noſcentibus placuit, nauibus remigio directis in
medium flumen, quæ vehebant cum armigeris principem,
gentiſque [Gothicæ] *iudicem, inde cum ſuis fœderari, vti*
ſtatutum erat, pacem. Qua re compoſita, & acceptis obſidi-
bus (vide quàm non ex dignitate pari, quanquam in
medio flumine, tranſactum ſit) *Valens Conſtantinopo-* *Procop. lib.*
lim rediit. Propemodum ad hoc exemplum legati Iu- *1. belli Perſ.*
ſtini & Cabadis in ipſis conlimitijs Romani & Perſici *Annon. lib.*
imperij, vt de pace agerent, congreſſi ſunt. Ita ſub Ca- *4. cap. 97.*
rolo Magno, congreſſu primorum Franciæ Daniæ-
que ſuper amne Egidora, iureiurando vtriuſque gen-
tis pax firmata. Hæc ego inluſtrium congreſſionum
exempla è multis lecta paginis, ac ſepoſita in gratiam
illorum, quorum laborem meo labore leuatum cu-
pio, ideo retuli, quia è congreſſione in admiſſionem
transferri multa poſſunt. Quippe legationes validio-
rum imperiorum eo paratu, quem ſupra dixi, ſunt ex-
cipiendæ; exceptæ non diutiùs quàm hoſpitalitatis
officia deſiderant, differendæ. Denique tota ſpecies

magis accedere debet ad congreſſionem, quam ad-admiſſionem. Quaſi tales legati ex æquo cum illis congrediantur, ad quos miſſi ſunt. Nempe iſti, ſicuti cothurnati grandia incedunt; nec ferè loquuntur niſi explicato aulæo tragico, ſua magnificantes porrigenteſque maieſtatem imperij ſui.

Horat. lib. 1. ſerm. ſat. 4.

—ſurgente ſole ad eum, quo
Veſpertina tepet regio?

vt quod rogant, cogere ſe poſſe probent. Talis fuit magniloquentia Pelopidæ legati Mithridatis coram ducibus Romanis. Neque enim dubitauit affirmare imperium Mithridaticum patere in longitudinem ſtadia viginti millia. Super hæc extulit vicinitatem & clientelas omnium progegentium conterminarum. Amicitias item quibus validiſſimis innixus erat. Inde iactauit adfinitatem Togbanis Armenij, & Arſacis Parthi. Sic legati Bocchi, vbi Syllæ mandata regis patefècerunt, copias, fidem, magnitudinem regis ſui oratione extulerunt. Talis prorſus fuit magnifica illa oſtẽtatio regis Argiuorũ apud Æſchylũ in his verbis,

Appian. Mithrid.

Æſchyl. ἱκέτιδ. 316.

† Τοῦ γηγενοῦς γὰρ εἰμ' ἐγὼ Παλαίχθονος
Ἶνις Πελασγοῦ, τῆς δὲ γῆς ἀρχηγέτης.
ἐμοῦ δ' ἄνακτος εὐλόγως ἐπώνυμον
Γένος Πελασγῶν τήνδε καρποῦται χθόνα
καὶ πᾶσαν αἶαν, ἧς δι' Ἄλγος ἔρχεται,
Στρυμὼν τὸ πρὸς δυόντος ἡλίου κρατῶ.
Ϭείζομαι δὲ τὴν δὲ Περραιβῶν χθόνα
Πίνδου τε τἀπέκεινα, Παιόνων πέλας,
ὄρη τε Δωδωναῖα. συντέμνει δ' ὅρος
ὑγρᾶς θαλάσσης. τῶν δὲ τἄπειτα δὲ κρατῶ.

Hæc talium legatorum granditas potiſſimùm agnoſcitur edenda legatione, vt infra dicam ſuis locis. Appius Claudius ab Lucullo imperatore ſuo legatus eſt ad Tigranem, illud ludibrium fortunæ. Hunc igitur, cùm etiam tum graderetur æqualis aſtris, Appius vt venit coram, ſic agitauit; Miſſu Luculli huc aduenio, vt Mithridatem abducam eius triumpho debitum.

Plutarch. in Lucullo.

† Terrageniti ego Palæchthonis (ſum) poſteritas Pelaſgi, & huius terræ dominus. At me rege meritò denominata poſteritas Pelaſgûm hoc fruitur agro & omni hac terra, per quã Algus labitur. Et quà Strymõ ad occidẽtem (vergit) ſolem dominor. Et distermino terram Perræbiorum, eáque quæ vergunt ad Pindũ iuxta Pæonas & montes Dodonços, vbi terminus eſt humidi maris. Quæ vltra (ſunt) horũ ego ſum dominator.

Alioquin indico tibi bellum. Qui ſane cothurnus proprius eſt iſtorum bellatorum, quos frequentia victoriarum, & fortius quoddam fatum perduxit ad faſtigium rerum. non item aliorum. Nam

Si dicentis erunt fortunis abſona dicta, *Horat. lib. 1.*

Romani tollent equites peditesque cachinnum. *Serm. ſat. 4.*

Tales quoque legati promptè laceſſunt, minitantur, ferociter reſpondent, nempe fidentibus fidenter, ſuperbis ſuperbè: Veluti cùm Craſſus legatis Arſacis per iactantiam dixiſſet, Seleuciæ ſe reſponſum daturum, ex legatis Vagiſes maximus natu ſubſannans, manus ſupinæ oſtenſa vola, Hinc priùs, inquit, pili Craſſe exorientur, quàm Seleuciam tu quidem aſpicias. Sic Themiſtocles legatus ad Andrios ſuper pecunia duos Deos in comitatu duxiſſe ſe dixit Suadam & Vim. Num potuit ſublimius? Sed, videlicet, exceptus fuit ſimili reſponſo, vt alibi dico. Vt faſtuoſis, ac tumidis legationibus aſſeritur magnitudo quæſita meritis, ita ratione circumſpectiore haud dubium eſt commendari legationes tenuiorum. Sæpe modeſtia mollit ea quæ nulla vis frangere poteſt. Quam tamen virtutem imperia vix agnoſcunt, dum ſerio alienæ rei, dignitatique detrahunt quod addant ſuæ. Quo fit vt hæc virtus non tam cenſeatur eſſe inferiorum, quàm ſuperiorum. Quia in illis ſubdola creditur, & coacta; in his ingenua & incoacta. Ideo cauendum legato eſt, ne virtutibus intempeſtiuis ſubruat negotium, ad quod fulciendum aut perficiendum miſſus eſt. Sed vt hæc de loci dignitate certamina propriè ſint illorum, quorum legationes ſunt, moneo perſæpe inter ipſos vnius & eiuſdem principis legatos ſimilem æmulationem oriri. Nam etſi is, qui eſt princeps legationis, vt ordine primus domi ſuos collegas fortè domeſticis titulis, ac dignitate anteit, tamen is, cuius ore legatio editur, ſemper cæteris antiſtat. Apud Homerum quamuis Vlyſſes in delectu legatorum tertius nominetur, tamen quòd ipſe apud Achillem editurus erat

Plutarch. in Lucullo, & Appian. in Parth.

Plutarch. in Them.

mandata Agamemnonis, primus, ante alios, inquam, ingreſſus eſt atrium vbi erat Achilles.

Iliad. 9. 315.

† Τὼ δὲ βάτην προτέρω, ἡγεῖτο δὲ δῖος Ὀδυσσεύς.

† hi vero progreſſi sũt vlterius. Preibat autem diuus Vlyſſes.

Ante paucos annos ab quodam rege duo lecti ſunt in arduam ſanè magnique momenti legationem ; vnus generis claritudine, alter doctrina & eloquio inſignis. Nobilis exiſtimauit ſibi ab ſuo collegato cedi ęquum eſſe. Cui hic reſpondit, Tu ſane in conuiuio priori loco eſto, dummodo ego cùm legatio edetur ore meo priori conſiſtam.

CAPVT XL.

Legatorum quidam excipiantur vt exteri, quidam vt domeſtici. Vtrique monſtrantur.

NE quis fortè dubitet, quoſnam vocauerim exteros, quos domeſticos, vtrique ſunt mõſtrandi, ne illis minùs æquo, his ñe ſupra debitum quidpiam tribuatur. Sed quia hæc res hodie non eſt ſcirpus, vt ſit ſine nodo, is ita demum diſſolui poterit, ſi proferatur regula Romana, ad quam quiſque ſua dirigere poterit. Et quidem quod ad hanc rem pertinet, Romæ nihil fuiſſe indiſpoſitum, ſed omnia ſuis tẽporibus diuiſa, hinc diſcimus, quòd mẽſis Februariꝰ audiẽdis legationibus attributus erat. Legationes accipe municipales & Italicas, aut prouinciales; non item externas, eorũque qui ſui iuris per omnia eſſent. Sæpe, videlicet, de modo agri, de legibus, ceremonijs, aſylis, templis, talibuſque totæ ciuitates per ſuos quęque legatos multa accenſis ſtudijs, & prouinciali æmulatione alternabant coram magiſtratu Romano. Talis fuit contentio Appionis illius, qui accuſauit Iudæos apud Caligulam ; cui Philo elegantiſſimè reſpondiſſe dicitur. Iiſque legationibus ſæpe tranſalpinis, ſæpe tranſmarinis, ne fruſtra

Cic. lib. 1. epiſt. fam. ep. 4. & ad Q. fratr. lib. 2. ep. 11. 616.

Ioſeph. lib. 18. & Niceph. lib. 2. cap. 9.

haberentur ſi aut maturiùs tardiuſue Romam veniſſent, certum tempus erat præſtitutum. Et maiores magiſtratus, vt legati qui è longinquo venerant, non diutiùs ductarentur, ſed abſoluti quantocyus dimitterentur, perficiebant. *Priuſquam conſules in prouincias proficiſcerentur*, ait Liuius, *legationes transmarinas in Senatum introduxerunt.* Eaſque legationes affirmat ab ſuis ciuitatibus ideo Romam miſſas, vt de iniurijs Philippi quererentur. Hoc genus legationum audiebat Senatus, credo, infrequens. Id vti ſic exiſtimem, adducor verbis M. Tullij in eodem loco quem ſuprà citaui, nempe in epiſtola quarta ad Lentulum; *Senatus*, inquit, *haberi ante Kalendas Februarias per legem Pupiam, id quod ſcis, non poteſt; neque menſe Februario toto, niſi perfectis aut reiectis legationibus.* Fatetur non haberi Senatum, ac nihilominus audiri legationes. Id enim pro eo Romæ accipiebatur, ac ſi omnino non haberetur Senatus, qui legationibus tantùm vacabat. Imò ipſe alibi firmat ex verbis Appij Claudij, magiſtratus cogi ex Cal. Februarijs, & vſque ad Cal. Martias legatis Senatum quotidie dari. Ergo fatendum quoque, non à patribus, cùm frequentes conueniebant, eas legationes audiri ſolitas, ſed à magiſtratibus, ijſque Senatoribus qui fortè Romæ erant, inductas, dimiſſas, perfectas; adhibitis, vt eſt credibile, earum ipſarum gentium, & ciuitatium patronis. Hos enim ſingulas ciuitates Romæ habuiſſe docuit me Liuius. *Dati ab ſenatu*, inquit, *ad iura ſtatuenda ipſius coloniæ patroni*: & Appianus. Horum iudicia fuiſſe rata, Dionyſius Halicarnaſſæus. De hoc genere fuerunt legationes Diæi & Menalcidæ, quæ memorantur à Pauſania; & Lacedæmoniorum, Meſſeniorum, Segeſtanorum, Maſſilienſium, quæ à Tacito, Vicentinorum quæ à Plinio, & aliæ, paulò quidem digniores municipalibus, ſed eiuſdem ferè generis. Nam quorum erant, externos fateor lingua quidem & natione, non imperio, ac ditione. Quippe quoties

Liu.lib.29.

Lib.2.ad Q. fratr.ep.11.

Appian.lib. 2.belli ciu.
Liu.lib.9.
Halic.lib.2.
Pauſan.li.7.
Tacit.lib.4.
Plin.lib.5. epp.

hos populus Rom. aſpexit, eàdem ſuos dedititios agnouit. Principe Auguſto tribus Conſularibus mandatum vt has legationes audirent, iiſque reſponderent. Tiberius ipſe eas audiebat, ijs adhibitis qui illas prouincias rexiſſent quarum eæ legationes erant. Hoc tamen principe, quandoque in Senatu ſunt auditæ, ſi de rebus arduis aduenifſent, Cuiuſmodi celebris illa apud Corn. Tacitum miſſa à pleriſque Aſiæ ciuitatibus ſuper iure aſylorum. Tales à Traiano fuiſſe admiſſas & auditas, teſtis eſt Plinius his verbis, *Adeunt ſtatim, dimittuntur ſtatim. Tandemque principis fores excluſa legationum turba non obſidet.* Haud abſimiles illæ, quibus rex Indorum reſponſa dabat, cùm capillum pectebat, ornabatque. Eædem ſimulatque Romam aduenerant, ædem Saturni adibant. Credo, vt ſciretur quo ordine inducendæ; quibuſque ſumptus ex publico decerni, quibus item non præberi deberent; illis vt extraneis, his minimè. Quærendum ergo hoc loco, quinam vigente re Romana, Romæ dicerentur exteri. Paratè reſpondeo, Parthi, Sarmatæ, Scythæ, Indi, aliaque ignota Romanis auribus gentium vocabula. Reliquus quidem citerior orbis, qui, ſi exemeris algida, complectebatur totam Europam, multa Aſiæ, multa Aphricæ, ſub Auguſto totus erat Romanus. Harum tamen gentium legationes quædam eo paratu, quem ſupra dixi, excipiebantur; Aliæ comiter tantùm, vt miſſæ à prouincialibus. Diſcrimen eſt ex diuerſa conditione populorum. Quorum ſunt tria genera; Primum coloniarum, hoc eſt, Quiritium tenuiorum, qui poſtea limitanei milites dicti, quibus ager captiuus viritim diſpertitus, exonerandæ vrbi, & frequentandis, tutandiſque imperij finibus,

ne per vacuum Romano incurreret hoſtis.

Vnà cum his cenſeo illos, quibus ius coloniæ, hoc eſt, ciuitas data cum iure ſuffragij; & quibus, quanquam reſtrictiori iure, ſine hoc priuilegio indulta. Vtrique

Dio Aug. 73. *Dio Tiberio. 105.* *Tacit. Ann. lib. 3. 185.* *Plin. in panegyr.* *Q. Curt. lib. 8.* *Plutarch. probl. 42.* *Horat. ſerm. lib. 2. ſat. 1.*

ciues erant; neque multum diſtabant ab illa comitiali ſeptem collium plebe. Alterius generis erant vi victæ gentes, quibus ſuæ leges ademptæ, nouæ datæ. Hæ ſæpe ex regnis redactæ in prouincias, nimirum vectigales, ac ſtipendiariæ factæ à Proconſulibus, Proprætoribus, poſteaque à Præſidibus & Præfectis regebantur. Vtrarumque legationibus dabatur Senatus, menſe vti dictum eſt, Februario; illis vt ciuibus; his, quibus erat durius ſeruitium, vt deditiтijs ac ſubiectis; Vtriſque ſanè vt ſuburbanis, propeque domeſticis. Hoſce demonſtrauit Liuius per nomen Circeienſium, aliorumque colonorum, cùm memorat, *eis denunciatum Senatus verbis, faceſſerent propere ex vrbe, atque oculis populi Rom. ne nihil eos legationis ius externo, non ciui comparatum tegeret.* Vide vt excludat eos priuilegijs legatorum exterorum, ciueſq; nominet non externos. Ergo neutri publico hoſpitio excepti; neutris lautia mitti ſolita. Docet Iuriſconſultus, qui *ædium nomine legatum damni infecti promittere debere, aut vicinum admittere in poſſeßionem* reſpondit. Tertij generis erant illi, qui ſponte venerant in ſocietatem Romanam, eamue operoſis meritis adepti erant. Hi, magnitudine Romana protegebantur tantùm, atque adeò ſociorum nomine etiam honeſtabantur; erantque Græcis ἀτελεῖς, quaſi dicas immunes ab omni tributo. Atilli † ὑποτελεῖς, quibus videlicet, tributa, & leges, & ius Romanum, vt victis impoſitum: neque enim ſolùm protegebantur, ſed & tenebantur vt ſubiecti. Quanquam non pauci quoque proferri poſſunt, quos populus Rom. quanquam victos, iuſſit eſſe liberos, id eſt tertiæ conditionis. Hoc tanto munere donata eſt Græcia, licet domita. Ergo qui reges, quæue gentes virtute & amicitia Romana præcellerent, ab alijs culta illa hoſpitalitate, quam ſupra dixi, diſtinguebantur. *earumque legatis id honoris datum, vt in cauea ſederent in ſedibus Senatorum.* Quod ſi quis rem magis reputet quàm

Liu. lib. 6.

Paul. in l. 28. D. de iudic.

†tributarij.

Tacit. li. 13. Ann.

ſpeciem, fatebitur iſtos quoque vi & amplitudine Romana circumfuſos membra fuiſſe eius imperij, cuius Roma caput fuit. Nam & arma, & iuuentutem, & commeatus imperio miniſtrabant. Denique procurationem regni exiſtimabãt ſuam, ius & imperium eius fatebantur eſſe penes populum Rom. Certè tales reges Tacito ſunt inſeruiẽtes, vt Antiochus, quamuis opibus ingens. Neque enim arma ſuo nutu aut arbitratu tractare; ac ne ſocijs quidem populi Rom. ſine permiſſu Senatus auxilia mittere audebãt, vt de Ptolemæo Liuius memorat. Iſtis aſſimilo eos, qui hodie ſunt maiores duces & principes; licet liberi & regnantibus ferè per omnia ſimiles; ſed tãmen regiæ, imperatoriæ, Pontificiæ maieſtatis veneratores, de quibus aliquid ſupra, & in meis coronis ſatis vbertim egi. Quia tamen imago ſummi faſtigij, omniaque inſignia ſummæ fortunæ Senatus aut princeps iuſſerat manere apud illos, quorum vim ſibi ipſe ſepoſuerat, non mirum eſt, ſi iſti Romæ erant exteri, tanquam non circumſcripti finibus imperij; atque adeò ſicuti cum Romano imperio æqua eſſet ipſorum factio. Et cùm hi reges Romæ erant, extincta, ſcilicet, libertate, quantus Conſulibus honor erat. Hoc liquet ex poſtulatis Vologeſis pro Tiridate fratre apud Corbulonem. Nam perinde eſt ac ſi dicat, id ex conſuetudine eiuſdem faſtigij hominibus concedi. Iſti ergo erant in tutela Romana; at alij in ditione. Itaque quoties lego extraneas legationes veniſſe Romam, haſce accipio. Niſi forte eſſent remotiorum gentium vt Indorum, Parthorum, Sarmatarum. Ad hæc exempla hodierni quoque regnantes legationes, quibus adeuntur, diſcriminare poſſunt. Et cùm, quanti ſint ij quorum eæ ſunt, æſtimauerint, definire modum hoſpitalitatis, honoris, cultus quo legatos excipiant.

Tacit. li. 12. Ann.

Liu. lib. 21. 18.

Tacit. li. 15. Ann.

CAP.

CAPVT XLI.

Tempore pacis non admittere legationem, cuiuſcunque tandem illa ſit, Scythicum planè eſt.

AN legatio ſit admittenda, ratio temporis diiudicat. Nam ſi alta pax alit gentes, equidem nullam video cauſam quamobrem ſit excludēda, quamlibet miſſa ab illo, qui nobis eſt inuiſus. Dandumque hoc ſi non illi, ſi non nobis, at iuri gentium, vt indignatio comprimatur. Quid enim ſi miſſa eſt ad ſatiſtaciendum, ad mutanda priora, de reconciliatione & concordia? At te prehendit ſuſpicio eſſe ſpeculationem. Quid ſi falſus es, ac plus ſcis quàm ſcito opus eſt? Sed ſit ita ſanè. Fac ſpeculationi impoſitam eſſe laruam. Tuum eſt nudatam iubere relegere iter quà venit; ne tibi externæ aſtutiæ imponant; ſed intellectas caueas, contemnas, rideas. Planè regiè ille rex Æthiopum μακροβίων. Nempe hunc Cambyſes habebat pro frutice, cùm ad eum miſit ſpeculatores cum donis, qui ſe legatos mentirentur. Sed fatuum non inuenit. Neque enim fuerunt excluſi, ſed ita admiſſi, vt directò audirent ſpeculatores nulla circuitione. Vos, inquit, ſcio non huc miſſos de amicitia à non deſiderante; qui quàm ſit homo nihili, vel hinc liquet quod fraude graſſatur. Nihilominus vincam animum meum. & quando ſpeculatum miſſi eſtis, facio vobis poteſtatem ſingula otioſè introſpiciendi, quo illi exploratiora renuncietis. Simile eſt illud apud Tacitum, *Captos Vitellij exploratores, circumductoſque vt robora victoris exercitus noſcerent, remittendo.* Propemodum ſic habita fuit legatio illa ſpeculatrix Illyriorum, & illa, quam Brennus Dux Gallorum miſit ad Antigonum. Nulla fœdior illa Indica, qua Cyrus abuſus eſt ad ſpeculanda

Herodot. lib. 3.

Tacit. lib. 19. Annal. 358.

Iuſt. lib. 25.

Xenoph. li. 6. Cyrop.

caſtra Crœſi. Nam legati Indici, iuſſu Cyri, Crœſum adierunt, tanquam ab rege ſuo ad illum de ſocietate miſſi. Etſi hoc excuſari poſſunt, quod iuſſi erãt quicquid Cyrus iuſſiſſet, exequi. Sed næ ipſe rex Indorũ turpi beneficio ſibi Cyrum obligauit, ſi ſuſpicari potuit fore, vt ſua legatio ſpéculationi lenocinaretur. Par eſt, nequitia principis qui ad turpia ſuam legationem dat vtendam, atque eius, qui cuipiam vxorem commoditat aut apiſcẽdæ dominationi aut pecúnię. Tolerabilior eſt illa Romana, cui tamen fixa eſt ruga neutiquam Romana. Cui velandæ addita eſt honeſta ſpecies componẽdi duos reges auerſos Antiochum & Ptolemæum; cùm tamen ipſa re ſpeculandis Antiochi bellicis apparatibus eſſet deſtinata; idq; actura vt Annibal aut Romanis mitigaretur; aut aſſiduo colloquio ſuſpectus, inuiſuſque regi fieret. Quãquam, ſi libero ore loqui licet, ægerrimè retuli hoc exẽplum, vt fidei ſuſpectæ. An illa priſca Roma ingens, manſurumque theatrum virtutis humanæ, illa quæ

Polyb. l. 3. & Iuſtin. li. 31.

Nunquam ſuccubuit damnis, & territa nullo
Vulnere, poſt Cannas maior, Trebiamq́. fremebat,

Claudian. de laudib. Stilich. lib. 3.

artes barbaricas diſcere potuit? Ille populus victor omnium circa gentium, oſor fraudis, cui in ſua & virtute & fortuna præſidium, anxiè videlicet, id egit, vt Annibal ab ſe victus, ac denique factus mancipiũ eius regis, qui ipſus haud multò poſt fuit inter mancipia vrbis reginæ, ſicuti metuendus demum tepeſceret, & mitigaretur ſibi? Retonſa erat † ὀξύτης illa Annibalis. Fortuna eum deſeruerat, & ludos faciebat. Fama victoriarum ſeneſcebat. Punici aſtus iacebãt effœti & marcidi. Contra, Romana virtus valeſcebat, gloria augeſcebat. Ergo quid minùs Romana magnitudine dignum, quàm cogitare de mittẽda legatione ſeruili per hominẽ Romanũ? At quem? Illũ qui perfecerat, vt dein nulla diſſimulatione opus eſſet; cuius in ſolo nomine eſt terror Carthaginis, & rubor Annibalis. Nũ Scipio domitor Africę detracto ſibi ſpolio leonis,

† acritas

contegi potuit pelle vulpeculæ? E' victore fieri palpator & captor? At cuius? Ab ſe victi; illius qui

-- in exilium præceps fugit, atque ibi magnus, Iuuen. ſat. 10.
Mirandusque cliens ſedet ad prætoria regis,
Donec Bithyno libeat vigilare tyranno.

Ignoſcat mihi vterq; genius Polybij & Appiani. Nam in tradēdo hoc negotio vereor ne nimium græciſsēt. Non moueor eo quod profitetur Polybius, ſe prope alumnum Scipionum, certè familiarem Æmiliani, ijs interfuiſſe quæ ſcripſit. Neque enim qui ipſi rebus geſtis interfuerūt, vt ipſe Polybius Fabio obijcit, ideo ſunt minùs indiligentes veri. Sæpe aduerti, nihil ferè minùs attentè ſcribi quàm rem ſeriam. Fortè & Polybius famam per liuida Græcorum ora volitantem ſectatus errore rei veriſimilis, rumorem ſcripſit pro re. At id ipſum tradit Iuſtinus è Trogo deſumptum homine Romano. Hærerem ſi non & hæc ipſa eiuſdem ſaporis eſſent, cuius fons eſt vnde ſunt deriuata. Græcos dico, qui ideo certatim Romana ſcripſerūt, pauculis demptis, in quibus lubet annumerare hunc ipſum Polybium, vt Romanæ maieſtati vbicunque, & quodcunque poſſent, detraherēt. Cuiuſmodi multa Trogū in ſua quatuor & quadraginta volumina aceruatim retuliſſe, ex illorum elegantiſſimo breuiario haud falsò datur intelligi. Ego certè, etſi tot librorū iactura vehementer commoueor, haud paruam gratiam habeo Iuſtino, qui reciſis ſuperuacuis, nos hiſtoria compendiaria, ſcriptaque ad guſtum Romani palati ſaltem ſolatus eſt. In quo tamen ipſo vix probo, quòd nimium multa ex ipſo Trogo deſumpſit huius notæ, profecta à malignis Romanæ potentiæ inuiſoribus, eamque allatrare ſolitis. De hoc eodem genere eſt illud quod idē Polybius memorat de alijs legatis Romanis, quos dicit in Hiſpaniam miſſos ad ſpeculanda conſilia Annibalis. Nam ibi quoque claudicat eius fides. Neque hîc ego Romanas artes agnoſco. Et verò cætera ſcriptorum manus eam legationem in

hoc apertè miſſam firmat, vt ex dignitate Romana Annibalem alloqueretur. Ergo veriſimilius eſt illud quod alij hac ipſa de re ſcriptum reliquerunt, Id accidiſſe per occaſionem Scipionis Africani, qui ab Senatu miſſus in Africam ad componendas Maſſaniſſæ & Carthaginiẽſium controuerſias, rediens Romam venit ad Antiochum receptorem Annibalis, ſpecie quidem legationis; ſed reuera vt vtrumque ab incœpto deterreret, aliaque cum ipſis ageret, prout ipſi è Repub. fideque ſua videretur. Non eo inficias, poſt aduentum Scipionis aures Antiochi non æquè Annibali fuiſſe promptas, vt priùs fuerant. Et ſuſpitionem ortam ex vtriuſque ſecretis colloquijs. Vt ne addam æmulationem artis imperatoriæ, quam Pœno maiorem eſſe quàm ſibi, liuebat rex. Sed quicquid hîc fuit artificij nulla fraude notabile fuit; ſed ex omni parte laudabile: & ipſum non Senatus, ſed Scipionis; neque à Scipione captatum, ſed Scipioni oblatum, & à porrigente occaſione acceptum. Illud quoque conſtat, & Scipionem minorem, atq; ætate M. Tullij Cn. Octauium ab Senatu miſſum ad gentes explorãdas, regumque animos perſpiciẽdos. Vtramque legationem laudo; & aio prudenter factum, licet alia fortaſſe ſpecie. Olim quidem non modò Prætorem, aut Conſulem, ſed priuatos etiam miſſos qui prouincias viſerent, & quid de cuiuſque obſequio videretur, referrent, Thraſea teſtis eſt. Non etiam ſum neſcius Sex. Antiſtium & M. Retium legatos Romanos Maſſiliam vnà cum legatis Maſſilienſibus ad res inſpiciendas miſſos. Scio & illud, Senatum Atilio negotium dediſſe, vt Ætolis aduerſus Philippum auxilia duceret, re vt res Macedonicas exploraret. Neque item inficias eo, ab Senatu miſſos ſpeculatores in Macedoniam, vt certò ſciret, an fama didita de excurſionibus Getarum in prouincias Romanas, audita morte Cæſaris, eſſet vera. Sed in his agnoſco effectus prudentiæ, non calliditatis. Quia aliud eſt,

Zonar. li. 2.

Plutarch. in Apoph.
Cic. Philip. 9.

Tacit. li. 15. Ann.
Liu. lib. 17. 443.
Pauſan. li. 7.
Appian. ciu. 3.
Liu. lib. 32.

ſagaciter ſcrutari atque æſtimare animum cuiuſpiam ſuper communi negotio, Aliud, proditoriè aliena rimari, nempe vultu amico, animo inimico, ſpecie legationis, cùm illa reuera eſſet ſpeculatio. Neque alia gens in priſca Repub. plus odit, contempſitue fraudes, quàm hæc ipſa Scipionũ. Superior quidem Africanus ſpeculatores Annibalis deprehenſos in caſtris, & ad ſe perductos non ſupplicio affecit; ſed vt Æthiops ille, circa omnes manipulos deducendos curauit; interrogatoſque an ſatis ea conſideraſſent quæ ſpeculari iuſſi erant, prandio dato ipſis, iumentiſque eorum, incolumes dimiſit. Hoc tam pleno fiduciæ ſpiritu Xerxes fuiſſe perhibetur, & Ioannes Ziſmiſces, alijque. Punica ingenia magis decent fraudulentæ hæ legationes, quàm Romana. Nihil Iugurthæ conuenientius, neque Aſpari Numidæ, quàm hunc ab illo mitti oratorem ad Bocchum ſubdolè ſpeculatum conſilia eius.

Val. Max. lib. 3. cap. 7. & Appian. in Liby.

Plutarch. in Apoph.

Zonar. in Ioanne Ziniſce.

Salluſt. Iug.

CAPVT XLII.

Tempore belli legationes hoſtium aut omnino excluduntur; aut excipiuntur extra vrbem & caſtra; aut, ſi nihil viſuræ ſunt niſi ipſis terrificum, vtrobique admittuntur.

CVm geminus Ianus apertus eſt, aduentantibus hoſtium legatis obuiàm mittitur qui denunciet ne propiùs accedant. Cauſæ qualecunque velamentum ſatis eſt. Priſco inſtituto talibus Senatus dari ſolitus extra vrbem, nempe ad ædem Bellonæ. Sæpeque ingentibus ſtudijs in Senatu agitatum, recipienda, an excludenda legatio eſſet, vt in ipſo exordio belli Punici. Nam Scipionis Naſicæ, & M. Catonis diſſidentes ſententiæ auditæ ſunt. Scipio cenſebat admittendam legationem, & pacem Carthaginienſi-

Liu. lib. 10.

bus concedendam. Contra Cato neque admittendos legatos, neque quicquam de priſtinis conditionibus detrahendum. Nec Meleſippus legatus Lacedæmoniorum Athenas miſſus in vrbem eſt admiſſus, neq; ei Senat⁹ dat⁹, quòd ab hoſte armato miſſus erat. Ergo is, autore Pericle, dimiſſus, extra fines agri Attici eo die manere eſt iuſſus; additis inſuper ei cuſtodibus, ne cum quiquam homine loquitaretur. Pari denunciatione Senatus dimiſit legatos Ætolorum, & Iugurthæ, Coriolanus Romanos, Narſes Regnarem Ducem Gothorum. Ego legatis hoſtium autor ſum, propter eas cauſas quas ſupra memoraui, vt caduceatorem præmittant ad limites hoſtilis, tentamentum omnis rei. Qui ipſus forſitan à proximo Præfecto mittetur ad principem aut Senatum. Id quod in tabellario Sauromata ab ſe vſurpatum eſſe Plinius Traiano ſcripſit. *Vt*, inquit, *poſſis ex Lycorna, & ex regis epiſtolis pariter cognoſcere quæ fortaſſe pariter ſcire deberes.* Nimirum, is tabellarius ab ea legatione, quæ à Boſphoro veniebat, præmiſſus fuerat. Sic præſcribetur legato forma inceſſus & aduentus. Priſco item more Romano, vt dixi, exterarũ ac ſuſpectarum gentiũ legationibus dabatur viæ ductor, nẽpe centurio, aut alius quiſpiam, qui eas è conlimitijs Romam vſque perduceret. Legati regis Bocchi, permiſſu Marij, Romam profecti ſunt, duce Cn. Octauio Rufone, qui quæſtor frumentum in Africam portauerat. Sed quia legati magnorum imperiorum tam fidẽter pergunt, vt etiam inexploratò alienas ditiones ineant, ita ſcilicet, excluduntur, vt dum hoc agitur, aliud prætexatur, atque excluſioni honeſtior cauſa prætendatur. Adeſt huius doli architecto Annibal. Is cùm Saguntum obſideret, *& ab Roma veniſſe legatos nunciatum eſſet*, ipſis obuiam ad mare miſit qui dicerent, Nec tutò eos aditurosinter tot tam effrænatarum gentium arma; nec ſibi in tanto diſcrimine rerum operæ eſſe legationes audire. Hoc ipſum Zonaras memorat pau

Thucyd. lib. 2.
Liu. lib. 27.
Salluſt. in Iug.
Plutarch. in Coriol.
Agath. lib. 2.
Plin. lib. 10. epp. ep. 13.
Tacit. lib. 15.
Salluſt. Iug.
Liu. lib. 21.
Zonar. lib. 2.

lò aliter atque Liuius. Nam Annibalem ait ſubmiſiſſe quoſdam Hiſpanos, qui tanquam metuentes pericula legatorum, quaſique fidem in populum Rom. teſtarentur, legatis nunciarent, Imperatorem abeſſe à caſtris, & quo ierit, neſciri. Ipſos monitu ſuo prouidenter facturos, ſi

dum detur, relegant Pontum; Sil. Ital. lib. 2.

ne per caſtra vulgato rumore de ipſorum aduentu, ſeditioſis militum vocibus, poſthabito iure gentium, flagitentur ad cædem. Specta Punicum aſtum. Iniuriæ inſignitæ ille vulpio beneficij gratiam quæſijt; & facto pluſquam hoſtili amicitiæ nomen indidit. Hac quidem occaſione Hanno auidè arrepta, in Senatu Carthaginienſe, acerbè in Annibalem inuectus eſt. *Legatos*, inquit, *ab ſocijs & pro ſocijs venientes bonus imperator veſter in caſtra non admiſit. Ius gentium ſuſtulit. Hi tamen vnde ne hoſtium quidem legati arcentur, pulſi ad vos veniunt. Res ex fœdere repetunt.* Similis propemodum fuit iniuria Gracchi Cluilij Æquorum imperatoris facta legatis Romanis, qui cùm ab Roma veniſſent queſtum iniurias, & ex fœdere res repetitum, eos Cluilius quæ mandata habeant ab Senatu Romano, ad quercum iubet dicere: ſe interim alia acturum. Quòd ſi, vt fit, hoſtium legatio admittitur, locus quoque diſpici debet. Nam ſi is, qui legatione aditur, in caſtris eſt, habetque copias hominum opinione minores & inualidiores, certe vbiuis potiùs quàm in caſtris legatio eſt admittenda. Et verò legati Bœotorum, qui tunc eſſent hoſtes Romanorum, à T. Quintio in caſtra non ſunt admiſſi. Conſtantius legatum Magnentij, metu ſpeculationis, caſtris excluſit. Equidem hoſtium legatum ne videre quidem velim formam caſtrorum; ne ſi, more priſco, ſint ſemirotunda, exiguitatem copiarum; ſi quadrata magnitudinem; ſi forma triangulari, numeroſum exercitum eſſe coniectet. Atque adeò ne in vrbe quidem excipi debet, ſi in vrbe metuendum eſt ne turbamen-

Liu. lib. 11.

Liu. lib. 3.

Liu. lib. 23. 120.

Zonar. in Conſtantino Conſtante & Conſtantio.

ta excitentur. Quæ cautio etiam tum Romæ ignorata fuit, cùm libertas nondum coalita, legatione Tarquinij prope extincta eſt. Eadem eſt ratio obſidentium & obſeſſorum. Hos enim illi ſæpe euertunt, dum velant ſpeculationem ſanctitate legationis. Ideo Ezechias legatum Sennacherib. Hieroſolyma excluſit. Et Gothi, qui præſidio Vrbinum tenebant, oratores Beliſarij non admiſerunt in vrbem, propere illhinc faceſſere iuſſos. Contra, ſi is qui aditur, ingenti ſpecie magni validique exercitus exteros obſtupefacere poteſt, non modò non excludenda legatio eſt, ſed potiùs cupide intromittenda; dandaque opera vt arbitratu ſuo ſingula perluſtret; vt de deprehenſis ſpeculatoribus ſupra dixi. Legati Scytharum viginti per caſtra Alexandri equis vecti, & admiſſi in tabernaculum, & conſidere iuſſi. Sic Conſtantinum Romanum legatum Pirozes, ac Tullius Menophilus legatos Carporum in caſtris excepit. Enimuero tunc ferrea illa ſpecies ſocijs amica, ſuſpectis, aut hoſtibus minax rectè oſtentatur, verus vtique magnorum imperiorum paratus. Cyrus cùm Indorum legati admiſſi ſunt ad Cyaxarem, ipſus quidem vili fuit amictu; ſed in tali veſte promp ſit verum cultum ſummæ fortunæ, nempe inſtructum exercitum, cuius robur regi bellatori fuit pro ornamento. *Neque enim veſtium nitor*, inquit Vegetius, *vel auri, argenti, gemmarumque copiæ hoſtes aut ad reuerentiam noſtram, aut ad gratiam inclinant; ſed ſolo terrore ſubiguntur armorum.* Huc pertinent illa Senecæ; *Scilicet minùs beatè*, inquit, *viuebat Dictator noſter, qui Samnitium legatos audijt, cùm viliſſimum cibum in foco ipſe manu ſua verſaret.* Iam vide Romanos Conſules qui Vticæ erant, quomodo legationem Carthaginienſium admiſerint. Vterque Conſul conſedit in ſublimi tribunali, adſtantibus vtrinque ducibus ac tribunis, & agminibus legionum, fulgentibus aquilis, fixiſque vbique ſignis; vt hinc legati numerum copiarum prope innumerum agnoſcerent.

Lib. 4. reg. cap. 18.
Procop. lib. 2. belli Goth.
Q. Curt. lib.
Priſc. ecl. legat.
Xenoph. lib. 2. Cyrop.
Veget. lib. 1. cap. 13.
Sen. de conſolat. ad Albin. cap. 10.
Appian. lib. 37.

Iuſſu

Iuſſu Conſulum tuba ſilentium indictum. Tum præco, Accedant legati Carthaginienſes. Illi per ordines armatorum tranſeuntes peruenerunt ad locum tribunalis. Locus fuit tenſis funibus circumdatus. Ibi legati iuſſi ſunt à C O S S. expromere quid petentes veniſſent. Clearchus Græci dux exercitus, copijs inſtructis, legatos hoſtis ad ſe intromitti iubet. Aurelianus imperator vt legatos Iuthungorum adueniſſe audiuit, dixit ſe ipſis operam daturum ſuper ijs ad quæ venerant. Itaque milites inſtruxit veluti ad pugnam, vt eo aſpectu excitaretur in aduenis Romani roboris admiratio. Ipſe in ſublime ſolium excelſus aſcendit imperiali paludamento circum amictus. Banadares legatus Choſrois à Beliſario admiſſus eſt ad hunc modum; Subitaneum tugurium ex craſſis aſſeribus compactum eſt, (padilionem vocant) ſub quo ipſe ab omnibus ſeductior ſedit. Alterum latus tugurij claudebant ordines Thracum, Illyriorum, Gothorum. Alterum Eruli, Vandili, ac Maruſij, qui lata camporum obtinebant. Anno huius ſæculi M. D. LXXVI. apud Andreouiam (oppidum eſt Poloniæ) conuentus equeſtris ordinis habitus eſt, quò multi mortales cõuenerant. Ibi Roſemberghius illuſtris eques Bohemus à Maximiliano Cæſare legatus ad Polonos per media caſtra, interque equitum confertiſſimas turmas, exceptus, perductuſque eſt ad locum (ipſis eſt Kola) vbi Senatus frequens conſederat. Prudentiſſima gens eò ſpectabat, vt legatum is intuitus aduerteret; atque is omnem rem, vt erat, apud Cæſarem expromeret. Denique vtij vanitatis manifeſti eſſent, qui fidenter firmarant, Stephanum Battori ab ea regni parte, quæ impunè contemni poſſet, deſignatum eſſe regem Poloniæ. Cùm tamen longè aliud Roſemberghio compertum. Illud quippe robur nobilitatis Polonicæ, cuius primo fluctuantibus votis Battori oblatus, dein ingenti conſenſu rex renunciatus eſt, haud dubiè ſpem Cæſaris deprimebat. Ergo

Xenoph. de exped. Cy. 2. 219.

In ecl. legat.

legatis hoſtium, gentiumue ſuſpectarum legiones armatæ catè oſtentantur, verum, idemque vnicum præſidium fortunæ principalis. Poſtremò hìc iteratò moneo, non cuiuſquam eſſe admittere legationem, niſi vnius illius ad quem miſſa eſt. Enimuero non deſunt vulpiones, vt ſupra dixi, vel ex ipſa amicitia principis, qui ſubdolè expiſcantur, atque adeò quandoque impudenter audēt quærere ex legatis, Quidnam tam laborioſa & longinqua legatione ſe aſſequi poſſe putent. Talis fuit proteruia, ineptia, impudentia Edeconis, & Oreſtis, & Scottæ, qui erant mancipia Attilæ. Iſti à legatis Romanis ſciſcitari non ſunt veriti, cuius rei gratia eam legationem ſuſcepiſſent. Verùm legati inconcinnam hanc & planè barbaram interrogationem prompto reſponſo confutarunt. Ab imperatore, inquiunt, habemus in mādatis ne cuiquam hoc enunciemus niſi vni Attilæ. Id quod multa conſtantia iterarunt.

Priſc. ecl. legat. 37. & 38.

CAPVT XLIII.

Monentur illi qui legatione adeuntur, vt rem peragant ex dignitate; atque vt caueant externa ſcelera.

SI legati ſicuti amici benignè accipiuntur, veniuntque in faciem pacis, accuratè ſunt admittendi, hoc eſt, non opera & miniſterio cuiuſlibet, nec temerè, ſed cæteris curis ad tempus dilatis, rato tempore, omnium oculis animiſque in id vnum intentis. Denique non aliò mentes, non aliò ſenſus diuidendi, vt res vtique ſeria agatur ex dignitate. Cæterùm ad illius maieſtatem qui aditur, maximè pertinet legatum ita ſeſe componere in modeſtiam & venerationem, vt non contemptor appareat, ſed vtique rei ſeriæ curator, & illius cultor quicum ipſi res eſt. Hoc moneo ob illud quod ſingulari, opinor, exemplo continetur, cuius non aliud ſimile facilè repe-

rias. *Chalcidenſes*, inquit Liuius, *legati in Senatum voca-*
ti. Horum legatio ipſo introitu ob id quod Micion princeps *Liu. lib. 33. 114.*
eorum pedibus captus lectica eſt introlatus, vltimæ neceſſi-
tatis exempli viſa res; in qua ita affecto excuſatio valetu-
dinis aut ne ipſi quidem petenda viſa foret, aut data peten-
ti non eſſet. Hoc dicit Liuius, prorſus rem inauditam
fuiſſe vt quiſquam legatus lectica introferretur in
conſpectum ordinis ampliſſimi. Sed hoc fuiſſe faci-
nus ſingulare, & inuentum illius, cui omnia parent,
neceſſitatis. Nempe cùm iam is legatus fuiſſet intro-
latus. Enimuero tali re quædam facta tolerantur, quæ
vt fierent, nullus mortaliũ permiſiſſet. Simile exem-
plum extat apud M. Tullium, non quidem in perſo-
na vllius legati, ſed cuiuſdam ruſtici Romani. Is enim
debilis factus rem in ſomnis viſam de amicorum ſen-
tentia ſenatui enarrauit lecticula in curiam dela- *Cic. lib. 1. de diuinat.*
tus. Apud Perſas legati inducebantur à Chiliarcho. *Prob. in Conone.*
Apud noſtros in libertate, ac paulò poſt libertatem
per maiores magiſtratus, aut per eos, qui ipſi è lega- *Ælian. lib. 1. var. hiſt.*
tione feliciter obita redierãt. Patrem Trogi Pompeij
ſub Caio Cæſare militaſſe, epiſtolarumque & lega- *Liu. lib. 22. 71.*
tionum ſimul & annuli curam habuiſſe, memorat Iu-
ſtinus. Cæterùm dabatur regum legationibus vt eæ *Ioſeph. Antiq. lib. 14. cap. 6.*
prius audirentur, quàm illæ quæ mittebantur à Re-
buſpublicis & ciuitatibus Græciæ. Regum legatio- *Iuſtin. lib. 43.*
nes inducebantur à maioribus magiſtratibus, nempe
à Conſulibus & Prætoribus. At Rerumpublicarum *Caſſiod. Var. 10 ep. 33.*
ab aliquo Tribunorum plebis. Quo exemplo legati
Rhodiorum inducti ſunt ab Antonio, qui tunc eum *Liu. lib. 25. 231.*
magiſtratum gerebat. Hinc puto deriuatum eum
morem qui apud noſtros vſitatus, vt illuſtres Helue- *Polyb. ecl. legat. 264.*
tiorum Rhætorumque legationes, nempe miſſæ ad
renouanda, & iureiurando ſancienda cum regibus
fœdera, non ab nobilitate, id eſt, equeſtri ordine, ſed
à magiſtratu, iudicibuſque Pariſienſibus excipiantur.
Vbique ferè obſeruatur, vt amicorum & ſociorum *Polyb. ecl. legat. 51. & 215.*
legationes priùs inducantur, deinde illorum qui fue-

runt hoſtes. Sub citerioribus principibus inducere, legationes videtur fuiſſe munus magiſtri officiorum. Interdum Magiſtri epiſtolarum ; quem ciuitatium legationes, conſultationes & preces tractaſſe, obſeruauit autor eius libri cui titulus Notitia vtriuſque imperij. Hodie hoſce donatores aulici conſiſtorij video vocari Magiſtros, ſeu Præfectos cærimonijs. Certè munus eſt nõ tã põpatici hominis, quàm illius, cuiꝰ defæcatos mores legati cũ perſpexerint, fateãtur nõniſi per talẽ adiri principẽ debuiſſe. Apud Græcos fuit is cui nomẽ περιλικτωρ, ad cuius quoq; curã pertinuit prouidere vbinam legati diſceptẽt. Enimuero tũc nõ tã flictus armorum exaudiri, quàm promi debẽt principis, & aulæ decora, documẽta magnitudinis & maieſtatis. Quarũ ſectatrix eſt reuerẽtia imperij. Ergo omnia cõponuntur in ſpeciẽ auguſtã. Locus ipſe, omnis ille aulicus apparatus, maiores magiſtratus, interpretes, ſtipatores corporis, inſignia ſummæ fortunæ, nobilis illa frequentia adhibetur veluti arbitra honoraria ingentis negotij, quod agitur in propatulo, vt liquet ex ijs quæ paulò ante memoraui exemplis. Illud moneo, quanquam inter aulæ decora collocaui ſatellitium, tamen grauioribus ſæculis, quale hoc eſt, eſſe potiùs præſidium, ac munimen aduerſus furentem impietatem. Itaque ſi legatio miſſa eſt ab gente inhoſpita, aut ab hoſtibus, non ſolùm princeps prætoriano milite ſtipatus eſſe debet, ſed inſuper ita excutiendus eſt legatus, vt non ei telum relinquatur. Quidam enim, quibus nihil eſt perditius, aut eò mittuntur vt patrent ingens ac memorabile ſcelus; aut ſublata ſpe impetrandi ea quæ petunt, ad mortem adiguntur priùs illius quem adeunt, dein ſuam. Regnares ille lymphata, vt apparuit, mente, ab Narſete dimiſſus, vbi in collem euaſit, miſſilem ſagittam direxit in Narſeten, ictu tamen inrito. Vtinam exempla omnibus cothurnis grauiora non produxiſſet hæc ætas, cuius ſceleribus,

Menand. ecl. legat.

Agat. lib. 2.

—non inuenit ipſa *Iuuen.ſat.*
Nomen & à nullo poſuit natura metallo. *13.*
Vtinam propter talem feritatem nuper non eſſet & quidem iteratò perfectum
Vt capitis ſummi præclarum inſigne cruentum *Lucret. li. 5.*
Sub pedibus vulgi magnum lugeret honorem.
Narua ille Numida, vt ab ſe ſegregaret omnem ſuſpitionem, quod flagrante vbique bello Africano, cum centum equitibus venerat ad Amilcarem, equũ atque haſtam tradidit comitibus; atque exarmatus certo gradu perrexit ad Pœnum. In Senatum nemo ferro accinctus inducebatur. Et ipſe nullam video cauſam, quapropter barbarus homo, quamlibet nomine legationis honeſtatus, fideique etiam incognitæ, cum telo admitti debeat ad principem. Neque, vt ſupra monui, legati mittuntur ad pugnam ſed ad colloquium. Non admitto iſta; Arma illi ſunt ornamento magis quàm præſidio; eaque is aptat non tam ad vulnerandum, quàm ad terrendum. Quia princeps non eo contentus eſſe debet vt quis nolit ei nocere, ſed, hercule, vt ne poſſit. Itaque Sarodius dux Turcorum legatos ſe nõ admiſſurum ait, priuſquàm arma ponant. cui rei illi paruerunt. Audio legatos eos, qui Turcam adeunt, ad conſpectum principis haud aliter duci, quàm captiuos; quorum vtrinque manus tenentur, ac preſſantur ab iјs qui legato claudunt vtrumque latus. Id ipſum fere vſurpatur in Polonia. Credo & alibi fieri. Sic ſpecie honoris attenta cuſtodia impediuntur externa ſcelera. Ne illud quidem non dico, vnà cum legato, ſaltem cùm is primò intromittitur ad ſacros ſermones, induci omnem eius comitatum, ſi non aliud res ſuadet; nempe ob aliquam ſingularem cauſam, cuiuſmodi fuit illa Iuſtini. Quippe is voluit legatum, cui aderant circiter quadraginta comites, ſolum admitti ad ſuos ſermones. Nam hoc ſic putabat, fore vt legatus eam conditionem recuſaret: quandoquidem moris fuerat, vt

Polyb. lib. 1.
Menand. ecl. legat. 88.
Menand. ecl. legat. 84.

legati ad Iuſtinianum ingrederentur cum omnibus ſuis. Neque hunc legatum paſſurum hunc ſiue morem, ſiue prærogatiuam ſibi detrahi. Cæterùm priſcorum legationes non ſolùm adſtantibus primoribus exceptæ ſunt & auditæ, verùm etiam ſtudioſè accerſitis ijs ornamentis, quæ ſunt documenta ſummæ fortunæ, opumque & potentiæ ei adnexæ. Legati qui adibant Alexandrum priuſquam penetrarent ad tabernaculum vbi ſedebat rex, conſpiciebant quingentos Perſas clauatores, veſtibus diſcolorijs. Poſt hos mille ſagittarios ſagatos, quibus antiſtabant quingenti Macedones ſcutis argenteis. In meditullio tabernaculi ſtatuta erat aurea ſella; Qua ſedens rex ius dicere, & legationes audire ſolitus erat. Extra id tabernaculum, in orbem diſpoſitum erat ſtratorum agmen elephantorũ, cum mille Macedonibus veſtitu patrio. Hos ſequebantur Perſarum millia decem, & quingenti purpurati, quibus Alexander eum ornatũ indulſerat. Nonnunquã huic ipſi Alexãdro in hortis aureum ſolium ſtatutum fuit, & lecti fulti pedibus argenteis. Ibi ſedens cum amicis reſponſa dabat legationibus. Reges Perſarum, cùm ad eos legationes admittebantur, ſedebant aureo ſolio, quod ſuſtinebant columellæ quatuor aureæ, & gemmatæ. Quandoque ſub inclyta illa aurea vite cum vuis, quarum acini erant ſmaragdi, carbunculi Indici, aliæq; gemmæ pretij enormis. Interdum opes aſtutè reconduntur, ne legati diuite intuitu inlecti talia ſuis renuncient, quibus illi accingãtur ad prædam. Ea re dicitur Aripertus rex Longobardorum coram legatis ſimulaſſe paupertatem; ac nulla pretioſa veſte indui, nulliſque ſubductis pellibus vti ſolitus. Et quò minus externæ gentes Italiæ inſidiarentur, non generoſa vina, non eis præbuiſſe lautitias. Credo, haud immemor priſcorum Gallorum, quos vini dulcedo ciuerat in Italiam.

Athen. l. 12. *Athen. li. 12.* *Paul. Diac. lib. 4. hiſt. Long.*

In dubijs tutum eſt inopem ſimulare tyranno.

Adnotata eſt frugalitas Attilæ, qui in ſummo cæterarum rerum ſplendore, coram legatis vſus eſt ſupellectile lignea, nempe lancibus & poculis; cùm alijs aurea & argentea miniſtraretur. Credo vt militaris frugalitatis & moderationis fidẽ faceret. Veſte item vſus eſt tenui, quæque nihil à cæteris, niſi ſolo nitore differret. Non item fuit ei gladius cæteris ornatior; ac ne quidem ſubligacula calceorum barbaricum in morem; poſtremò nec frænum auro & lapillorum incruſtatione ditatum, ſicuti Scythis mos eſt. Paupertate, hoc eſt, non ſimulata, ſed vera, eademque generoſa, & in publicum vtili non minùs quàm bellica laude quondam tuta fuit gens Heluetiorum; quorum virtutem vereor ne aduentitiæ opes infringant. Nam quantum res auctatur, animi minuuntur. In illuſtribus hiſce legatorum admiſſionibus multa principes vſurpant non ſolùm tuendæ dignitati, ſed & oſtentandis animi dotibus, ſcientia, eloquentia, memoria. Huc pertinuit admirabilis ille aſtus Iuliani, quo is pro tribunali Germanorum legatos rapuit in admirationem ſui. Quæ ſanè principibus non ſolùm licere debent, ſed & honeſtiſſima ſunt, dummodo ſint ad virtutem, decuſque. Talibus locis præcipuè cauendum ne vlla labe aſpergatur negotium tanti momenti. Quid ſibi voluit illa inceſti & parricidi principis digna mater, quæ *legatis Armeniorum cauſam gentis apud filium orantibus, eſcendere ſuggeſtum Imperatoris, & præſidere ſimul parabat, niſi admonitu Senecæ obuiam itum dedecori eſſet?* Ille ipſe cùm parricidium excuſaret, *magno ſuo labore perpetratum firmat, ne irrumperet Curiam; ne regibus externis reſponſa daret.* Nullus hîc eſt locus curioſitati fœminarum. Nullæ hîc editiones, nulla ſpectacula. Tum maximè acceſſendum, atque intendendum quicquid eſt virium ſapientiæ virilis; quia tum maximè agitur negotium publicum.

Priſc. ecl. legat. 32.

Zoſim. li. 3.

Tacit. li. 13. Ann.

Tacit. li. 14. Ann.

CAPVT XLIV.

Quando non permittatur legatis vt legationem edant in publico.

QVI legatione adeuntur videntur monendi ne eam patiantur edi publicè, cùm ab illis venit quorum autoritas & magnitudo promiſſorum aut militem, aut circumfuſam multitudinem quatere poſſunt. Hæc fuit ſapiens cautio, licet infelix, conſiliariorum Ezechiæ. Quippe iſti, audita minaci legatione Regis Aſſyriorum, qui Iudæum Hieroſolymis obſidebat, nequicquam egerunt cum Rabſace legato vt Syriacè loqueretur, non Iudaicè; ne plebs (nam plena erant multitudine mœnia) quæ dicebantur, intelligeret. Sed is quantum voce cōtendere potuit, clamauit, Audite verbum regis magni, regis Aſſyrij. Sic dicit rex, *Ne imponat vobis Ezechias, quoniam non poterit vos aſſerere de manu mea.* Hoc ipſo conſilio Leotychidas præfectus claſſis Græcorum in nauem præconem impoſuit vaſtitate vocis inſignem; vt ſupra Eurybatem dixi fuiſſe vocaliſſimum. Huic mandauit, vt circumuectus oras hoſtiles ſubinde intonaret, Ad Platæas debellatum: Perſas ibi profligatos; claſſibus Græcorum omnia teneri; taliaque, quorum ſcopus ſequuta defectio Græcorum. Sic Gobrias à Cyro iuſſus eſt propinquare muris Babylonis ad prouocandum regem Aſſyriorum. Qui ſi elici ad pugnâm non poſſet ciues hortaretur vt ſe ſuaque omnia victori permitterent. Periculo deditionis tentati ſunt Aquileiēſes propter legationem Maximini, qua is veniam præteritorum, atque otia oppidanis pollicebatur, ſi arma ponerent, exauditam à multitudine, quæ muros turreſque inſederat. Ibi Criſpinus propugnator vrbis veritus ne fallacibus tyrāni promiſſis vulgus

Lib. 4. Reg. cap. 18.

Diodor. Sic. lib. 11. bibl.

Xenoph. l. 2. Cyrop.

Herodian. lib. 8.

vulgus ſubrueretur, vniuerſos hortatus eſt vt libertatem, ſeque, patriamque armis tegerent. Vt ſapienter Criſpinus, ita inconſultè Magnentius, qui paſſus eſt Philippum legatum Conſtantis, ſpectante, atque audiente exercitu, eam orationem habere, quæ eum pene perdidit. Fruſtraque ſecum poſtea agitauit an Philippus læſo iure gentium retinendus eſſet. Id enim cui rei? Num actum vt non actum retractari potuit? Hoc ei prouidendum fuit, ne legatio ederetur in publico. Ne Beliſarium quidem excuſo, qui legatos Vitigis admiſit, audiuitque coram primoribus Senatus. Hos enim cùm iam labare Gotho compertum eſſet, ea legatione id agebat vt acriùs concuterentur. Neque hoc vlcus ſanat reſponſum quantuis datum ex dignitate. Enimuero in ciuitate in qua mores pollent, & in exercitu in quo vigent diſciplina, & religio ſacramenti, hoc inſtitutum conſtantiſſimè ſeruatur, vt publicè nullius vox exaudiatur niſi magiſtratus, aut imperatoris. *Negauere milites*, inquit Velleius, *ſine imperatore ſuo vlla ſe audituros mandata*. Non puto hodie reperiri legatos tanta confidentia, vt non admiſſi à principe, aut ab Senatu ſtudia plebis tentare audeant. Cuiuſmodi fuit legatio quædam cuius meminit Diodorus Siculus. Si tamen in ſtatu populari legatus exiſtimat ſe ea multitudini perſuadere poſſe ad quæ venit, quæ primorum malignitas & auaritia deneganda & impugnanda ſuſcepit, ſagaciter ea occaſio captari debet imitatione C. Popilij, & Cn. Octauij legatorum Romanorum. Iſti enim in Ætolia non apud proceres, ſed apud multitudinem legationem ediderunt. Hoc ipſum ego aliquando in Rhætia vſurpaui aduerſus paucos qui ibi Rempub. quæſtui habebant, & ludificatui. Semper cauendum, ne quos legatus in publico non potuit, hos in priuato & clam aut adulatione pulſet, aut muneribus flectat. Talis doli præcautor fuit Iugurtha, cùm legatis

Zoſim. lib. 2.

Procop. li. 1. belli Goth.

Paterc. li. 2.

Diodor. Sic. lib. 2. bibl.

Polyb. ecl. legat. 133.

Romanis ne appellandi quidem Adherbalis copiam fecit.

CAPVT XLV.

Monetur legatus, vt cùm res poſcit, prudenti moderatione magis, quàm intempeſtiua dignitate cenſeri velit.

DE varijs generibus admiſſionum, deque earum momento quæ neceſſaria viſa ſunt, tradidi. Quæ etſi multa ſunt, tamen pauciora fateor quàm vellent ij qui ſpeciem & inania rerum magis quàm res admirantur; qui, inquam, rerum fulgori, ne eo præſtringantur & hebetentur, obtendunt fumum inanium. Iſtis autor ſum vt ea legant, ad quæ Magiſtri cæremoniarum, aut reges, quos vocant, armorum cura progreſſi ſunt. Me quidem talium piget, tædetque, vel ea gratia quod in ea non alij curioſiùs inquirunt, quàm iſti qui ignauia torpent, quorumq; animos improba Siren, vt ille ait, occupauit. Etiam atque etiam circumſpice ſi quid ſit apud iſtos, quod meritò ſuſpicias. Nihil aduertes, ac ne veſtigium quidem vllum alicuius animoſæ & experrectæ virtutis, quæ circa alta erigatur; quærat luctantia, atque hæc eluctetur. Iſti tamen præ illis ipſis, quos eximia virtus eique adnexa fortuna, locauit in ſublimi apice rerum, cuiuſmodi ſunt magnorum imperiorum formatores, ac validiſſimarum gentium regnatores, ſunt ſpiritibus intolerabilibus. Ipſorum quoque legati, nihil efflant niſi glorias, nihil loquuntur niſi grande, ac non ferè aliud obſeruant quàm quatenus, quamque affluenter ſibi obuiam proceſſum ſit, à quo, à quo non: An & numero, & longo comitum ſpectaculo emineant; quo honore verborum, quàm apparatè excipiãtur; quis ingreſſibus, quis egreſſibus adhæreſcat; capite tecto, an intecto dicere; an ſtare iuſſi ſint, an

conſidere; an ſibi loco ceſſum ab hoc illoue ſit. Qui ſanè honores ſi ſunt obuij, & expoſiti, modeſte ſunt aduertendi, non palam aſpiciendi; grato animo ſunt agnoſcendi, non impudenter captandi. Deniq; oculos legati laudo pudentes, odi inanium exactores, & ad ſingula retortos. Volo appareat, non ipſum venditare ſe auræ vulgi, ſed agere negotium quod legationi cauſam dedit, quod maximè cõmendant mores ingenui. Agis Lacedæmonius legatus Philippũ adijſſe dicitur nullis proſequentibus. Id cùm rex miraretur, ſicuti is ſine vllo decore veniret, Veni, inquit, vnus ad vnum; Illud ſignans, comitatu non promoueri negotia; neque ſpectandum quantum hominum legatus ducat, ſed quid afferat. Hanc modeſtiam quàm ſæpiſſimè ſibi indicunt prudentes legati, admonente eos præſenti ſtatu rerum. Neque enim ſemper reputandum quantus ſit, quantus non ſit is, cuius eſt legatio; & hinc modus honorum anxiè æſtimandus, morandaque ea ſpecies, aliaque quæ ſupra memorabam, ſi ea fieri compendi res poſcit. Dignitati quandoque in præſentia detrahitur id quod virtuti additur. Sed & hinc dignitas ipſa tandem & auctior fit & cumulatior. Tritum eſt illud quod memoratur de quodam ſene Athenienſe, *qui cùm ſpectatum ludos in theatrum veniſſet, eumq̃ nemo è ciuibus ſeſſum reciperet, ad Lacedæmoniorum legatos fortè peruenit. Qui hominis ætate moti, canos eius & annos aſſurgendi officio venerati ſunt, ſedemque ei inter ipſos honoratiſſimo loco dederunt. Quod vbi fieri populus aſpexit, maximo plauſu alienæ vrbis verecũdiam comprobauit.* Cæterùm de lata via quandoque decedendum, flectendumque quà compendio itur. Sæpe lenteſcendum, ne rigidi conflictu obſtantium frãgamur. Legati Carthaginienſes victo Annibale, miſſi ad Scipionem, cultũ, vultumq; ad præſentem fortunam compararunt; vt quos contundere nequiuerant, mollirent. Nam caduceo in prora poſito, atque vt fuerunt in conſpectu, ſublatis

Plutarch. in Lac. apoph.

Val. Max. lib. 4. cap. 5.

Appian. in Liby.

ad Scipionem manibus, terram genubus ſubmiſſi petierunt. L. Antonius Marci frater, etſi erat cum imperio, tamen vt vndique obſeſſus ac propemodũ victus, cum duobus lictoribus iuit ad Cæſarem à quo pari exemplo exceptus eſt. Peruersè admodum vidit, & iudicauit Valentinianus, qui cùm ingenti apparatu belli aduerſus Sauromatas profectus eſſet, atque illi graui metu perculſi per legatos pacẽ ab eo petijſſent, vbi eos ſordidatos aſpexit, an omnes Sauromatę tales eſſent, quæſiuit. Cùm ei reſponſum eſſet, optimum quemque, qui modò genere & forma præſtaret, ab eis in legationem mitti ſolitum, tunc ille, Tum peſſimè, inquit, agitur cum imperio Romano ſi tam barbara gens tãque deformis ſędibus ſuis excita nos vltro laceſſit. Itaque re noſtra publica ancipiti, aut de ſueta felicitate exturbata, prudenter legati componunt ſe ad modeſtiam, eumq; habitum, qui rebus, vt ſunt, cõuenientiſſimus eſt. Hæc ſane virtus cõſpectiſſima fuit in illis quorum exempla memorabo.

Appian. l. 5. belli ciu.

Niceph. lib. 11. cap. 33.

Scribit Liuius patres à M. Iunio Conſule conſultos cenſuiſſe nullum hoſpitale ius in legatis Rhodijs eſſe ſeruandum. Tunc ipſum Conſulem egreſſum eſſe curia. Ibi Rhodios dixiſſe ſe veniſſe gratulatum de victoria [Romanorum contra Perſen] purgatumque ciuitatis crimina; ac petijſſe vt ſibi Senatus daretur. *Ibi Conſul,* ait, *ſocijs & amicis & alia comiter atque hoſpitaliter præſtare Romanos, & ſenatũ dare cõſueſſe. Rhodios non ita meritos eo bello, vt amicorum ſociorumue numero habendi ſint. His auditis proſtrauerunt ſe omnes humi; Conſulemque & cunctos qui aderant, orantes ne noua falſaque crimina plus obeſſe Rhodijs æquum cenſerent, quàm antiqua merita, quorum ipſi teſtes eſſent. Extemplo veſte ſordida ſumpta domos principum cum precibus ac lachrymis circumibant, orantes vt priùs cognoſcerent cauſam quàm condemnarentur.* Idem factitaſſe legatos Carthaginienſium memorat idem Liuius; *Sub hæc dicta* [legati Carthaginienſium] *procubuerunt;*

Liu. lib. 35. 203.

Liu. lib. 32. 39.

ſtratique humi non ſibi magis miſericordiam,&c. Alibi *Liu.lib.34.*
quoque eiuſdem Liuij hæc ſunt verba, *Sacrificio ritè 150.*
perfecto, primi Alexandrini legati ab Ptolemæo & Cleo-
patra regibus vocati ſunt. Sordidati barba, & capillo pro-
miſſo, cum ramis oleæ ingreſſi Curiam procubuerunt; & ora-
tio quàm habitus fuit miſerabilior. Anatolius Dux
Orientis, quem Theodoſius Imperator legauit ad *Procop. lib.*
Vararanem regem Perſarum, vbi eò peruenit vbi à *1. belli Perſ.*
rege conſpici poterat, non præmiſit qui nuntiaret ad-
uentum ſuum, ſed ſolus, ac tacitus deſcendit ex equo,
pedeſque acceſſit ad eum. Quem rex conſpicatus, &
qui mortalis eſſet, ſciſcitatus, tanto honore obſtupe-
factus habito ſibi ab homine eximiæ claritudinis cō-
feſtim aliâ flexit. Hinc magnus ille regnator voluit
ſciri, quàm non agnoſceret hunc tantum ſui cultum.
Dein in regia legatum excepit multa humanitate;
pacemque Imperatori quibus conditionibus Anato-
lio placitum eſt, dedit. *Legati Syracuſani poſt ingentes Liu. lib. 16.*
contentiones cum Marcello conſule habitas, cum ab Senatu
dimitterentur, ad genua ſe eiuſdem Marcelli COS. proiece-
runt, obſecrantes vt quæ deplorandæ ac leuandæ calamita-
tis cauſa dixiſſent, veniam eis daret & in fidem, & in clien-
telam ſe vrbemque Syracuſas acciperet. Simile quiddam *Zonar. in*
memorat Zonaras de quodam principe Turcarum, *Alex.*
& Alexia Commene. Par prope fuit exitus alterius le- *Com.*
gationis, quæ ab Iuſtiniano ad Choſroem miſſa eſt.
Quamuis in hac adulatio & preces degeneres, cæte- *Procop. lib.*
raque infra Romanam dignitatem notentur vſurpa- *1. belli Perſ.*
ta. Æneas Euandro ſe ſupplicem adeſſe profitetur;

—me me ipſe meumque *Virgil. 8.*
Obieci caput, & ſupplex ad limina veni. *Æneid.*

Legati Saguntini in Senatu Romano

—miſerabile viſu
Affligunt proni ſqualentia corpora terræ. *Sil. Ital. lib. 1.*

Ipſi quoque legati Decebali ſupplices & manus poſt *Petr. Patr.*
terga vincti petierunt vt Decebalo liceret venire in *ecl. legat. 14.*
conſpectum Traiani. Poſtremò ipſe Decebalus tali

habitu hocipſum a Traiano petijt. Mebodes quoque legatus Perſarum Iuſtini reſponſo perculſus pronus procumbit humi. Cùm Iulianus ab rege Chamauum obſidem petijſſet filium eius, tunc verò ipſe rex multo fletu rogauit Iulianum ne quid quod fieri non poſſet, ipſi imperaretur.

Menand. ecl. legat. 84.
Eunap. ecl. legat. 84.

CAPVT XLVI.

De hac eadem re.

CVm legatio ſupplex eſt tempeſtiue promuntur eæ virtutes, quibus ira mitigatur, ferocia mitеſcit, duritia molleſcit. Rectè, inquam, premitur omnis oſtentatio, recteque conduntur inania titulorum & honorum, quæ omnem miſerationem eximunt illorum qui videntur ignorare quonam deiecti ſint; qualis fuit Macedo Perſes, qui victus & fractus, nihilominus victori auſus eſt ſic inſcribere literas, *Rex Perſes COS. Paulo.* Et verò ſi proſpera faſtus deuenuſtat, quid improſpera? Quapropter equidem non puto deprimi, aut fœdari legationem habitu ſupplici, ſed quæ res legationi cauſam dedit, eam inde promoueri. Qui contra ſentiunt, prauiſſimè ſentiunt. Audi legatos Rhodios in Senatu hæc dicentes; *Legatos eodem tempore & ad vos & ad Perſea de pace miſimus. Quod infelix conſilium furioſus, vt poſtea audiuimus, oratorem ſtultiſſimum fecit. Quem ſic locutum conſtat tanquam C. Popilius legatus Romanus, quem ad ſummouendos à bello Antiochum & Ptolemæum reges miſiſtis, loqueretur.* Sic ſe habent humana, vt in hoc itinere rerum tam priuatarum, quàm publicarum, per ardua ſit nitendum, per cœnoſa euadendum, inter anguſtias eluctandum, vt ad ea peruenias quæ per hæc parantur. Quæ fateor eſſe amara, aſpera, grauia. Sed hercule ſapientes hanc rebus permixtam neceſſitatem vt agnoſcunt, ita

Liu. lib. 35.
Liu. lib. 5.

quoque animi moderatione ſibi faciunt leuem. Tali quoque re ac tempore ipſæ literæ ſupplicem in modum ſcribi debent. Nam vbiuis locorum afflictis rebus verba ſupplicia conueniunt. Choſroës reputans ſuas res fractas, ſcribens Tiberio principi Romano, dempta inſolentia Perſica, profitetur ſe eſſe eius & filium & famulum. Non enim, inquit, propter ſortem earum rerum quæ acciderunt, aſpernaberis conueniens hoc vtriuſque noſtrum fortunæ vocabulum. Nimirùm Choſroes à Bedem rebelle regno pulſus confugit ad clementiam Romanam; Adijtque Probum Romanum ducem, cuius permiſſu ſcripſit Tiberio imperatori has, quas dico, literas. Earum quoque literarum inſcriptionem, quia inſignis eſt & aduertenda, hîc ſcribere viſum. Choſroes Perſarum Rex [vide vt non poſſit obliuiſci amiſſæ magnitudinis] illuſtriſſimo Romanorum regi, felici, pacifico, potenti, libertatis vindici, tyrannidis oſori, moderato, iuſto, eorum quos iniuria proſternit, ſeruatori, iniuriarum immemori Salutem. Auſim firmare vel hac ſola inſcriptione commotum imperatorem ſuppetias illi tuliſſe. Eadem propemodum Adraſtus profitetur apud Euripidem.

Theophyl. de legat. gent. ad Rom. cap. 3. 62.

† ---- ἐν μὲν αἰσχύναις ἔχω,
Πιτνῶν πρὸς οὖδας γόνυ σὸν ἀμπίσχειν χερὶ
Πολιὸς ἀνὴρ εὐδαιμονῶν ἴσως πάρος.
Ὅμως δ' ἀνάγκη συμφοραῖς εἴκειν ἐμαῖς.

Euripid. Suppl. actu 1. 280.

† me pudet humi procumbere & tuum amplecti genu, vt qui canus homo iam ſim, & olim forſan non minùs quàm tu beatus. tamen nobis neceſſe eſt in calamitatibus cedere.

Cæterùm ſupplices hæ legationes ab ijs obiri æquum eſt qui ſint ijs ad quos mittuntur, acceptiſſimi, ſicuti ſolent eſſe affines & propinqui, quales Plutarchus memorat fuiſſe illos, qui ab Senatu miſſi ſunt ad Coriolanum. Hæc taliaque exempla, & ſalubria, quæ in his latent, documenta pectori credita, & inde loco ac tempore prompta hodierni legati ad ſuam, eorumque quorum ſunt, vtilitatem conferre debent. Enimuero non tantùm legationis dignitas ſæpe talia vſurpauit, verùm etiam & ipſa regum diademata ad pe-

Plutarch. M. Coriol. 1.415.

des Proconſulum ſæpe ſunt poſita. Ipſique manibus precantibus, genubus nixi, vultu cernuo conſpecti ſunt. Talis acceſſit Tigranes ad Pompeium, Iugurtha ad Caſſium, & cum Caſſio ad Senatum, Deiotarus ad Ciceronem, Herodes ad Cæſarem, Tiridates ad Corbulonem, Decebalus, vt dixi, ad Traianum, alij ad alios. His addo regem Aſſyriorum, qui victus ab Achaab miſit ad eum legatos ſupplices ſacco indutos, reſti indita ceruici.

Zonar. in Achaab.

CAPVT XLVII.

Legatio edi debet lingua eius imperij cuius eſt.

QVæro qua lingua legatio edi debeat. Equidem puto illa quæ ijs vernacula eſt, quorum legatio eſt. Neque enim res vllis verbis magis propriè, magiſque ſignatè expreſſeris, quàm illis ipſis, quibus expreſſæ ſunt ab ijs quorum animos nudant. Hîc loquor de legationibus earum gentium, quibus eſt propria lingua. Nam incompta, egena, & contorta idiomata quarumdam prouinciarum tædet vocare linguas. Malo linguarum pediſſequas; vt ſingularum quoque dominos nō tam regnantes fateor, quàm multitudinem cauponantes. Vt multitudo ſtatuarum & imaginum fidem facit magnorum autorum, qui diuina mortales attigerunt, ita quoque decor & maieſtas ſermonis eſt argumentum rerum; Quæ neque ſatis amplæ, neque magnificæ creduntur inter eos, quorum lingua cùm non vigeat, eaque ſit balbuties veriùs quàm loquela, vtuntur priſca & inducta. Ratio in promptu eſt. Nulla lingua, vt nata eſt, opulentiam apta eſt. Locupletatur experimentis; ſplendeſcit vſu rerum; ingenijs nobilitatur. Ea re, vt alibi dixi, quibus gentibus non ſunt diuitiæ, neque ornamenta ſermonis, ex vix quicquā magnū animo agitaſſe, aut manu

geſſiſſe exiſtimantur. Nam ex vſu prudentia: ex hoc fonte optimi ſenſus; qui exprimi non poſſunt niſi verbis lectis. Hic delectus à primoribus minutatim diditur in vulgus; atque ita ſenſim contexitur nobilis ille ſermo gentium præclariſſimarum proprius. Hinc eſt quod inter validiſſima imperia non minor exoritur æmulatio linguæ quàm virtutis; tanquam qui è linguæ certamine victor redierit, huic ipſi quoque de virtute conceſſum ſit. Et verò ſi qualiſcunque ſermo eſt interpres rationis, aſſertor humanæ maieſtatis, conciliator coniugatorque gentium; ſi hac bulla teneritudo ætatis primùm nobilitatur, illuſtraturque quodam veluti radio diuinitatis; quid eſt admirabilius illo, cuius ordine delectaris, ſuauitate mulceris, vi accenderis, maieſtate præſtringeris? At perpaucis gentibus datum. Fateor. Quia perpaucæ quoque nituntur per ardua virtutis; pauciores in ſummum euadunt felicitatis. Ergo quibus numen vſque eò fauit, nō minùs hac ſe laude cenſeri ęquum cenſent, quàm virtute belligerandi, & aſſuetudine vincendi. Roma ſuam linguam ab nulla barbarie pollui paſſa eſt, non hercule magis quàm aut imperium minui, aut imperij inſignia dehoneſtari. Sic enim exiſtimabant, Apud quos lingua imperij vulgatur, cenſeri aſſumptos in conſortium imperij. Ipſis conterminis populis ius latinè loquendi non aliter datum, quàm pro ingenti munere, vt de Cumanis refert Liuius; *quibus petentibus permiſſum vt publicè Latinè loquerentur, & præconibus Latinè vendendi ius eſſet*. At in prouincijs lingua faſcium comes & interpres propria quadam maieſtate venerabilis ſanctaque fuit. Nempe cuius operà tegebantur arcana ſacrorum, oracula legum, munia imperatorum, præfectorum, præſidum. Ne multa, latinitati vſque eò comes ibat maieſtas, vt ſimulac quiſpiam latinè loqui cœperat, aut de numine, aut de Rep. dicturus crederetur. Hinc viuaciſſimus ille mos iuris dicendi latinè in prouincijs, *quo Latinæ vocis ho-* Liu. lib. 40. Val. Max. lib. 2. cap. 2.

nos, vt ait Valerius, per omnes gentes venerabilior diffunderetur; Ac

Horat. in Arte.

Ne virtute foret clariſue potentius armis
Quam lingua Latium.

In Aſia & in ipſa Græcia, excuſſa volubilitate linguæ, gentem diſertam per interpretem loqui cogebant, tanquam domitæ linguæ, licet vberes & elegantes, domitrici aſſurgerent; Illis promiſcua rerum, hac ſeria tantùm enunciarentur. Ideo Cato Cenſorius,

Plutarch. in Cat. Cenſ.

quanquam ſciens linguæ Græcæ, ne Athenis quidem Atticis, niſi latinè loqui ſolitus; interdũ adhibito interprete.

Liu. lib. 35.

L. Æmilius Paulus, ſuperato Perſe, *denis principibus ciuitatium Græcarum Amphipoli adeſſe iuſſis, pro tribunali quæ Senatui, quæ ſibi ex conſilij ſententia viſa eſſent, pronunciauit*, nempe Latinè, *Ea Cn. Octauius Prætor interpretata ſermone Græco retulit.*

Cicer. 6. Verr.

Fatetur Cicero ſibi à Verre obiectum eſſe, quod in Senatu Græco, hoc eſt Syracuſano, verba feciſſet. *Quod quidem apud Græcas græcè loquutus eſſet, id ferri nullo modo poſſe.*

Sueton. in Aug.

Ipſe Auguſtus *ſermone Græco, quanquam alioqui promptus & facilis, non tamen vſquequaque vſus eſt; abſtinuitque maximè in Senatu. Militem quoque Græcè teſtimonium interrogatum niſi Latinè reſpondere vetuit*, nempe ob reuerentiam tribunalis.

Sueton. in Nerone cap. 7.

Multò hercule grauiùs & prudentiùs quàm ſcenicus ille princeps, *qui apud Senatum pro Bononienſibus latina, ſed pro Rhodijs atque Ilienſibus græca verba fecit.*

Quintil. Inſtit. lib. 11. cap. 2.

Non moueor inepta ambitione Craſſi illius diuitis; qui cùm Aſiæ præeſſet, *quinque Græci ſermonis differentias ſic tenuiſſe ſe vſque eò ſciri voluit, vt qua quiſque lingua apud eum poſtulaſſet, eadem ius ſibi redditum ferret.* Nam præ iactantia factus eſt immemor dignitatis Romanæ.

Plin. lib. 6. cap. 5.

Meliùs ij, quos non piguit vti centum triginta interpretibus. Inter cætera Gallicæ potentiæ inſtituta eſt vſus linguæ Celticæ, qua exteris, ac longinquis ab Rege omnia perſcribuntur. Hoc Moſchus, hoc Turca factitant; Sed ille imperitia, hic ratus hunc morem eſſe documentum magni-

tudinis, potentiæ, maieſtatis. Quapropter puto pertinere ad maieſtatem cuiuſque imperij legationem edi eius lingua.

CAPVT XLVIII.

Quando legatus & Princeps vtantur lingua exotica.

QVæ omnia vera eſſe conſtat, in ipſis, ſcilicet, ſolennibus legationis, quæ ex dignitate, eaque ratione quam dixi, aut ſimilibus peragi æquum eſt. Sed quia poſt illa ſæpe legatus inuitatu & accitu principis, aut occultus eũ adit, aut certè amota omni ſpecie, ac ſecretis ſermonibus res tranſigitur, & quòd in tali ſecreto panduntur occulta mandata, certe ſipariũ vtrinque complicatur, vtrinque detrahitur perſona, res agitur non coloratur. Itaque legatus & princeps, ſi quam habent peregrinæ linguæ notitiam, hac vterque arcana tunc expectorat. Et legatus quidem vt principi quod affert altiùs inſerat, illiuſque, vt ſic dicã, præcordia excutiat; Princeps vt ſingula momenta legationis callidiùs penſet, æſtimetque, ac ſua occulta felicius promat. Nam facultate viciſſatim loquendi intimi affectus vtrinque repræſentantur. Cui rei impedimento eſt frequens interuentus interpretis & peregrinitatis, quo impetus orationis expugnator voluntatum, frangitur. Quippe interim loquentis calor lenteſcit, acumen hebeſcit, intentio vaneſcit. Calanus ille celeberrimus Indiæ philoſophus Oneſicritum, alioſque ab Alexandro miſſos cùm cogeretur alloqui interuentu & opera trium interpretum, id ſibi ignoſci poſtulauit. Quippe illos dixit meram vocem, non vocis compendia percipere. Id quod perinde eſt ac ſi quis dicat, limpidam aquam labi per cœnum. Omitto opportunitates interfandi, quibus ipſis non parum ineſt & leporis & efficacitatis; *Strabo lib. 15. 679.*

Quorum vtroque viduantur interpretamenta; Quæ ſermoni natiuo tantùm cedunt quantum aut ſignum, aut tabula corpori effigiato. Satiſque conſtat Græcum interpretem nullo, quamuis longo circuitu, concinnitatem Catonianam, cenſoriam verè orationem conſequi potuiſſe. Lentulus Conſul cùm Pompeio diſſuaderet profectionem ad Parthum, imperitiam linguæ Parthicæ, vt ingens rebus impedimentum, ei obiecit.

Plutarch. in Cat. Cenſ.

Exiget ignorans Latiæ commercia linguæ.
Vt lachrymis ſe Magne roges.

Lucan. lib. 8.

Cæterum nihil magnæ fortunæ neque vtilius, neque conuenientius quàm non ſummatim ſolùm degustare ingenia, vt fit per interpretem, ſed tota altiùs inſpicere, tota tractare arbitratu ſuo. Legato quoque nihil optabilius, & in animis illorum, quorum legatio eſt, nihil validius, quàm ſi ipſis referantur ipſiſſima dicta exterorum, indubia pignora rerum. Omitto laudem eam quæ ſurgit è notitia plurium linguarum, quæ eſt tā mirabilis, vt olim quot linguas quis tenebat, totidem corda habere crederetur, vt de Ennio traditum. Huc adde, quòd catè popularitas quæritur edenda legatione lingua eius gentis ad quam itum eſt. Cuidam Lucano, quod Syracuſis legationem peregerat lingua Dorica, Syracuſanorum aures ita apertæ fuerunt, animi ita proni, vt ei populus impetratum reddiderit quod petens venerat; ſuper dona quibus munificè donatus, & præconia quibus magnificè elatus. Ergo ſapienter principes in dandis longinquis legationibus habent quoque rationem peritiæ linguarum; vt Cambyſes qui elegit † ἰχθυοφάγους illos callidos linguæ Æthiopicæ in eam legationem, quam deſtinauit ad regem Æthiopum † μακροβίων. Rabſaces edidit legationem regis Aſſirij Hebraicè, vt Iudæorum animos propelleret ad deditionem. Non hìc dico quàm ſæpe multis eximia claritudine hominibus ſaluti fuerit hæc

Dio. Chryſoſt. orat. 36.

Herodot. lib. 3.

Lib. 4. reg. cap. 18.

† piſcium edones.
† longæuorum.

ſolertia loquendi pluribus linguis; vt Themiſtocli apud Perſas, Alcibiadi apud Pharnabazum, Annibali agenti in Italia, & magno illi Pontico regi in bellis. Nam quatuor & viginti gentium ore loquutus eſt. Hodie etiam Latinæ vbique loquuntur literæ, loquenturque donec exortu magni imperij in ſuos libros compulſæ inibi lateant. *Diodor. Sic. lib. 11. bibl. & Plutarch. in Apoph. Athen. li. 12. Plin. de vir: Illuſtr. & Zonar. l. 2.*

CAPVT XLIX.

De Interpretibus.

PRiſco inſtituto ad res ſerias Interpretes adhibitos conſtat, Ægyptio, Perſico, Romano. Hoc munere Philotas non ſolùm vſus dicitur, ſed & abuſus. Cui, nimirum, exprobratum eſt, *non erubeſcere Macedonem natum homines linguæ ſuæ per interpretem audire.* *Q. Curt. l. 6.* Sed ego etſi ignoſco victori exercitui, cui id inſolens, & ſuperbum viſum eſt, tamen Philotas hinc excuſari, ac prope dixerim, laudari potuit. Nam interpoſitu interpretis gliſcit veneratio; tanquam magna dignitas non adeatur niſi per eas perſonas, quibus id muneris ſpeciatim datum; vt quarum à principe electi ſunt mores, conſuetudo, ſermo. Vt ad aures ſimulachri nemo propiùs accedit niſi admotus ab æditui, *Sen. ep. 40.* Ita regnantes ægrè ferunt, à quolibet directò ſecum haberi ſermonem. Audi Plinianum illud de Traiano. *Augebant*, inquit, *maieſtatem præſidentis diuerſi poſtulantium habitus, ac diſſonæ voces, raraque ſine interprete oratio.* *Plin. in Panegy.* Neque verò tantùm à multitudine hic cultus exigitur. Multò magis à ſummis viris, à quibus regnantes ſanè nolunt de improuiſo eſſe interuentum ſibi. Amántque adiri cum timida quadam reuerentia, atque adeò adeuntes luſtrari quodam pauore, vt qui olim conſulebant Amphiaraum, aut Triphonium. *Pauſan. l. 9.* Apud Medos Deioces creuit ne cui ad regem *Herodot. l. 1.*

Herodot.l.3. aditus eſſet niſi per internuntios. Neque Perſis licuit in regiam inferre pedem, niſi præmiſſo nuntio. Interfectoribus Magorum extra ordinem datum, vt inuocatis regiam ingredi liceret; niſi dum Rex cum *Strabo li.15. 677.* regina ſibi morigerat. Tradit Strabo, Brachmanas, alteram ſectam philoſophorum Indicorum cum rege de rerum cauſis eos ſciſcitante per internuntios colloqui. Adde quod non ſoliti adire principes, ſtudio elati longinquum loquuntur; ad capita rerum vix vnquam perueniunt. Horum ſermones priùs ab interpretibus excepti ſtrictim referuntur principi. Eſt enim interpres διδάσκαλος τῶν νοημάτων doctor cogitationum, ſiue editor eorum quæ cogitantur. *Pollux li.5. 212.* Et Pollux hanc vocem ſignare ait, conferens linguam, linguam diſſimulans, alienæ linguæ ſciens. Itaque hoc veluti ſepimento ſumma fortuna vtitur aduerſus agmen verborum, à quo ſæpiùs obſidione premitur & exſurdatur. Ergo ſæpiſſimè ne verbis quidem adiri vult, ſed ſcripto, in quo, ſcilicet, nihil *C. de precib. Imp. offer.* deſit, nihil redundet. Hinc mos offerendi principibus prêces non voce, ſed conceptis libellis. Quod ipſum eſt plenum venerationis. In hoc quoque ipſi *Sueton. in Aug.* ſolerti corde principes alijs ſæpe præeunt. Auguſtus ſermones cum ſingulis, atque etiam cum Liuia ſua grauiores nonniſi in ſcriptis, & è libello habebat, ne plus minuſue loqueretur ex tempore. Notata eſt ſu- *Tacit.li.13.* perbia Pallantis, qui ſicuti princeps eſſet, *nihil vnquam ſe domi, niſi nutu, aut manu ſignificaſſe gloriari non erubuit; vel, ſi plura demonſtranda eſſent, ſcripto vſum, ne vocem conſociaret.* Nempe hic nebulo ſimius erat principis, quem ſatis ſciebat, nec velle deprehendi temerario, nec laſſari longo ſermone, vt pares & familiares qui ſanè conueniuntur,

Terent. Eun. *Conueni hodie adueniens quemdam meì loci hinc atque ordinis.*

Hæc loquendi formula tranſlata eſt ad legationes; quæ cùm mittuntur à maiori imperio ad minus, tum

verò tales legati non dicuntur adire principem, ſed conuenire. Legati Romani ad regem Macedonum miſſi, his verbis, poſtquam Romam redierunt, in Senatu loquuti ſunt, ſibi, *cùm ad regem perueniſſent, per multos dies conueniendi eius poteſtatem non factam.* *Liu.lib.32. 60.* His cõuenit verbum colloquij quod ſequitur paulò poſt. Adeuntur regnãtes; & quidem, vti dixi, ſcripto. Ideo Acroteleutium,

—permirum æcaſtor prædicas *Plaut.mil. glor.*
Te adiſſe, atq; exoraſſe. per epiſtolam aut per nuntium
Quaſi regem adiri eum aiunt.

Plutarchus hoc ipſum diſertim tradit. *Plutarch. Ag. & Cleo. 3: 1485.* Et ad libros Sibyllinos aditum eſſe paſſim legitur apud autores latinitatis. Ergo Adire eſt verbum venerationis & reuerentiæ, & ferè cùm de numinibus, &, qui ſecundum numina ſunt, principibus agitur, vſurpatum. *Te quidem*, inquit Plinius Veſpaſiano, *in excelſiſſimo humani generis faſtigio poſitum religioſe adiri, etiam à ſalutantibus ſcio.* *Plin. in præfat. hiſt. nat.* Et Tacitus de Seiano, *Componit ad Cæſarem codicillos. Moris quippe tum erat, quanquam præſentem, ſcripto adire.* *Tacit. lib. 4.* Itaque quia liquet, libello preces principali ſapientiæ offerẽdas, atque adeò principem adeundum eſſe per interpretem, multò eſt ęquius eadem ratione excipi atque audiri externas legationes; ſaltẽ cùm legatus primũ admittitur ad ſacros ſermones. *Similes ſunt Dij*, inquit Cicero, *ſi ea nobis obijciunt, quorum neque ſciẽtiam, neque explanationem habeamus, tanquam ſi Pœni aut Hiſpani in Senatu noſtro ſine interprete loquerentur.* *Cic. lib. 2. de diuin.* Et alibi, *In Senatu ſemper eſt aliquis qui interpretem poſtulat.* *Cic. lib. 5. de fin.* Et hoc munus eſſe inter neceſſaria iudicauit ille quem ſupra nominaui, Calanus Indicæ ſapientiæ antiſtes. Ergo, *Neque Pœni, neque Hiſpani, vllaue gentes externæ in Senatu Romano ſine interprete loquebantur.* *Cic. lib. 2. de diuinit.* Quod ad exemplum in foro ſoli aduocati, ſiue patroni hodie cauſas orant apud iudicem, non etiam actores & rei, tanquam illi ſint horum interpretes apud tribunal. *Conſtat Molonem*

[Val. Max. lib. 2. cap. 1.] *rhetorem, qui ſtudia M. Ciceronis acuit, ante omnes exterarum gentium in ſenatu ſine interprete auditum.* Cæterùm interpres principis & ſenatus, quia legationes reſponſis cõſociat, eſtque veluti quoddam vinculum negotij; atque hinc inde inter contrahẽtes commeabat, verba vtrinque referebat, rem omnem firmabat. *[Plaut. mil. glor.]* Plautus, *quaſique ego rei ſim interpres*. & infra, *Quaſiq; res per me interpretem & tuam ancillam geratur.* *[Gell. lib. 7. cap. 14.]* eligendus eſt vnus primorum, magiſtratuum, ſenatorum. *[Liu. lib. 35.]* Neque enim alium æquum eſt adſumi in conſcientiã rerum ingentium. Tribus philoſophis legatis Athenienſium datus eſt Cæcilius ſenator interpres. L. Æmilio Paulo COS. in Græcia fuit Cn. Octauius Prætor. Regi mea memoria Vidus Fabricius Pibrachius in Senatu Polono. Sed hic mehercule non tam erat interpres alienæ prudentiæ aut eloquẽtiæ quàm ſuæ, vt in vita eius memoraui. *[Caſ. lib. 1. belli Gall.]* Cæſar, cùm Diuitiacum ad ſe vocari iuſſit, *quotidianis interpretibus remotis, per C. Valerium Troacillum principem Galliæ prouinciæ, familiarem ſuum, cui ſummam rerum omnium fidem habebat, cum eo colloquitur.* Sæpe legatus validi alicuius imperij vtitur ſuo fidei cauſa, vt legati Senatus in Græciam miſſi C. Publicio Menandro homine *[Cic. in orat. pro L. Corn. Balbo.]* libertino. Iuthungi coram Aureliano imperatore, & legati Romani apud Attilam in edenda legatione *[Dexipp. ecl. legat.]* adhibent ſuum. Iuſtinus literas Turcici legati Scythicè ſcriptas legit per interpretem. *[Priſc. ecl. legat.]* Potiſſimùm vocatur interpres, ſi legato res eſt cum gente perfida; *[Menand. ecl. legat.]* aut ſi ex dignitate pari congreditur cum aliquo rege, gentiſue primoribus, vt fecerunt Scipio & Annibal. *[Salluſt. Iug.]* Certe Sylla & Bocchus ſecretò collatis capitibus, vterque ſuum adhibuit. Hìc monendus eſt quilibet, ne vltro ſeſe offerat huic muneri, neque huc aliter accedat, quàm accerſitus, rogatus, iuſſus. Ne, ſi quidpiam minimè placens proferendum fuerit, ex interprete fiat odioſus loquutor. Quippe odij aut inuidiæ culpa ſæpe aſſignatur interpreti, vt qui audaciùs aut

aſperiùs,

aſperiùs,aut etiam iniurioſiùs,præterque mentem & ſententiam legati loquutus ſit. Sæpe etiam regnantes ſuis obſcuris artibus obtendunt inſcitiam eorum quæ ab interprete ſunt expoſita. Tali diſſimulatione vſus eſt Iuſtinus cùm finxit ſe ea quæ legatus confidentiùs dixiſſet, minùs percepiſſe. Iram quoque è negotio conceptam ij qui legatione adeuntur cùm verentur in legatum, euomunt in interpretem, tanquam ab illo plus minusue, aut quidpiam aliter prolatũ ſit, quàm ab legato iuſſus eſt eloqui. Certè Attila Bigilam interpretem ſæuis verbis increpat, non item Maximinum legatum. Etſi huic quoque meritò ſuccenſebat, vt eam hiſtoriam diligētiùs legenti liquere poteſt. Ergo non ſemper inſipidi ſunt interpretes, cum rem, vt eſt, eloqui verentur. Tale quidpiam legimus de Iacobo legato ab rege Perſarũ ad Iuſtinum. Is literas ſui regis inſolentiæ & contumeliæ plenas Græcè ſcriptas attulerat. Eas imperatrici cùm reddidiſſet, veritus ipſe eſt interpretari, quamlibet Græcæ linguæ ſcientiſſimus. Quilibet meritò hîc timet infortunium. Certè Themiſtocles interpretem legatorum Regis, Græcum, videlicet, hominem; publico decreto comprehenſum iuſſit necari, quòd Græca lingua ad nutum & imperium barbarorum vſus eſſet. Dicitur & Caracalla, ne vulnera imperij nudarentur, quandoque interpretes neci dediſſe. Hodie non alij ferè admouentur huic muneri quàm familiares eorũ qui legationibus adeuntur; contra quàm olim vſitatum. Conſtat enim hanc curam ſub principibus ſenſim factam eſſe aulicum munus, potiſſimum apud imperatores Græciæ. Horum princeps vocabatur ὁ μέγας διερμηνευτής, magnus interpres. Huius habitus & cultus deſcribitur à Curopalate verbis ijs, quæ latinè hoc ſonant; Magni interpretis vmbella & tunica [ſunt] vt primi accipitrarij. Palla verò eius induitur [ab vna parte] coccinea teſſerâ quadraria, quæ in ſummitate habet exiguam † pupam rubram; ab

Menand. ecl. legat. 84.

Priſc. ecl. legat. 39.

Menand. ecl. legat.

In ſelect. de legat. ex Dione.

† i. puellam

altera [habet] argenteam laminam præferentem animalium formam. Cæterùm quia interpres eſt arbiter arcanorum imperij, ac ſonat neſcio quid diuinum, dum mentem ſuam, prope dixerim, expellit, ac toto pectore ſe ſibi cedere iubet, animum perſonamque alienam induens, quæſitiſſimis honoribus aliquando exceptus eſt, atque adeò poſt legatum haud magno interuallo. Semper tamen poſt legatum, cùm legato & legationi detur adiutor; niſi & ipſe quoque honeſtetur nomine legati, vt Bigilas ille qui vnà cùm Maximino legatus eſt ad Attilam, cùm reuera Maximino datus eſſet interpres, eique poſtponeretur. *Bradunas Iſdigunnæ interpres ab Iuſtiniano etiam menſæ eſt adhibitus. Id quod tunc primùm relatum eſt inter exempla, niſi me memoria fallit. Procopius ipſe fatetur, Interpretem, licet nullo magiſtratu inferiorem, nunquam tamen tanto honore honeſtatum, vt eſſet regi aut Cæſari † ὁμοτράπεζος. Sed iſtos vt dixi, antiquitas eligebat ſumma virtute, dignitateque homines. Hodie vt omnia eunt in deterius, ſola peritia exotici ſermonis plerunque cenſentur, non etiam fide, non opibus doctrinæ & memoriæ, non ſingulari honeſtate morum. Neque miror ſi, vt pleraque alia deuenuſtatum eſt hoc munus, in quo tamen eſt ingens momentum, non ob hoc ſolùm quod is peregrini ſermonis ſciens eſt, ſed quod ſumma imperiorum negotia fide eius ſanciuntur, & ſcriptis commendantur; nimirum in omne æuum firma, rata, ſanctaque vti ſint. Nam ad curam, fidemque interpretis pertinet id præſtare vt ſingula perſpicuè & fideliter conſcribantur. Id potiſſimùm cauere, ne publicis pactis, fœderibuſque vllum inſeratur verbum, cuius occaſione ſubdola irrepat interpretatio, quæ ea quæ acta pactaque ſunt primò ad prauos ſenſus detorqueat, mox euertat & infringat. Id quod quia ne eueniat ſummopere cauto opus eſt, publicis negotijs perſcribendis interdum plures

*Procop. li. 2. belli Perſ.

† commenſalis.

interpretes interfuerunt, pari hinc inde numero. Cuius rei exemplum extat apud Menandrum, memorantem ſex à Romanis, totidem à Perſis conſcribendæ paci interpretes adhibitos. Ad munus interpretis quandoque pertinuit, paciſcentium dextras vtrinque excipere, & hinc inde concipere verba ſolennia iuriſiurandi. Hac ratione ſe mutuo ſacramento obſtrinxerunt Eunuchus & Edecon, cùm ille necem Attilæ ab eo ſtipularetur; hic ſe id tantum facinus perpetraturum reciperet.

Menand. ecl. legat. 25.

Priſc. ecl. legat. 25.

CAPVT L.

Audiendæ legationi debetur patientia. Quandoque legatis præripitur oratio diuerſis de cauſis.

AN ciuile ſit admiſſo legato orationem præripi, eumue iam loquentem interfari dicam ad neceſſitudinem rei. Sæua eſt impatientia audiendi illum, qui in hoc miſſus eſt vt audiretur. A' verbis, ait Sp. Icilius, ſumitur initium omnium rerum.

Dionyſ. Halic. lib. 7.

† Λόγων δ' ἀκοῦσαι τίς βλάβη; τά τοι καλῶς
εὑρημέν' ἔργα, τῷ λόγῳ μηνύεται.

Sophocl. Oed. Col.

†Sermones audire quid nocet? Nam præclarè cogitata ſermone indicantur.

Et verò quibus fari quæ ſentiunt non licet, multò minus impetrabunt ea quæ petunt. Immanis, meo animo, Totila, vel ob hoc, quod Pelagij Diaconi legati Romani orationem præcepit truci alloquio; nempe vt ei os occluderet, ſi pauidum inueniſſet. Sed hanc feritatem robore animi retudit legatus. At, inquis, Totilæ, quia is victorem ſe ferebat, licuit hoc modo ferocire. Ridiculè. Neque enim à quoquam magis exigo modum & modeſtiam, quàm ab illis, quos fortuna ſuper alios extulit ea re, vt eos humanitate ſubleuent. Niſi fortè calamitas non immeritos oppreſſerit. Si enim ab ijs legatus venit, quibus clementia non præbuit voluntatem reſipiſcendi, ſed

Procop. li. 3. belli Goth.

occaſionem largiùs peccandi, ſapiens indignatio huius dicere cœptantis ſermonem intercidit, vt indigni cuius aut preces, aut qualiſcunque oratio audiatur. *Liu. lib. 22.* Senatus legatis Philippi longiorem exorſis orationem breui interrogatione, ceſſurusne ijs tribus vrbibus eſſet, ſermonem incidit. Quod ſane factum haud fuit ſuperbiæ, ſed tempeſtiuæ ſeueritatis. Nam quò pertinuit audire legatos tergiuerſantes, cum momentum negotij illa vna re contineretur? Sic Labatus Lacedæmonius cuidam, cuius multiloquio onerabatur, Quid mihi, inquit, de re puſilla longa texis prooemia? *Eunap. ecl. legat. 10.* Et Valens legatos Scytharum multa inania & ſuperba blaterantes interrupit, ſimulque eos arma tradere iuſſit. Denique eos diſperſit per diuerſa oppida, vt in ijs libera cuſtodia aſſeruarentur. *Petr. Patr. ecl. legat. 16.* Tullij Menophili ducis Mœſiæ exemplum quod ſupra retuli, huc pertinet. *Polyb. ecl. legat. 25.* Sic Archedami, Panteleonis, Chaleſi legatorum Ætoliæ à Manio duce Romano, *Polyb. ecl. legat. 149.* ſic Prationis legati Rhodiorum ab Antiocho interrupta oratio eſt. *Liu. lib. 26.* Similiter Conſul Romanus legatos Ætolorum dicere exorſos interfatus, cùm alia ſibi præuertenda eſſe dixiſſet, redire Hypatam iuſſit. Hac ratione aut præoccupari ſermo legati, aut incìdi & interrumpi poteſt. Quæ cauſa quoties non ſubeſt, ſi non omni legationi beneuolentia, at certè patientia debetur. Interdum præfeſtinare vbi legati partes ſint, præloqui, refertur ad genus quoddam ſingularis humanitatis. Sæpe enim princeps ſeſe hac tanta comitate admirabilem facit; nempe inſtituendo ſermone & collocutione cum legatis, etiam de ijs rebus quæ ad legationem nihil pertinent. *Menand. ecl. legat. 87.* Hac inſigni facilitate Iuſtinus eſt vſus, cùm legatos Turcarum de ſtatu & regione ipſorum ſciſcitatus eſt. Quòd ſi etiam gratiæ exquiſitiùs fortè aguntur, quam dati beneficij magnitudo poſtulat; aliudue magnificentiùs prædicatur, quo pudor eius qui aditur, oneratur,

nihil eſt ciuilius, quam loquentem interfari; ſtatimque occurrere orationi meditatæ; denique oſtendere animum gratum maiorem in modum nobis probari; beneficij prædicatione verecundiam noſtram vrgeri, eaque cupere nos abſtineri. Ad hanc formam Cyrus Gadatem eunuchum ſibi gratias agentem interrupit; ſimulque in eius amplexum effuſus eſt. Par fuit humanitas Latini erga legatos Æneæ; *Zonar. in Cyro.*

Atque hæc ingreſſis placido prior edidit ore,
Dicite Dardanidæ, &c. *Virgil. lib. 7. Æneid.*

Nonnunquam maieſtas eſt præripere orationem legato, aut caduceatori, hoc eſt anteuortere dictis ſuperbis, atque minacibus, quæ quiſquis audire ſuſtineat, non ſit patiens ſed ſtupidus. Araldus Caroli Quinti miſſus ad Franciſcum primum, vt fuit in conſpectu, propemodum loqui cœptans regis infeſto vultu, ſermoneque exceptus eſt. Tunc legato cauendum ne concuſſus, minorue, quàm aut eſt, aut eſſe debet, appareat. Demoſthenes orator ille tam animoſus coram Philippo perculſus dicitur. Quippe & timidiùs egit; & eloquentia illa neruoſa, ſicuti compreſſa, non tanta apparuit quanta Æſchinis. Nam huic rex ab ſe corrupto pronas applicabat aures. Illum incorruptum audiebat vultu auſtero. *Ælian. lib. 8. Var. hiſt. cap. 12.*

CAPVT LI.

Modus edendæ legationis.

IN edenda legatione primùm exigo ab legato peritiam nominum, titulorum, aliaque indicia dignitatis quam obtinet is, qui aditur. Paraſiti eſt non legati, extraneos palpo percutere, & qui eſt infra opes, ac dignitatem regiam, huic regij nominis honorem dare. Meritò legato cuidam Lacedæmonio, quòd Antigonum regem nominauerat, indicta multa. Ani-

Procop. lib. 1. belli Goth.

moſius, & ex dignitate imperatoria Petrus legatus Iuſtiniani, qui Theodahadum Gothum, etſi is ferebat ſe regem Italiæ, non regem ſalutauit ſed principem Gothorum. Eadem eſt ratio inſcriptionis earum literarum quarum legatus eſt perlator, de qua ſupra dixi. Hic enim omnino nihil errari, quoad eius fieri poteſt, debet. Neque etiam ſuadeo contemptum, irritamentum iræ. Siquidem inconueniens appellatio profecta ab homine, qui ſit compoſitus in arrogantiam, non tam nominat, quàm monſtratum irridet aut deſpicit. Ipſe quoque legatus tunc potiſſimùm ita ſe componere debet, vt vitet omnem ſuſpitionem irreuerentiæ, irriſus, contumeliæ. Præ ſe ferat reſpectum cum dignitate coniunctum. Cæterùm, redditis lectiſque literis eius vnde itur in ipſam manum illius qui aditur, legatio eſt peragenda cultè, compoſitè, magnificè. Vitanda verba calçata & protrita, quæ arguunt mentem ignauam, & ſocordem; aut certè humiles legationis cauſas. Vtendum lectis & ſublimibus quæ repræſentent ſenſus altiùs ductos & maieſtatem huius muneris; reiecto tamen faſtu, & ineptia forenſi. Nam, vt eſt vetus verbum, Alia eſt oratio Cenſoris alia Rhetoris. Audi quid de oratione Menelai & Vlyſſis legatorum Agamemnonis dicat Anthenor Troianus apud Homerum, poſtquam, vtriuſque ſtaturam & habitum deſcripſit,

Homer. 3. Iliad.

> † Ἀλλ' ὅτε (Μενέλαος) δὴ μύθους καὶ μήδεα πᾶσιν
> ὕφαινον,
> Ἤτοι μὲν Μενέλαος ἐπιτροχάδην ἀγόρευε
> Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ οὐ πολύμυθος.

Et de Vlyſſe addit illud

> Ἀλλ' ὅτε δὴ ῥ' ὄπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος ἵει
> Καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν
> Οὐκ ἂν ἔπειτ' Ὀδυσῆΐ γ' ἐρίσσειε βροτὸς ἄλλος.

Floſculi item & mulſa dicta, & quicquid putidum eſt, & illecebroſum, fœminis relinquendum, & effeminatis. Porrò hæc illis tantùm legatis præcipiuntur,

†Sed quando verba & cōſilia omnibus texebant, certè quidē Menelaus ſuccinctè dicebat pauca quidem, ſed valde acutè, quoniā non multorum verborum.

†Sed quando vocem magnam ex pectore mittebat, & verba niuibus ſimilia hyemalibus, non dein cum Vlyſſe certabat mortalis alius.

quibus non conſtat regula verborum, atque ipſis permiſſum vt mandata edant ea ratione & oratione, quę ſibi domi nata eſt; quamque rei, quæ agitur, conuenientem putant. Quòd ſi legato reſtrictè verba ſunt præfinita, is qui principi eſt ab epiſtolis, aut ſcriba Senatus omnia ſic perſcripſiſſe debuit, vt ſupplex legatio humile, magna magnum ſonet. Quanquam tales legationum formulæ, ſi ſunt minaces & odioſæ, priſco more dantur caduceatoribus ſæpius quàm legatis, qui eas, vt ſupra dixi, mandant memorię. Nec diffiteor quandoque datas eſſe legatis, vt Aſſyriam de qua memoraui, & Romanam, quę fuit miſſa Tarentum, de qua iam dixi, & fortaſſe etiam infra dicam; tum Scythicam ad duces Romanos. Cæterùm antiquiſſimi moris fuit, vt legati ſuum munus illis ipſis quæ acceperant, verbis peragerent, nulla licentia augendi, nullà minuendi. Qua ratione res agitur cum dignitate, ſimulque conſulitur legato, qui non ſolùm alienæ voluntatis, ſed & alienæ orationis perlator eſt. Tunc eligitur non tam prudentia legati, quàm miniſterium. Huiuſ generis eſt legatio illa Plautina.

Petr. ecl. legat.

Val. Max. lib. 2. cap. 1.

Plaut. Amph.

Vbi primùm terram tetigimus,
Continuò Amphitruo delegit viros primorum principes.
Eos legat Thelebois; iubet ſententiam vt dicant ſuam.
Si ſine vi, & ſine bello velint rapta & raptores tradere,
Si quæ aſportaſſent, redderent, ſe exercitum extemplo domum
Reducturum; abituros Argos Arginos, pacem atque otium
Dare illis? Sin aliter ſient animati, neque dent quæ petat,
Seſe igitur ſumma vi, viriſque eorum oppidum expugnaſſere.

Similis eſt apud Euripidem legatio Theſei mittentis

præconem ſuum ad tyrannum Cadmæorum,

Euripid. Supplic. actu.2. 284.

† Κ' ἂν μὲν φίλως σ' αἰνέζῃ, παλίσσυτος
Στεῖχ', ἢν δ' ἀπιστῶσ', οἵδε δεύτεροι λόγοι
Κῶμον δέχεσθαι τὸν ἐμὸν ἀσπιδηφόρον.
Στρατὸς δὲ θάσσει, κἀξετάζεται παρὼν
Καλλίχορον ἀμφὶ σεμνὸν εὐπρεπὴς ὅδε.

† Et ſi quæ petitis annuant, verſo pede redeas. Sin verò abnuant, altera hæc ſit oratio, Armatam iuuentutem vt expectẽt meã. Sedet quippe præſens, & recenſetur exercitus decorus ſcilicet hîc circa ſactum Callichorum.

Huius verborum formulæ, quæ legato præſcripta eſt, extat exemplum apud Xenophontem. Cùm, inquit, illuxiſſet, Cyrus miſit nuntium ad Armenium, cui mandauit vt ad hunc modum cum eo loqueretur. Mandat tibi Cyrus, Armenie, vt quamprimùm ad ipſum cum tributo exercituque venias. Si rogabit vbi ſim, vera dicito, eſſe, nimirum, in confinijs. Si interrogabit an ipſe veniam, hîc quoque vera loquitor, Id neſcire te. Priſco more hoc fieri ſciunt illi qui priſca peruolutarunt. Certè antiquitus referebant ipſiſſima verba illius à quo miſſi erant. Talthybius apud Homerum illa ipſa Machaoni dicit quæ iuſſerat Agamemnon, nulla ne ſyllabæ quidem mutatione.

Xenoph. de inſtit. Cy. lib. 2.49.

Homer. Iliad. 4. 141.

† Ὄρσ' Ἀσκληπιάδη, καλέει κρείων Ἀγαμέμνων
ὄφρα ἴδῃς Μενέλαον ἀρήϊον Ἀτρέος υἱόν,
ὅν τις ὀϊστεύσας ἔβαλεν τόξων εὖ εἰδὼς
Τρώων ἢ Λυκίων τῷ μὲν κλέος, ἄμμι δὲ πένθος.

† Surgẽ Aſclepiade, vocat te rex Agamẽnon vt videas Menelaum bellicoſum Atrei filiũ, Quem aliquis ſagittans percuſſit arcuum peritus Troianorum vel Lyciorum, illi quidem gloria, nobis autem luctus.

Hunc priſcum morem video quandoque fuiſſe renouatum à citerioribus principibus. Quippe talem legationem ducibus Romanis ediderunt legati Abarorum. Quod ſi oratio permiſſa eſt arbitrio legati, tunc verò oportet ipſum vſque eò inſtructum eſſe omni inſtrumento oratorio, vt quamcunque in partem volet, verſare poſſit animos oratione valida & culta. In quo ipſo vitanda ei ſunt vitia, quæ deprehenduntur eſſe propria legatorum, etiam eloquentiſſimorum. In his eſt frequens vſus eius, quæ Græcis eſt prolepſis, nobis præſumptio; Quæ ſanè omnem rem implet ſuſpitionibus. Has legatus ab ſeſe ſegregare debet; ne purgatione accerſita, nimiumque accurata locus difficultatibus quæſitus videatur. Nempe

Menand. ecl. legat.

Quintil lib. 9. cap. 2.

extraordinariæ

extraordinariæ ſollicitudini noſtræ comes it aliena ſuſpitio. Et inſolitus propugnandi apparatus arguit latentem metum. Et ex metu noſtro inimicis creſcit audacia. Minimùm, neſcio quid ſcrupuli hæret animis, quem demere magis eſt felicitatis, quàm vllius moliminis. Poſtremò, hoc nihil eſt aliud quàm peri-re ſuo indicio; & nimis ingenioſè ſuſpicando mon-ſtrare obijcienda; neque facultatem nocēdi præripe-re, ſed vltro occaſionem præbere. Talia volo eſſe præuiſa, ſed premi, quoad ſint promenda, hoc eſt, in occaſionibus ſubitorum reſponſorum, de quibus mox dicam. Præſumptionibus tunc ſolùm locus eſt in prima oratione legati, cum legatio miſſa eſt ad excuſandum, accuſandum, defendendum. Nam quia tunc legatus ſumit partes patroni, aut actoris, eius eſt obijcere, arguere, nudè inficiari, transferre, deprecari, mollire, minuere, auertere, eludere, diluere, taliaq; inſerere ſuæ orationi quæ ſunt oratorum propria. Legatum etiam turpe eſt rixari ac loquaciter litigare. Nā quæ primò fuit diſceptatio ſenſim fit altercatio, & crebris contradictionibus deſtruitur autoritas legati; ac res per ſe indubia redditur dubia. Priſcæ legis verba ſunt, *Serųs iurgia amouento*. Legatis Romanis Hanno fœdus recitare, illudque interpretari incipiebat, cùm illi eam diſceptationem, vt alienam à dignitate Romana, atroci oratione reiecerunt. Ergo Sagunto exciſa, violatiſque fœderibus, Annibalem reum tanti ſceleris ſibi dedi æquum cenſuerunt. Id nî fit, Vobis igitur, inquiunt, bellum denunciamus. Enimuero aut planè impudens, aut certè magni & formidabilis alicuius imperij illa legatio eſt, quæ incipit ab interrogatione. Huius tumoris fuit illa quam Indi miſerunt ad Cyaxarem. Nam legati ad regem Cyro præſente, intromiſſi, dixerunt ſe iuſſos eſſe quærere, Quænam cauſa Medos & Aſſyrios in mutuam perniciem armaſſet. Cæterum ſi quid in edenda legatione ſubobſcurum incidit, quò opus ſit ito luce do-

Cic. lib. 2. de leg. Polyb. lib. 3.

Xenoph. de inſtit. Cy. lib. 2. 46.

ctrinæ, hiſtoriarum, & antiquitatis, tunc vero inde nauiter protrahendum verum, donec argumentis fides dictis contradatur. COSS Romani, in his L. Martius Cenſorinus, non ſolum Carthaginienſibus expoſuerunt decretum Senatus de diruenda Carthagine, ſed rationibus probarunt æquitatem eius, & exemplo Albæ cuius ipſa Roma eſſet colonia. Legati item nihil omiſerunt penitioris doctrinæ, & peritię rerum anteactarum, quò Conſules flecti & rigor decreti ſolui poſſet. Modum orationis non item definio; ſed illud tantùm moneo, Vitandum eſſe ſermonem laciniosum, qui idem rerumpublicarum moderatoribus plerunque eſt oneroſus. Itaque legatum ita oportet eſſe breuem, vt nec minùs nec plus quàm oportet, dicat; ſed vtatur eo dicendi genere quod Græcis eſt σύντομον, nobis circumciſum. Subinde moneo, legato omnino cauendum eſſe ne in vlla parte ſui ſermonis vllo ue geſtu prodat inſolentiam, ſiue contumeliam. Hoc vitium eſt duorum generum. Aut enim tota legatio eſt inſolens, qualis eſt illa Perſarũ ad M. Antoninum. Et tunc omnis culpa eſt in mittente, qui eam ſic edi voluit. Huius quoque generis eſt illa Decebali, quam memorat Petrus Patritius. Si, inquit, vnuſquiſque Romanus animum inducit Decebalo quotannis pendere duos obolos, tum pacem vniuerſi habituri ſunt. Si hoc nolint, ſeſe parent bello; Et inde omnia dira expectent. Huiuſmodi eſt illa Chagani, cuius impudentibus petitionibus imperator exacerbatus illius pacta ſpreuit. Talis illa Carporum miſſa ad Tullium Menophilum ducem Mœſiæ, de qua alibi egi. Bonus quoque Romanorum dux exprobrat Baiano verba inſolentiora, & multum ſupra vires illius, cuius iuſſu ſunt edita. Omnes impudentiæ modos ſupergreſſa eſt illa Chagani, per quam is petijt ab imperatore ſibi inſtrui & mitti lectum aureum. Alterius generis illæ ſunt quæ naſcuntur in geſtu, aut in tumido ore legati. Talis fuit illa Mebodis miſſa à

Appian. Liby.

Petr. Patr. ecl. de legat. 14.

Menand. ecl. legat. 96.

Menand. ecl. legat. 91.

Menand. ecl. legat. 95.

rege Perſarum Conſtantinopolim;quam Imperator, vt decuit excepit, vt alibi dico. His annecto illam Rhodij legati, quam alij Rhodo quoque legati ita excuſant, vt dicant, verba tumidiora legati offenſionem aurium, non perniciem ciuitatis meruiſſe. Similis tumoris fuit illa Mezamiri miſſa ad Abaros. Diſtinguo tamen libertatem loquendi à tumore & faſtu. Vix iram potentioris vitat libertas. Quid inſolentia & faſtus? Chaganus rex Perſarum Comentiolum legatum imperatoris Romani in edenda legatione vſum Romana libertate, in carcerem coniectum ligneis compedibus adſtrinxit. Etſi eum poſtridie, procerum admonitu, vnà cum collegato eius dimiſit.

Liu. lib. 45. 185.

Menand. ecl. leg. at. 79.

Theophyl. de legat. Rom. ad gent. cap. 1. 45.

CAPVT LII.

De vi ſubitorum reſponſorum.

DE ſubitis reſponſis quod paulò ante promiſi, id cœptum pertexo. Quippe volebam legatũ eſſe præmunitum aduerſus quoslibet ictus, & quidem armis adamantinis, & impenetrabilibus: Sed illa tecta habere, neque priùs nudare quàm in occaſione ſubiti alicuius reſponſi. Quod ſi eſt acutum, argutum, è re natum, non ſolùm diluit obiecta, ſed & aduerſarium percellit feritque eo telo, quale nullum Mulciber fabricatur. Neque verò tantùm legatum, ſed & qui legatione adeuntur, aut aliqua importunitate premuntur, hac reſponſorum extemporalitate armatos oportet. Legati Vitigis exprobrabãt Beliſario, Gothos Siciliã inſula opulenta cõceſſiſſe Romanis. Nos quoq; Britanniam, ait Beliſarius, ſibi Gothos habere permiſimus, Sicilia longè præſtantiorem. Legatus Perſarũ, cùm Imperator in ipſum reijceret culpam earum rerum quæ contra animi ſui ſententiam acciderant, reſpondit, Domine, Non adſum propugnaturus Sarace-

Procop. lib. 2. belli Goth.

Menand. ecl. legat. 86.

nos,ſi quid peccarunt,ſed vt audiã ſi quid æqui dicũt. Neque enim id aſpernabor. Quòd ſi iniuſtè querun- tur,me iudice cauſa cadent.Themiſtocles inſulas circumnauigabat,&ab earum incolis pecunias corradebat.Venit ergo ad Andrios, quibus ſatis audacter dixit,ſe duos Deos ſecum afferre, Suadam & Vim. Cui illi,Et apud nos ſunt duo Dij, atque adeò & magni & violẽti, Paupertas ac deſperatio,à quibus tibi quidem pecuniam dare vetamur.Itaque prior laus talium reſpõſorum eſt extemporalitati comes opportunitas, in qua eſt aut veritas,aut imitamentũ veri. Altera eſt argutia,qua aduerſarius percellitur. Et verò cùm nihil ſit tam naturale,quàm interroganti reſpondere, & laceſſentem contra hoſtire,quicquid ſalse,venuſtè, argutè dicitur, multò hercule eſt efficacius reſpondendo,quàm orando,aut prouocando. Sed quia huic felicitati admixtũ eſt multũ difficultatis, huic quoque quærẽdũ ſubſidiũ. Ergò ſi,vt fit,interrogationẽ è veſtigio reſponſum conſequi non poteſt, enimuero qui eſt ſubito pauore,aut inexpectata lætitia offuſus,eum animi motum vt tũ maximè premat,ſuadeo.Homini locato in media rerũ mole nihil conuenientius quàm æquabilitas.Hæc quanquã accepto nuncio funeſto, aut optabili,excludit impotentiã animi.Quid fœdius quàm legatum, vt vnum è multis aſpici vitulantem, & loquace lætitia,ineptiaque ſubſultantem; aut, audita re atroci , notabiliter expalleſcere, ac ſicuti viſa Gorgone obdureſcere?Tali quidem re,paratè ſi opus eſt,reſpondendum,ſed ita cõtentè ac perplexè, vt ipſe Oedipus amittatur incertus;atque adeò vt reſponſum ſit notabile propter obſcuritatem. Vah, quàm vellem ab aulicis veteratoribus tam facilè diſci poſſet quidpiã limatæ probitatis quàm hæc reſpondẽdi vaframenta,qui ipſis eſt centuplex murus.Nam qualibet accede,haud impune echinos fatebere.Quoties tale reſponſum non ſubitò ſuccurrit, os ori eſt opponendum ; vt qui ratione non poteſt, is audacia

Plutarch. Themiſt. 1. 222.

perterrefaciat collųctatorem ſuum, quidpiam comminiſcendo, cui is improuisò reſpondere non poſſit. Sic Andrij, de quibus ſupra dixi, Themiſtoclem, ſic Epaminondas Ageſilaum, aliaſque Calliſtratum legatum Athenienſium, & Dercillidas Lacedæmonius Pyrrhum, multi præterea multos tempeſtiua audacia perculerunt. Ad hoc exemplum legatus nodo implicitæ obiectionis & laqueis inſidioſæ interrogationis non ſolùm ſeſe expedire poteſt, ſed & ſua paratura aduerſarium repercutere. Cæterùm promptè reſpondere non eſt ſortitò loqui, ſed cogitatè. Talia reſponſa, nempe acria, acuta, & ſubita propriè dicuntur torqueri veluti telum, aut conijci in eum cui reſpondetur. Euripides, καὶ ταῦτα μὲν πρὸς τὰ σὰ ἐξηκόντισα, Atque hæc quidem ad iſta, quæ iacularer, habui. Ac de talibus reſponſis illud meritò dici poteſt quod Helena apud hunc ipſum Euripidem ait, κάλλιον εἶπας ἢ σ' ἀνηρόμην ἐγώ. pulchriùs reſpondiſti quàm ego interrogaui. Prorſus & acuminis & prompti iudicij res eſt. Sæpe enim incogitantia negotia peſſumdedit; ac ſæpe obligauit fidem publicam illorum, quorum legatio eſt. Cùm caput humanum in ea foſſa, vbi ponenda erant fundamenta Capitolij inuentum eſſet, Roma legatio miſſa eſt ad Tyrrhenum quemdam diuinum, ſciſcitatum quid ominis eſſet in ea re. Is circulo humi delineato, vt ſi id ſpatium comprehenderet vrbem Romam, & montem Tarpeium, quæſiuit è legatis, Annon illa eſſet Roma, ac mons ipſe Tarpeius? Annon ibi caput repertum eſſet, quod ſpatium ipſe demonſtrabat. Veteratoris ea erat ars, vt quod ipſe ſibi reſponderi volebat legatis firmantibus, huius prodigij vis ad eum ipſum locum transferretur. Pronum erat errare promptitudine & facilitate. Sed huius doli legati ſcientes facti à filio mathematici, Non, inquiunt, hic Roma habitatur, ſed in palatio. Mons ipſe clauditur muro vrbis; vbi caput repertum. Hinc illud prudenter dictum,

Plutarch. in Ageſ.
Problem. in Epam.
Plutarch. in Polit.
Plutarch. in Apophth. Lacon.
Euripid. Supplic. 286.
Euripid. Hele. 536.
Zonar. in Tarq.

legato reddendam eſſe rationem ſuorum verborum; Contra quàm vulgo aiunt; Verborum pœnas non dari oportere. Cuius enim alterius rei quàm verborum à legatis ratio repoſcatur? Neque enim, inquit Demoſthenes, legatis committuntur triremes, aut loca, aut regiones, aut arces. Nemo hæc legatis tradit, ſed verba, & tempora. Id eſt, datur eis illa facultas exponendi mandata, quæ niti debet ſcientia vtendi opportunitatibus rerum.

Demoſth. de fal. leg. 224.

CAPVT LIII.

Quid ſequi, quid item cauere debeat legatus is, qui ad aliquid petendum miſſus eſt.

QVia legationes plerunque mittuntur ſuper petenda aliqua re, deforme legato eſt nihil adhibere exquiſitioris artificij precibus ſuis quàm ſit in lare, aut in ſermone pedeſtri cuiuſlibet Quiritis. Primùm quicquid arduum, eique cui petitur vtiliſſimum eſt, in ipſo aditu petendum puto; eique petitioni perſeueranter inſiſtendum. Vetus & vſitatum eſt, iniquum petendum vt æquum feras. Quòd ſi legatus eſt in ſpe tenui rei difficillimæ impetrandæ, aut ſi negotium in extremo ſitum eſt, tunc tentari debent illa quæ ſunt magis impetrabilia. Legati Campani ab ſenatu primùm amicitiam petierunt, atque arma auxiliaria. Quibus non impetratis, rogarunt vt in deditionem acciperentur. Ita demum in ius Romanorum conceſſerunt. Inuerti hîc ordo, vbi res ſuadet, debet. Et verò contraria his cautione vtuntur imperantes vbi multa dura ſimul, atque ardua imperanda ſunt; atque adeò quoties metuendum eſt ne ex immiti imperio oriatur deſperatio & hinc turbamenta. Tunc vt omnia fiant, ſingula

Quintil. Inſtit. li. 4. c. 5.

Liu. lib. 27.

ſenſim imperantur. COSS. Romani è Sicilia in Africam tranſuecto exercitu, & Carthagínienſe magiſtratu ad ſe venire iuſſo, nequaquam mandata ſenatus acceruatim effuderunt, ſed primò frumentum imperarunt. Quo præbito, petitæ triremes; dein machinæ bellicæ; poſtremò quicquid armorum in vrbe eſſet. His quoque traditis, demum Conſules iuſſerunt vrbem Carthaginem dirui, aliamque ædificari, quam nullus amplecteretur murus, haud propius mare ſtadia octoginta. Simili prope aſtu Zenobius Præfectus Mithridatis afflixit Chios. Ac Triumuiri illi, quos imperij ſitis, & mala libido vecordes agebat, primò proſcripſerunt hominum non plus quàm ſeptemdecim; mox centum & triginta; dein centum & quinquaginta. Poſtremæ illæ feraleſque tabulæ cruentato ſtilo innumeris oneratæ.

Appian. Alex. in Liby. et Zonar.

Appian. Mithrid.

Appian. ciuil. 4.

Eadem eſt ſolertia illorum qui nunciant res funeſtas. Cuiuſmodi eſt illud quod à Cteſia narrari memorat Demetrius Phalereus in nuncianda Cyri morte. Neque enim prudens nuncius, vt venit ad Paryſatim, atrocibus verbis fœminam perculit. Hæc enim, inquit, eſt * Scythica oratio; ſed primò victorē nuntiat. Id quod vbi animo titubante, certè lætitia trepidante ab illa exceptum eſt; At nunc, ait, vt agit? Fugam fecit. Ain' tu? Simulque, ſpe ac timore alternante fidem, Tiſſaphernes, inquit, his malis caput eſt. Sed, exequitur, agedum (ſpe labante, & ſinu muliebri iam micante magno metu) hoc mihi expedi, Cyrus vbi nunc eſt? Vbi hercule fortes viros agere æquum eſt. Præclarum certe artificium. hic enim vltimam neceſſitatem non velauit mollibus verbis, ſed fortibus demonſtrare voluit. A' diuerticulo redeo ad rem. Non aliud peti debet, quàm quod impetrari noſtra permultum intereſt; Ne aut leui de cauſa cuiquam validè obligemur; Aut rei paruæ inefficaciter poſtulatæ adſit pondus pudoris; idque vltra quicquam impetrandi ſpem omnem

Hac locutione vſus eſt Parmenio Byzantius in quibuſdam verſibus qui referūtur ab Athenæo l. 5. Atque adeo in prouerbiū abiſſe τὴν ἀπὸ Σκυθῶν ῥῆσιν teſtis eſt Laertius Ipſiſque eſt dicēdi genus conſtans & confidēs. li. 1. in Anach.

incîdat. Incogitantis eſt petere illa quæ iure negantur.

Iuuenal. ſat. 11.

> *—nec enim loricam poſcit Achillis*
> *Therſites, in qua ſe traducebat Vlyſſes*
> *Ancipitem.*

Illa etiam contumelioſè petuntur, & cum irriſu, quæ à quibus petuntur, his prius erepta ſunt. Sapienter ea, quæ apparet petenti magna & neceſſaria eſſe, eademque tribuenti prona & honorifica. Contra, eſt hominis præpoſteri anxiè, aut adulatoriè petere illa quæ ingenium, facilitas, facultas præſtantis, ipſa æquitas vltrò promittit.

Sophocl. Oed. Col. 310.

> —† λιπαρεῖν γὰρ ὖ χρεὼν
> δίκαια προσαιτίζουσι.

† blandè ſupplicare non decet eos qui iuſta petunt.

Nihil ſtolidius illis, qui etſi ſunt miſeri & proſtrati, tamen precibus audent inſerere dicta ſuperba & inſolentia. Talis fuit vecordia legatorum vrbis Romæ ab Alaricho obſeſſæ, quorum hæc fuit iactantia, Si non æquis, inquiunt, conditionibus de pace tranſigetur, enimuero populus Romanus aſſuetudine armorum exercitus pugnam minimè detrectabit. Ibi Gotho motus riſus ſimulque bilis. Et verò miratus magis quàm miſeratus ignorantes, aut diſſimulantes conditionem ſuam, Spiſſius fœnum, inquit, faciliùs metitur quàm rarum. Neque hîc ſtetit ferocia victoris. Nam illos eoſdem vmbraticos Romanos dein agitauit vt mancipia. A' quibus quidpiam petitur humanitas impetrare debet vt non alia negent, quàm quæ non ſunt in ſua manu. Semper iniuſta quorumque repulſa ipſus petitor poſtmodum

Zoſim. lib. 5.

Claudian. li. 2. de laudib. Stilich.

> *Gaudeat, & quicquid fuerat deforme mereri.*

CAP.

CAPVT LIV.

Cuiuſmodi mendacium vitare legatus, cuius item ſubſidio vti poſſit.

NE ægrè ſit legatis, quòd hic moneantur à me ne opes ingenij collocent in volubilitate linguæ. Hinc enim moleſta dicacitas, ſtultiloquium, vaniloquium. Quæ ſane ſunt propria coruorum forenſium, qui mercenario crocitu alienas aures delaſſant. Quorum fruſtra ſit quiſquis audeat eſſe caſtigator, cenſorque. Ne illos hîc nominem propudioſos circulatores, quibus quòd vita eſt in artibus nugatorijs, vſus eſt vt ſint blaterones, falſidici & confidentes. At legati dicta & pauca, & vna forma volo eſſe percuſſa; ne is, ſiue prudens, ſiue imprudens, Peleum faciens ex Oeneo, intimos riſus auditori præbeat. In multiloquio facilè obrepit mendacium, cuius facies mirè deformis eſt. Illud etiam teterrimum quod inſidioſè concinnatur. Certè cuius iuſſu legatus mentitur, is aut ignorat fortunam ſuam, aut fatetur puſillam. Priſci Ægyptiorum principes patrio inſtituto torquem aureum lapillis diſtinctum, cui nomen veritas, collo decus geſtabant, inſigne, videlicet, genuinæ veritatis, quæ eſt coruſco ſydere pulchrior; vt docerentur, ſe nulla re magis honeſtari, quàm nitore vitæ, & ſimplicitate ſermonum; quorum vtrumque in legato conſpicuum eſſe debet, cùm is non ſolùm ſit legatus negotiorum, ſed & morum. Sæpe enim moribus legati ipſa negotiorum & legationis aſperitas lenitur. Cuius rei luculentum ſpecimen præbuit Narſes Perſarum legatus ad Conſtantium Imperatorem. Contra, nulla re negotia magis turpari & corrumpi conſtat quam fœditate

Vſurpat Athen. lib. 9.

i. aliud pro alio dicat.

Diodor. Sic. li. 2. Antiq.

Petr. Patr. ecl. legat. 18.

morum, ac dehoneſtamento mendacij: Prometheus apud Æſchylum laudat Mercurium nuncium & miniſtrum Deorum ex eo quod eſt, † σεμνόστομος γε καὶ φρονήματος πλέως ὁ μῦθος, ἐστὶν ὡς θεῶν ὑπηρέτου. Cæterùm hoc tam horribile monſtrum, cui eſt mendacio nomen, eſt bifrons. Nam aut ſupprimitur verum, cum illud audienti & prolato, & ſcito opus eſt; aut ſcienter firmatur falſum. Vtrumque eſt hominis mirè inquinati. Ergo volo legatum niti veritate certiſſima virtutum, eiuſque fido comite, parciloquio. Non ſum tamen ita ruſticè toruus, vt officioſum mendacium omnino excludam ex ore legati. Nempe ſi id agitur, vt errato ignoſcatur, vltio remittatur, innocentia ſubleuetur. Deme appellationem, & rem ſpecta. Odio amoto, quod eſt in vocabulo, manebit ſola gratia rei. Certe, obſeptis alijs iuuandi periclitantem itineribus, equidem non habeo ambiguum quin hoc ingrediendum ſit, quamuis obliquum. † Ὑπολαμβάνω τὸ ψεῦδος ἐπὶ σωτηρίᾳ λεγόμενον, inquit Diphilus, οὐδὲν περιποιεῖσθαι δυσχερές. Simile eſt dictum Darij relatum ab Herodoto, Cùm, inquit, expedit mendacium dici, dicatur, hoc eſt, vt ego interpretor, Cum mentienti proba mens eſt, laxetur ori frænum. Neque enim aliter lingua eſt falſiloqua, quàm ſi mens ſit improba. Non refert quale ſit linguæ miniſterium dum ea ſit interpres bonæ mentis. Æternùm manebit encomium illius, quæ

Vna de multis face nuptiali
Digna periurum fuit in parentem
Splendidè mendax, & in omne virgo
Nobilis æuum.

Sciſcitanti Neoptolemo † Οὐκ αἰσχρὸν ἡγῇ δῆτα τὰ ψευδῆ λέγειν; Vlyſſes reſpondet, † Οὐκ, εἰ τὸ σωθῆναί γε τὸ ψεῦδος φέρει. Tali mendacio tam princeps quàm principis iuſſu legatus vti poteſt. Annibal cùm Africa exceſſiſſet, & in Corciram inſulam traieciſſet, *percunctantibus legatum ſe Tyrum dici iuſſit.* Hoc quo-

Æſchyl. Prometh. 58.

Herodot. lib. 3.

Horat. li. 2. carm.

Sophocl. Philoct. 381.

Liu. lib. 23. 137.

† o... do, & prudentiæ plenus eſt ſermo eius vt famuli Deorum.

† Exiſtimo mendacium pro ſalute dictum nihil parare infortunij.

† Non turpe putas mendacia loqui?

† Nō ſi ſalutem mendaciū fert.

que perfugio vſus eſt Xenophanes princeps eius legationis quæ à Philippo mittebatur ad Annibalem. Quippe hi legati petentes Capuam media in præſidia Romana illati ſunt, deductique ad M. Leuinum Prætorem circa Nuceriam caſtra habentem. Ibi intrepidè Xenophanes legationis princeps à Philippo rege ſe miſſum ad amicitiam ſocietatemque iungendam cum populo Romano, mandata habere dixit ad Conſules populumque Romanum. Porrò eum qui legatione aditur, ſi mendacium ſibi dici ſcit, præſtat ſuaſu humanitatis diſſimulare intellectum, quàm inhumana perſpicacia loquentem arguere. Maius eſt, rogatu amici rem diluentis, non agnoſcere factum, quàm ignoſcere, & opinionem acceptæ iniuriæ, licet præiudicatam, legato condonare; ac tempeſtiua facilitate perficere; vt qui clementia purgatior eſt quàm argumentis, iure tamen abſolutus videatur. Hoc quidem eſt ſine vlla exceptione facere cunctam gratiam, & oſtendere, non ſolum vincere ſe poſſe ſed & vinci ſcire. *Liu. lib. 23. 186.*

Quiſquis plus iuſto nòn ſapit, ille ſapit.

Ergo principi in quibuſdam honeſtius eſt decipi, quam reum peragere illum, qui ſeruatus iturus eſt in exemplum humanitatis & clementiæ. Illa demum vera eſt venia, quæ ita datur, vt appareat teſtimonium probitati. Quid, quod interdum in magno mendacio poſitum eſt omne momentum legationis? Sæpe, ſcilicet, legatio non in aliud deſtinatur, quam vt tale mendacium dici poſſit. Tunc verò ne illud ſtatim perluceat, legato diligenter eſt cauendum

Primo ne medium, medio ne diſcrepet imum. *Horat. in Arte.*

Huic autem, quanquam mendaci legationi ita ignoſcitur, ſi cui mendacium dicitur; eius perniciei non eſt inuentum; ſed illorum ſaluti, quibus aut per prærupta, aut hac ſemita eundum fuit. Exemplum talis legationis eſt in libro Ioſue, ad quem ab

Gabaonitis miſſi ſunt legati, qui ſe non ab gente contermina, ſed ab longinqua miſſos dicerent, fœdus & amicitiam petentes. Quibus conceſſis, rituque ſolenni firmatis, dolus patuit, & mendacium retectum ipſis ab Ioſue exprobratũ eſt. Sed cùm illi hanc vnam ſalutis viam ſibi ab neceſſitate monſtratam dicerent, reputatione caſuum humanorum Iudæus ad miſerationem euictus fidem datam firmauit; atque id omne negotium ratum eſſe iuſſit. *Gen. cap. 12. & 20.* Simili mendacio Abraam hortatus eſt Saraim vxorem ſuam, vt pudicitiam ſuam tegeret aduerſus regem Ægypti Pharaonem, poſtea etiam aduerſus Abimelec. Sed hæc illi prouidentia & regibus infeliciter ceſſit. His mendacijs accedunt prudentia, quibus perſæpe in exercitu conſtantia retenta, & virtus alta, & coalita, dum ſpes pro re oſtentatur, cùm hæc præſtari non poteſt. Quo veluti ſubſidio non raró magnorum exercituum moderatores ad *Agath. li. 1.* victoriam, felicitatemque peruenerunt. Talibus adiumentis, exemplo ducum, ſæpe vſi ſunt legati. Stephanus ab Narſete legatus ad eos, qui Fauentiam ex clade à Francis accepta confugerant, callido mendacio firmauit, Lucenſes ab Narſete captos; cùm tamen etiam obſiderentur.

CAPVT LV.

An figuras, & iocos legatio admittat.

MEndacio affinis eſt ſermo is, qui procedit per figuras, iocoſque. Neutrum legatio admittit, aufertque ridicularia, quia vbique amat aſpici & retinens grauitatis, & inimica ſcurrilitati. *Plin. lib. 8. ep. 6.* Vt vrbanitas, ſicuti quidam veriſſimè dixit, non decet ſenatum, ita quoque condimentum negotij publici eſt

prudentia non iocus. Aut me fugit memoria, aut nulli legationi iocos admixtos legi. Niſi fortè huius generis ſit illud Choſrois, cùm per legatos Iuſtiniano gratulatus eſt de victoria Beliſarij contra Vandilos Aphricanos. Simulque ſibi partem prædæ mitti ioculo ab Imperatore petijt. Neque enim eam adeptus eſſes, inquit, niſi fœdere priùs nobiſcum inito. Placitus eſt Iuſtiniano iocus vſque eò, vt ioco dictum à Perſa ipſe ſeriò præuorterit, miſſis per legatos ad eum opulentis donis. Nempe, *Procop. lib. 1. belli Perſ.*

——ridiculum acri

Fortiùs, & meliùs magnas plerunque ſecat res. *Horat. lib. 1. ſerm. ſat. 10.*

Sed ioci plus fuit in re, quàm in verbis; iſque legato mandatus, non ab ipſo incogitanter, aut per laſciuiam prolatus. Hac ratione ſobriè legato, verecundèque vtendum; ne quem iocum ipſe putat mellitum, alieno guſtui ſit acidus; quod ipſi eſt vrbanum, alienum apud animum inamareſcat. Equidem malo nudari pectus, & rem legatum ingenuè eloqui, quàm vlla amaritie prodere animum inuiſorem alienæ felicitatis, aut irriſorem infelicitatis. Tali † μυκληκισμῷ vſus eſt Hieronymus tyrannus Syracuſanus, cùm legatis Romanis cladem Cannenſem exprobrauit ſæua ſanna. Huic tanta amaritudine iocanti denique legati reſponderunt, *Se ad eum redituros, cùm ſeriò legationes audiri cœpiſſent.* Iocis affines ſunt apologi, qui aliquando inter ſermones legationum vſque eò ſunt recepti, vt reſponſa data legatis, & caduceatoribus fuerint meri apologi; vt illud Ioæ regis Iſrael, à quo legatio Ameſiæ regis Iudæ multo lepore excepta eſt. Seculis quidem ſimplicioribus omnium grauiſſimas legationes per apologos feliciter perfectas conſtat, teſte Menenio Agrippa. Cyrus legatis Ionum & Æolienſium reſpondit per apologum ſcitè, fabreque. Ac præter legationes ingentia negotia per apologos ſæpe acta ſunt & peracta. Huius exempli eſt fabula Themiſtoclis de vulpe & muſcis; Demoſthenis

† ſanna.

Liu. lib. 24.

Zonar. in actis herum regg.

Herodot lib. 1.

de lupis & paſtoribus, Syllæ de agricola & pediculis, Petri legati Romani de volubilitate rotæ, & rege Seſoſtride; etſi ea veriùs eſt hiſtoria quàm fabula. Ergo admittantur ſanè ab legato & ioci & apologi, ſed à quibus abſit ſcurrilitas & acerbæ facetiæ, quibus inſunt contumeliæ, & iniuriæ, malaque quæ ſunt ex ijs. Sales, ſi ſe offerent, aſpergantur, dum commendentur ingenuitate, neque longiùs abſint à grauitate. Nam ſumma laus legati eſt loqui grauiter, reſpondere ſapienter, refutare fortiter, denique pugnare gladio, non volſellis. Cum ingenuitatem laudaui in legato, non ſolum eius verba ſpectaui, ſed & res. Prudens eſt monitio Demoſthenis, Legatum non tantùm debere afferre verba, ſed res ipſas exhibere. Quippe ſi legatus eſt nuncius & perlator mendacij, ſibi & illi à quo miſſus eſt, dira imprecatur. Id quod ſublatis manibus affirmauit Maniach Turcarum legatus. Alibi etiam Demoſthenes docet, quàm totus in eo legatus eſſe debeat, vt ſe præbeat veridicum, incorruptum & integrum. Id quod eò pertinet, vt ne is vnquam defugiat autoritatem ſuam. Apage iſtos vulpiones, qui tum demum mirificè ſe ſperant eſſe callidos rerum, ſi res obſcurant, & confundunt. Nam primò ſuam facilitatem oſtentant; & quod nullo cum effectu promitti poſſe rentur, vltro & prolixè pollicentur. Sæpe etiam de ijs queruntur, per quos aut negotium impeditur, aut retardatur. At cùm tempus eſt promiſſa ad rem conferri, qui fuerunt dictis dapſiles hærent in re, ac veluti incluſi carcere naſſæ, ſuffugia circumſpectant, etſi eos res ipſa compeditos tenet. Aliud eſt eſſe callidum hominem & ſolertem; aliud, fallax ingenium fallendo terere, & concenturiare in eo de Sycophantias. Itaque probatur mihi legatus ingenuus, & aretalogus; ambulans via regia, non veſtigia, aut ſemitas faciens per deuia; denique rectà iens, non ex tranſuerſo, aut receſſim rurſum vorſum. Præſtat abſtinere legatione quàm non

Demoſth. Olynth. 2. 6.
Menand. ecl. legat. 87.
Demoſth. de fal. legat. 215.

habere lubidinem peragendi rem omnem. Arnus quidam Epiſcopus, & Hunricus Abbas à Duce Baioariæ legati ſunt ad Papam in hoc, vt ipſo autore pax fieret inter Ducem & Carolum Magnum. Cùm accurato rogatu Pontificis Rex promptum ſe, paratumque oſtenderet, atque ibi res eſſet vt perageretur, Pontifex quæſiuit ex legatis, ecquod promerent ſtabilimentum pacis. Illi de ea re reſpondent, nihil ſe habere in mandatis, ac ſibi nihil poteſtatis vltra datum, quàm vt reſponſum principi ſuo referrent. Enimuero Papa barbara fraude exacerbatus, vt miſſos ad fallendum anathemate, nempe fatali telo, puniuit.

Annor. lib. 4. cap. 79.

CAPVT LVI.

Quanta debeat eſſe religio legati in ſeruandis mandatis.

SOlennis eſt quæſtio, An iuſta de cauſa liceat legato ſoluere religionem mandatorum. Neque enim de ijs loquor, qui illa premunt, contrahunt, extendunt, mutant mobilitate, temeritate, metu, contemptu. In re quidem militari quàm tutum ſit egredi iuſſa ſummi ducis, dura illa & inexorabilia pectora docent Epaminondæ, Manlij, Poſthumij, Sempronij. Idem in Repub. rigor. Ideo quia & domi & militiæ imperium conuellitur ſimulatque minuitur obſequium. Et apud quos publici decreti, & cœleſtis vocis non eſt par reuerentia, certè ibi omnia ad incertum reuocantur; eique Reipub. hinc magnum portenditur periculum. Ideo prudentes nihil quicquam crediderunt peſtilentius, quàm ſi mandata ſapientiæ principalis, aut conſulta ordinis ampliſſimi perſtringantur priuata veſania. Ergo hæc publici conſilij debet eſſe maieſtas, vt, quæ primores inuenerint, princeps librarit, librata elegerit, ſepoſuerit, creuerit conſtantia.

Polyb.lib.1. hiſt. ſanciantur, & fidelitate obſequij. Teſtis eſt Polybius, decretis Romani Senatus ineſſe neceſſitatem. Neque enim aliter aſſeritur ſapientia & potentia, ex quibus eſt maieſtas. Hanc ipſam neceſſitatem diſertim ex- *Appian. in Lyb.* preſſerunt COSS. miſſi ad diruendam Carthaginem. *Porc. Latro in dec.in Catil.* Hoc idem fuit inſtitutum Carthaginienſium, *qui Hannonem ſuum morti condemnarunt fortiſſimum, ac triumphalem virum, quod is edicto Senatus minùs obtem-* *Xenoph.hiſt. Græc.lib. 7 486.* *perauiſſe putaretur.* Itaque cùm legati Perſarum à legatis ciuitatium Græciæ exigerent iuſiurandum, legati ciuitatum promptè reſponderunt, Se non fuiſſe miſſos ad iurandum, ſed ad audiendum. Ad hęc exempla quoties legatus auſu temerario violat paginã mandatorum, audacter dico, capital facit. Hoc ſciri voluerũt *Ælian.variar.hiſt. lib.6.* Athenienſes, qui legatos ſuos miſſos in Arcadiã, quãquam re bene geſta, & laudis compotes domum reuerſos capite punierunt, quod alio quàm quo ipſis mandatum fuerat, itinere ierant. Hæc ſanè legati religio nõ hùc tantùm ſpectare debet, vt nõ aduerſus, ſed vt ne is vltra quàm ſibi iniunctum eſt, negotij quidpiam gerat. Atilius Conſul ab Senatu miſſus in Græ- *Pauſan. lib. 7.* ciam vt Athenienſes & Ætolos contra Philippum tueretur, præterquam Senatus mandauerat, Hæltiæã, & Anticyram expugnauit, & euertit. Quare Romam nuntiata, Senatus cenſuit vt quamprimum Atilio *Herodot. lib.5.* Flaminius ſucceſſor mitteretur. Et legati Athenienſium miſſi ad Artaphernem Præfectum Sardium, quod ei petenti terram & aquam regi Dario, inconſultu Reipub. dederant, legibus cauſam dixerunt. Memorat Valerius, legatos, qui a Senatu Tarentum *Val. Max. lib.2.cap.1.* ad res petendas miſſi fuerant, *cùm grauiſſimas iniurias accepiſſent, vnus etiam vrina reſperſus eſſet, in Theatrum introductos legationem quibus acceperant verbis peregiſſe. De his quæ paſſi erant, queſtos non eſſe, ne quid vltra ac mandatum eſſet, loquerentur.* Quamuis hoc ipſum alij aliter tradant, vt infra dico. Hæc cùm ita ſint, nulli legato tam proiecta eſſe debet maieſtas principis, &

Senatus

Senatus autoritas, vt ſibi quicquam licere putet præ quàm mandatis continetur. *Nos verò*, inquit Menippus apud Liuium, *nec volumus, nec poſſumus paciſci quicquam quo regnum Antiochi minuatur.* Enimuero non ſolùm legato, ſed illi, quiſquis eſt, qui agit negotium publicum, aduertenda & religioſe obſeruanda ſunt verba Poſthumij Conſulis victi apud Caudium. *Nec à me*, inquit, *quiſquam quæſiuerit, Quid ita reſponderim, cùm id nec Conſulis ius eſſet; nec illis ſpondere pacem quæ mei non erat arbitrij, nec pro vobis, qui nihil mandaueratis, poſſem.* *Liu. lib. 24.* *Liu. lib. 9. 531.*

CAPVT LVII.

Quando liceat legato diſcedere à religione mandatorum.

QVæ omnia etſi ita vera ſunt, vt ne illa quidem antra Pythia plus fidei ſpirent, tamen ab hoc vero flectendum ad aliud non minùs verum, quoties res mutantur, & hinc progignuntur eæ neceſſitates, quæ non expectant noua iuſſa, & conſilia ſera. Siquidem mandatis ea continentur quæ præuideri & præcipi potuerunt. Sed quæ ſunt ſupra mortalem prouiſum relinquuntur, ſcilicet, dexteritati fideique legatorum. Quippe præſentia conſilia, qualiacunque ſunt, præſtat rapere, quàm illa quærere quæ nuſquam ſunt: nedum longinqua expectātur proxima effluāt, atque interim ſubducant ſe & occaſiones, & momenta rerum gerendarum. Remedia hæc ſubitanea vt neceſſitas excuſat, ac fides ſuadet, ſic induſtria dirigit, & felicitas commendat. Ergo ſicuti inter priſcas leges hæc eſt, *Salus populi ſuprema lex eſto*, ad eundem modum equidem præſcribo legato, vt ſalus Reip. ſit ei ſuprema lex; ſibique ipſe ſit Senatus & princeps; vt quod illos ſciſcitaretur, ſi poſſet, idipſum promat è *Cic. lib. 3. de leg.*

ſuo pectore & publicam rem ſuæ fidei creditam pro ſua fide gerat. Deniqueintelligat, nunquam ſe recto decrraturum, ſi oculos intendet in axem hunc inocciduum. Vt enim qui tranſit amnem vorticoſum, ſpumoſumque eſt ore ſublimi, oculoſque in aduerſam ripam ſemel coniectos ne obliquat quidem, nimirum ne turbido viſu oculi varient, cor trepidet, pedes captentur, poſtremò malè pereat; Sic legato verſanti inter ardua, & confragoſa muneris ſui, interque tot rerum minitantia vndique murmura, maximè animus eſt erigendus, & in ipſa difficultate eſt excitanda virtus maſcula, ne in hoc æſtu circumagatur, aut improuidus incidat, aut impetu impingat ſcopulis. Itaque vtcunque in alto ventus eſt, exin velum, vt ille ait, vortendum; ac legato ſic ſtatuendum, ſibi non ita data eſſe mandata, vt ſint, veluti fatum, immutabilia, ſed plus vtique ſpei repoſitum eſſe in ſua fide, quàm in ſcripto, illiſque quæ ſors agitat ex lubidine. Quapropter vbi rerum facies mutatur, ibi quoque mutanda eſt ratio expediendæ prudentiæ, & promendi conſilij. Poſtremò ſciendum, ſcriptis mandatis ineſſe plus conſilij quàm imperij, multum autoritatis, minimùm neceſſitatis; accipi vt immutabilia cùm ſpectatur reuerentia principis & imperij; dari vt mutabilia, reputando neceſſitatem, eiuſque clauos trabales, quibus figuntur humana. Si ipſæ leges, diuina vox, quandoque refiguntur; ſi dux ſibi celere conſilium occupat in acie, gubernator in mari, gladiator in arena, quî minùs legato liceat vti foro, & mandata mutare, tranſcendere, corrigere, atque ad præſentem vſum accommodare? Ad placandum Alexandrum Lampſacenis omnia dira minitantem ciuitas legauit Anaximenem Philippo patri, ipſique probè notum. Rex cognito cui rei veniſſet, Græcorum Deos teſtes dedit ſe omnia facturum contra orata illius. Id Anaximenes reſciuit. Atque vt fuit in conſpectu, Per ego te Deos, Rex, amicitiamque rogo, inquit, vt coniuges &

Pauſan. lib. 6.

liberos Lampſacenorum redigas in ſeruitutem, vrbem exſcindas; ne templis quidem Deorum immortalium abſtineas. Hinc tantùm valuerunt hæ preces, vt temerarij iuriſiurandi vinculis ſolutus Alexander, ciuitati ignouerit. Ad hoc exemplum quicquid callidi conſilij euentus probabit ab legato non contumaciter vſurpatum, ſed neceſſariò inuentum, eum eripit calumniæ. Ea enim eſt quorundam felicitas, vt, quæ eſt promptitudo videri poſſit deliberatio, quæ celeritas, facilitas, quæ neceſſitas, conſilium; caſu etiam ab ipſis incœpta talia ſint, vt in virtutem trahi poſſint; quæ eò eſt amabilior quò eſt expeditior. Hāc ſumma ope cauendum eſt principi ne toruè aſpernetur. Amplexetur potiùs animum legati; faueat præclaræ conſcientiæ hominis præclari, qui ſcienter vſus eſt licentia mutandi, addendi, detrahendi mandatis, qua omnes publicæ rei curatores, in primis legatos, intrepidè vſos legimus. Legati ab Senatu miſſi ad Octauium, vbi ea quæ poſt ipſorum diſceſſum ab ordine ampliſſimo decreta erant, audiuerunt, non expectato iuſſu eius, in vrbem remearunt. *Appian. ciu. 3.* Eiuſdem Senatus legati miſſi in Græciam cognitores controuerſiarum, quæ Achæos inter & Lacedæmonios erant, *Pauſ. l. 7.* cùm obuiam habuiſſent Græcam legationem, quæ ad id ipſum Romam mittebatur, quamuis iniuſſu, domum regreſſi ſunt. Ab Senatu Romano denique laudatus fuit Callicrates legatus Achæorum, qui *Polyb. ecl. legat. 112.* contra ea mandata quæ ab ſuis acceperat, contendit, Achæos eſſe cogendos ea quæ ſtrictè ab Senatu ſuper reducendis exulibus mandata ipſis fuerant, obſeruare. Etſi Polybius accuſat potiùs quàm probat audaciam eius, qui auſus fuerit rem moliri omnibus Græcis potiſſimùm Achæis inutilem, parumque proſperam. Sic legati Ochoſiæ regis Iſrael miſſi qui conſulerent oraculum Accaroniticum, ſimulatque iis occurrit Michæas propheta, ei obtemperarunt iubenti redire ad regem. *Zonar. in actis Ochoſiæ filij Achaab.* Etſi dici poteſt, illud fuiſſe de-

cretum ſummi numinis, coram quo quantum eſt hominum humili ceruice eſſe debet. Hic offert ſeſe mihi P. Scipio Africanus, qui, S. C. ad ſe perlato de pace facienda cum Carthaginienſibus, vt obtemperaret in animum non induxit. Nec eſt quod credas Scipionem rerum ſucceſſu tumidum quicquam agitaſſe plus quam ciuile. Nam peccet in ipſam probitatem, cui ea ſit de Scipione opinio. Sed quia illi erat compertum, Carthaginienſes fallacem pacem petijſſe ab Senatu, vt eam aperto bello commutarent. Neque Beliſarius iuſſa Iuſtiniani allata per Dominicum & Maximinum Senatores & legatos priùs exequutus eſt, quàm negotio cum primoribus, adhibitis legatis communicato, vniuerſus conſeſſus ſcripto teſtatus eſt, e Repub. eſſe eam pacem (nam de pace agebatur) fieri. Eo demum conſenſu adductus eſt Beliſarius, vt Iuſtiniano dicto audiens eſſet. Cauſa hæſitandi non fuit animus contumax, ſed cupido inſtandi hoſtibus, & fides erga principem, de cuius felicitate hoc detrahi dolebat, quod ſibi facilis victoria prope è manibus eripiebatur. Cõtra Rufinus legatus Iuſtiniani, quamuis nulla licentia belli componendi, habitu ſupplici quæſijt à Choſroe vt placatus daret Imperatori pacem propitiam. Eique numerandum curauit quantum argenti antea pactum fuerat. Quòd ſi tali re legato adeſt facultas mittendi nuntios & renuntios ad illos, quorum res agitur, magna cura liberatur, qui habet noua mandata, quæ ſequatur. Petrus legatus Iuſtiniani cùm ad Amalaſſuntham proficiſceretur, Appolloniæ cognouit, reginam à Theodato compactam in vincula; aliaque quæ contra exiſtimationem Imperatoris acciderant in Italia. Ergo non vltra perrexit; ſed inibi ſubſtitit; deque omni re diligenter ſcripſit ad principem Et has quidem ob cauſas legato quandoque licet diſcedere ab religione mandatorum.

Zonar. lib. 2.

Procop. lib. 2. belli Goth.

Procop. lib. 1. belli Perſ.

Procop. lib. 1. belli Goth.

CAPVT LVIII.

De religione & poteſtate eius legati, cui data ſunt libera mandata.

CVi data ſunt libera mandata, etſi nullis videtur, tamen ijs vinculis adſtringitur quæ ſunt validiſſima, fidei, nimirum, & pudoris. Malo accipi vt incitamentum virtuti, quàm vt licentiam poteſtatis; ireque per veſtigia priſcorum Dictatorum, qui in ſumma licentia retinuerunt ſummam modeſtiam. Tempus ſummo magiſtratui adſignatum vix vnquam impleuerunt. Ipſo ſummo impêrio non ſunt aliter vſi quam ex vſu & neceſſitate Reipub. Hac eadem moderatione cenſeri voluerunt illi, quibus, ancipiti Repub. Senatus maximam poteſtatem permittebat Reipub. gerendæ priſca formula, Darent operam ne quid Reſpub. detrimenti caperet. Poterant exercitum parare, bellum gerere, coërcere omnibus modis ſocios atque ciues; domi, militiæque imperium, atque iudicium ſummum habebant. Sed tamen hoc tanto iure haud plus poſſe voluerunt, quàm quo appareret, non ipſos tantùm poſſe, ſed eſſe miniſtros illius populi, qui ipſus tantus eſſet. Ad hæc exempla ſuadeo legatis, vt à quocunque tantum iuris acceperunt, hunc modeſtia remunerent, & reuerentia. Denique libertate mandatorum non modò non licenter vtantur, ſed ea reddãtur proniores ad modeſtam formidinem. Legati Romani etſi ad plebem miſſi, cum ſummo iure promittendi quicquid illa poſtularet, tamen ſtatim vt Tribunorum plebis mentio facta eſt, rem nouam & inauditam Senatui ſeruauerunt integram. Contra L. Æmilio Conſuli, quod pacem Veientibus dederat æquam magis, quàm populo *Dionyſ. Halic. lib. 6.* *Halic. lib. 9.*

Rom. victori honeſtam, triumphum petenti obiecta eſt adrogantia, qui de legibus fœderis non retuliſſet ad ſenatum. Hæc modeſtia ſcrupuloſiùs fortè deſideretur ab legatis regum, quàm liberarum gentium. Iſti enim quia ſunt inter mittentes, ſicuti conſortes imperij, nihil in ſua Repub. tam reconditum eſt quod non peruiderint, ac proinde non neſciunt quatenus ſibi progrediendum, vbi ſubſiſtendum, quid larga manu dandum, quid contracta retinendum. At legatis regnantium, quamlibet lynceis, haud datum vt introſpiciant altitudinem ingenij, ac falſa ſimulationum, munimina regiorum pectorum. Ergo ipſos ratio circumſpectior magis decet. Quanquam ſi meo arbitratu vtrique faciant, ſummam licentiam condiant pari moderatione. Id quod huc pertinet, vt nihil præſtent niſi idem neceſſarium ſuis; nihil polliceantur quod non præſtare poſſint. Nam promiſſorum ſeruanda fides, etiam ab illo cuius eſt legatio. Punienda potiùs eſt temeritas legati, quàm illum, quiſquis eſt, deceptum pati. Quid Gonthare illo propudioſius, qui fidem Reparati ſui Areobindo datam ſteriſem iacere paſſus eſt, ereptis illi priùs bonis, mox vita? Hæc debet eſſe legati virtus animoſa, vt fidem publicam ab ſe datam de ſuo liberet; ſequaturque orbitam Q. Fabij Maximi, *qui de redemptione captiuorum cum hoſtibus cùm pepigiſſet, idque pactum à Senatu improbaretur, fundum ſuum ducentis millibus vendidit, & fidei ſatisfecit.* Neque tamen ſum neſcius, legatos magnorum imperiorum ſæpe multa oſtentando veriùs quàm pollicendo tentare an paucula confieri poſſint. Petrus legatus Iuſtiniani ad Theodatum miſſus poſteaquam egit cum Rege vt concederet Imperatori quibuſdam quæ memorantur à Procopio; eaque ipſe ad Iuſtinianum, qui Conſtantinopoli erat, deferret, Gothum trepidatio cœpit, quid ſe foret, ſi eæ cōditiones Imperatori non eſſent placitæ. Ea cura anxius Petrum, qui iam dederat ſe

Procop. l. 2. belli Goth.

Plin. de vir. illuſt. ca. 43.

Procop. li. 1. belli Goth.

in viam, ad ſe reuocatum arbitris amotis, rogitare cœpit, an eam rem pactam habiturus eſſet Imperator? Suſpicor, inquit, Petrus, fore ratam. Etſi minùs placebit, ait barbarus, quid me fiet? Tibin'? belligerandum. Hinc liquet, etiam in ſumma poteſtate quædam legatos tenere ſuſpenſa manu, atque ab ipſis tentari verius quàm tractari, ac proponi magis quam promitti aut ſanciri. Cæterum quantum in hac tanta poteſtate legatorum licentiam contrahi, tantumdem induſtriam extendi oportet. Adeò vt appareat, homini docto datam eſſe legationem, qui ipſus ſibi heuretes eſſe potuit. Priſca & nobilis eſt fabula, Lycomedem regem, rogatu Thetidis Achillem adhuc ephebum occultaſſe inter virgines illarum ornatu, eique nomen indidiſſe Pyrrha. Hunc legati Argiuorum cùm ab rege peterent vt ſuis ad bellum Troianum auxilio mitteret, Rex eum negitauit eſſe apud ſe; ac legatis quærendi hominis copiam fecit. Illi cùm ab cætera pube eùm dignoſcere non quiſſent, Vlyſſes princeps legationis expedijt hanc doctè fallaciam. In regio veſtibulo poſuit munera ſibi data. In his erat clypeus & haſta; eademque tubicinem canere iuſſit; ſimulque pulſari æribus æra, & collidi arma, & clamorẽ edi. Achilles hoſtem adeſſe arbitratus perniciter exſiluit; ac dilaniata ſtola, clypeo haſtæque manus iniecit. Hinc cognitio, & Græcis auxiliator Achilles. Sic Vlyſſi doctè vorſuto ſolers induſtria fuit pro certiſſimis mandatis. *Hygin. Fab. 96.*

CAPVT LIX.

An legatus cogi poſsit edere mandata.

ILlud clarandum, An ſi ab legato mandata poſcantur, is adigi poſſit ad exhibenda. Et ſi hoc licet an ad vtraque ſe porrigat ea vis, an ad aperta & occulta,

an tantum ad alterutra. Ego cenſeo ad neutra. Nam quiſquis ab ſuis attulit eas literas, quas ſupra fidei appellari dixi, quicquid loquitur aut agit, mandatis contineri creditur. Huius licet promentis inſpicere mandata, ſuperuacaneum, poſcere immodeſtum, extorquere impium & hoſtile facinus eſt. Nam legationi in eo ipſo vis fit, quo dempto, nulla eſt. Mandata dico, quæ huic muneri hoc ſunt quod anima homini. Nihil quicquam ſub cœlo minùs eſt alieni arbitrij quàm legatio. Atque adeò quod tota ſui iuris eſt, totum ſui muneris habet. *Nomen legati*, ait Cicero, *eiuſmodi eſſe debet, quod non modò inter ſociorum iura, ſed etiam inter hoſtium tela incolume verſetur.* Senatus Romanus, vt ſupra dixi, monet Achæos vt Romanorum legatorum apud ipſos ſit præcipua ratio; & in hoc ipſo Senatum imitentur. Id quod non ſolùm huc ſpectat, vt corpori curando neceſſaria eis præbeantur, ſed vt vſquequaque eis exponendæ legationis copia fiat. Ergo vt eſt legati bona fide ea enunciare quæ attulit, ſic tuum eſt dare ei libertatem orationis. Ne, dum indulges excordi curioſitati, imprudens violes iura mundi. At non ex animi tui ſententia legatio editur. Eóne ergo ſuccenſes? Tu, videlicet, ita circumſpectus, &, credo, ſic æquus, vt nihil abs te deſiderari putes? Quid, ſi negotium de induſtria implicatur? Ac ne ea quidem mente ad te legatio miſſa eſt, tibi ſatisfactum vt ſit? Num ea eſt culpa legati, qui alienæ voluntatis eſt perlator, internuntius, interpres? Denique edit eam & verbis & moribus illius, cui operam dat? Vide ne iniurius in legatum ſpecie humana ſis ingenio canino, neque illum referias qui te icit, ſed verberi inſultes; vt perperi illi, qui in ſacro Iouis Poliei, ſicuti illum non aduerterint cuius mactatu hoſtia concidit, ſecurim ceruice tinctam in ius trahunt. Aliena vitia tuis virtutibus fortiora fateare neceſſe eſt, ſi te abducunt à recta via morum optimorum. Atque adeò eas vereor

Polyb. ecl. leg. n. 88.

Pauſ. lib. 1.

vereor vt probes virtutes, quas aliena commiſſa tam facilè labefactant. Ergo cuique non quid quiſpiam meruit, ſed quid ſe deceat, ſpectandum. Quid, quod inter externa vitia patriam virtutem magis eniteſcere æquum eſt; eamque tunc potiſſimùm roborari, cùm peregrina temeritate tentatur? Sæpe etiam quam tu iniuriam clamitas, alieno palato merum ius eſt, quod tuus videre animus præ impotentia non potis eſt. Mala res te agitat qui in legati ſecreta tam irreligiosè irrumpis. Maneant igitur in ſcrinio, aut in ſinu mandata legati. Neque vlla ſit tam curioſa procacitas, quæ clauſtra tam ſancta perfringere audeat. Vide quàm nihil licentiæ in legatum permittam. Nam etſi is eſt manifeſtus imprudentiæ, fortè & nequitiæ, tamen tuum eſt hominem leniter carpere, ſimulque falsè, non acerbitatem promere, iracundè factum exprobrando. At, inquis, proferre legatus quicquid habet in mandatis, nulla circuitione, debet. Id ipſum puta fieri. Nam ita putare tuum eſt. At eo conſilio mandata extorqueo, vt liqueat, an cum ijs cohæreant verba legati. Ridiculè. Nam cum legatum audis, eâdem mandata legis. Cæterùm cùm is cuius legatio eſt, animo ſuo vſquequaque obſecutus fuerit, tuæ poſtea partes erunt, tibi qua ratione optimum putaris, proſpicere. In eo conſentient omnes, rectè te, atque ordinè feciſſe. At ſi id ſcelus ſuſcepiſti, vt legationi vim faceres, tu verò ipſi tibi, & vniuerſæ mortalitati peſtilente exemplo nocuiſti. Nec legationis malè geſtæ actio datur tibi, ſed illi cuius ea eſt. Tunc enim παραπρεσβεύειν dicitur legatus, id eſt, male & perfidè legationem obire, cùm priuati commodi anxius Rempub. aut negligit aut prodit. Hac infamia hodieque inſignis eſt Cotis, qui à fratre Mithridate Iberorum rege ad Claudium imperatorum miſſus, ab eo ſibi id regnum impetratum abſtulit, cuius perfidiæ ſupra mentionem feci. Demetrias filius Philippi regis Macedo-

Petr. Patr. ecl. legat. 15.

Liu. lib. 26.

niæ non coactus eſt in ſenatu proferre commentarium, quem à patre acceperat, ſed rogatus. *Neque enim obiectis patri ſuo criminibus reſpondere; neque multa ipſe docere dilucidè, neque ſenatus ea diſcere poterat; ſimulque tyrocinio, & perturbatione iuuenis mouebatur.* Has ob cauſas rogatu patrum conſcriptorum, protulit mandata, quæ vnus ipſe inſpexit & recitauit. Quinetiam Theodahado Iuſtinianus meritò ſuccenſuit, quòd ſuas literas inſcriptas primoribus Gothorum is, ſe præſente, quamuis iuſſu illorum, paſſus eſt legi. Quod ſi in ſola auditione tantum eſt culpæ, vt principes ea re excandeſcant, annon largiùs peccat is, qui arcana ſcripta eademque ſancta & tuta iure gentium, vi extorquet, inſpicit, legit?

Procop. li. 1. belli Goth.

CAPVT LX.

Quando legatus mandata promere debeat.

HIc monendi ſunt legati, vt, quomodo à nemine cogi poſſunt promere quod habent ſcriptorum arcanorum, ita ſanè ipſi ſua ſe volūtate cogant, cùm ea proferri opus eſt. Quid, quod ſæpe in hoc ipſum mandata ſcribuntur, vt illa ipſa pagina, quibus continentur, promatur? Phaneas Ætolorum legatus cùm tandem deſijſſet in hæc verba, Ætolos ſe, ſuaque omnia fidei populi Rom. permittere. Conſulque ad ea, Etiam, atque etiam videte Ætoli vt ita permittatis; Tum is decretum, quo id diſertim expreſſum erat, protulit. Popilius legatus Romanus viſo Antiocho, qui ad Ptolomæum venerat Pilusij obtinendi cauſa, eum elata voce procul ſalutauit; & protenta dextera, altera manu tabellas in quibus decretum Senatus perſcriptum erat, ei porrexit; primùmque illud legere Antiochum iuſſit. Id quod

Liu. lib. 26.

Polyb. ecl. legat. 158.

Polybius eorum amicitiæ datum ait. Synodus Ariminenſis cùm mitteret legatos ad Conſtantium, dedit eis & ſubſcriptiones, & nomina Epiſcoporũ, eo conſilio vt proferri poſſent. Ergo proferuntur quinque potiſſimùm de cauſis; Cùm quidpiam agitur tanti momenti vt promiſſa, dictaque legati firmanda ſint autoritate mandatorum, vt accidit Phaneæ. Cùm res non liquidò ſciri poteſt, niſi inſpectis mandatis, vt dixi de Demetrio & Senatu. Quibus addo Liberiũ Epiſcopum Romanũ, qui ab legatis eorum, qui ſectæ Arrianæ incumbebant, exegit profeſſionem fidei in ſcripta relatam. Cùm ea (quo nihil frequentiùs) quæ hinc inde acta ſunt & pacta, ſcripto comprehendi, iiſque illi omnes, quorum intereſt, ſubſcribere debent. Neque enim aliter cuncta ritè confici, ac planè, diſerteque ſcribi poſſunt. Ideo verò ſcribuntur, ne cui poſtea ſuam autoritatem defugere liceat. Denique ne qua ſuſpicio fraudis vtrinq; oriatur aut altrinſecus. Quartò, cùm legatus miſſus eſt ad cognoſcendum, iuſque dicendum inter implicitos litibus. vt enim decreta eius firma ra aque ſint, profertur illa ipſa mandati pagina, qua id iuriſdictionis continetur; ad eam prope formam, qua à procuratore mandatum exigitur, ſine quo non eſt procurator. Metellus cum aliis legatis miſſus in Græciam vt cognoſceret de iniuriis, quas Theſſali, & quidam Epirotæ Philippo obiiciebant, ab Achæorum magiſtratibus concilium petiit. Enimuero Achæi pernegarunt, ipſi, aut cuilibet alii ſe concilium daturos, qui ſuper qua re miſſus eſſet, ſenatus decretum non attuliſſet. Ergo ei promendum fuit decretum. Quintò & vltimò cùm legatio eſt odioſa, neque edi poteſt niſi ſimili oratione. Tunc enim monitu meo ſapiet legatus ſi abſtinebit verbis malè ominatis, quæque cenſentur malignè prolata. Ne cui bilis mota eſt, immemor iuris gentium, ipſum ludos peſſimos dimittat. Ad hoc, præcidendæ ſunt

Niceph. li. 9. cap. 40.

Niceph. l. 11. cap. 6.

Pauſ. lib. 7.

omnes cauſæ querendi, inſoleſcendi, eludendi, ſubterfugiendi, & procraſtinandi, reijciendi legationem, tanquàm a legato plus, aliterue quidpiam dictum ſit, quam ei fuit præſcriptum. Tali re ipſiſſima verba mandatorum è ſcripto recitãtur; aut ſcriptum ipſi principi, aut ſenatui traditur in manus, documentum fidei & religionis. Legati Senatus miſſi ad

Appian.l 3. belli ciu. Antonium veriti, vt Appianus ait † τῶν ἐντολῶν τὸ ἀλλόκοτον, nihil ipſi Antonio dixerunt, ſed mandata ſenatus ei porrexerunt; vt illhinc ipſe narret ſibi decretum ordinis ampliſſimi. Is quoque qui aditur, ſiquid tale ſubodoratus eſt, congreſſum legatorum

† mandatorum monſtroſum.

Zoſim.li.3. prudenter vitabit; ne & noceat ſibi, & imperio. Sibi, eo modo, quo dicitur Valentinianus, ſuperba & contumelioſa legatione redactus ad inſaniam; dein, ſanguine delapſo in os, extinctus. Imperio, ſi fortè ita conferbuit ira, vt indignè habeantur legati dictis, factiſue; atque hæc ſit origo ingentium cladium. Tunc ſimulato morbo, aut grauiori impedimento, delegantur qui legatos admittant, audiantque. Quo exemplo Antiochus legatos Senatus non audiuit,

Liu.lib.35. ſed id negotij mandauit principibus amicorum. Et quidem cùm Minius, cui præ cæteris data ea cura, ea reſpondiſſet quæ vix Antiochus auſus eſſet, tum Sulpitius legatus, *Fecit verecundè*, inquit, *Antiochus. Qui ſi alia pro cauſa eius non erant quæ dicerentur, quemlibet iſta quàm ſe, dicere maluit.*

CAPVT LXI.

Quænam ſunt quæ legatus aduertere debet, etſi nihil ad legationem pertinentia.

DVbitari poteſt, an quæ ad legationem nihil attingunt, ex his aliquid ſit quod ad curam legati pertinere poſſit. Vetus ſane verbum eſt,

† Anxiè inquirere aliena ne velis mala.

† Πολυπραγμονεῖν ἀλλότρια μὴ βούλου κακά.

Et ipſe quidem vt amo induſtrium legatum, ſic odioſè curioſum malè odi. hic enim vix probat apud ſe eſſe aliquid quod agat, qui aliena tam cupidè rimatur. Non tamen impedio aduerti notabilia, non vt ab inſpectore, & rimatore, ſed vt à ſolerte viatore. Qui obeunt legationes ſecum debent geſtare pectora multipatentia, eademque domicilia multiplicis virtutis, cuius omnia ſunt, quæ vbique eſt, cui nihil neque nimium, neque nimis arduum, ac ne alienum quidem eſt. Talium ſunt tria genera. Quædam eos reſpiciunt ad quos aditum eſt; quædam illos, quorum legatio eſt, quædam neutros. Primi generis eſt lis orta inter M. Antoninum & Rempub. Cuiuſmodi rarius aſpiciuntur, quàm

phœnix reparabilis ales. *Virgil. in Epigram.*

Nimirum Reſpub. amore pugnabat contra principem. Hic ſe aduerſus Rempub. modeſtia tuebatur. Ergo pulcherrimi certaminis ingenti ſtudio certantium, iudices inclyti lecti ſunt legati Parthorum & Rhodiorum. Equidem ſic puto, neque in maius decus, neque in excelſiorem claritudinem vtranque legationem ſublimari potuiſſe. Simile eſt illud quod memorant de Scipione Æmiliano; quem adoleſcentem admodum à Lucullo Conſule petendi auxilij gratia ex Hiſpania in Africam miſſum Carthaginienſes & Maſſaniſſa rex de pace diſceptatorem, velut *Val. Max. lib. 2. cap. 5.*

Conſulem & Imperatorem habuerunt. Alterius generis eſt factum legatorum Athenienſium, qui Spartam ad alia miſſi, tamen è re nata reſponderunt Corcyrenſibus, & quidem ex dignitate, vt adnotauit interpres Thucydidis. Satis ſcimus, conſuetudinem Romæ obtinuiſſe, vt præfecti prouinciarum, ſi quid noui de ſubito eueniſſet, id quale eſſet, ſummum imperium habenti Cæſari ſignificarent. Sic legati Romani, in quibus Cato, miſſi ad dirimendas controuerſias Maſſaniſſam inter & Carthaginienſes, regionem, & vrbem ipſam Carthaginem totam peruenati ſunt. Et verò cùm viſa retuliſſent Romam, de tertio bello Punico deliberari cœptum. Etſi enim talibus negotijs, & legationi diuidiæ ſunt, tamen quia legatus, vbicunque tandem eſt, ſuæ Reipub. curator eſt, his quoque ratione ſagaci adeſſe poteſt, vt fautor, conſultor, actor. Flaminius ad alia publicè miſſus ad Pruſiam, tamen Annibalem, victo Antiocho, fugientem veneno necaſſe dicitur. Publicola quamuis ad alia miſſus, Appium Clauſum multa opulentia, ac dignitate in Sabinis pollentem ſuo ſuaſu ad Romanas partes traxit. Denique & ipſum, & omnes clientes eius Romanos fecit. Sic legati Conſtantis, cognito puero, qui Drepani è filia hoſpitis Imperatori natus erat, id ei retulerunt. Qua re is mirificè gauiſus, puerum vnà cum matre Helena regio comitatu Romam ducendum curauit. Legati Francorum miſſi ad Aaronem regem Perſarum cùm per Africam iter facientes aduertiſſent locum vbi Carthago fuit, vt magnum munus petierunt & impetrarunt à Perſa reliquias Cypriani. Quæ poſtea in Europam vectæ, & Arelati exceptæ. Quod negotium Carolo Imperatori pergratum accidit. *Cum exequiæ Pauli Æmily celebrarentur, ac fortè tunc principes Macedoniæ legationis nomine Romæ morarentur, funebri lecto ſponte ſua ſeſe ſubiecerunt.* Mileſiorum legati Memphim miſſi multa reſponſa tulerunt de rebus maximis futuris, quæ memorantur à

Thucyd. lib. 1.
Niceph. Xant. lib. 2. cap. 8.
Appian. in Liby.
Appian. in Syr.
Plutarch. Public. 1. 196.
Niceph. Xant. lib. 7. cap. 18.
Sigebert. & martyrol. Adon.
Val. Max. lib. 2. cap. 5.
Strabo. lib. 17. 712.

Strabone. De iis quæ ad legationem, neque ad eos quos inter commeat, nihil pertinent, exemplum extat apud Plinium his verbis, *Qui mea ætate legati ex Arabia venerunt, omnia incertiora fecerunt. Quod iure miremur, virgis etiam thuris ad nos commeantibus, quibus credi poteſt, matrem quoque teretem enodi fruticare trunco.* Huius quoque generis eſt illud relatum à M. Tullio. Is laudat Macedonas legatos quòd in Plancium fuerunt officioſi. *Primùm*, inquit, *Macedonia ſic eum diligit, vt indicant hi principes ciuitatum ſuarum, qui cùm miſſi ſint ob aliam cauſam, tamen huius repentino periculo commoti huic aſſident, pro hoc laborant. Huic ſi præſto fuerint, gratius ſe ciuitatibus ſuis facturos putant, quàm ſi legationem & mandata ſua confecerint.* Vt legatorum diligentiam talia fugere non debent, ita quoque ſummo opere ab illis abſtineant cenſeo, quibus ſe ipſi & legationem turpant. Polydes legatus Lacedæmoniorum Platonem, illud oraculum ſapientiæ, ab Dionyſio tyranno ſibi traditum vt venumdaret, monſtrum hominis non dubitauit emptori mancipare. Sed non longum tulit. Nam haud multò poſt incidit in molares Deorum, prælio victus, atque apud Helicem ſubmerſus.

Plin. lib. 12. cap. 14. 193.

Cic. pro Cn. Planc.

Diogen. Laert. lib. 3. in Plat.

CAPVT LXII.

Quando legatus conſilium dare, quando accipere poſſit.

HIc mihi illud occurrit, An legatus illi ad quem miſſus eſt, conſilium dare debeat. Quippe conſilium legati tanti eſt, vt Plato loquens de iis apud quos conſilium eſt nullo loco, diſertim dicat, eos legatorum monitiones non admittere. Vt vel hinc quanti legatio, legatuſque ſit, ſciri velit; qui vnam hanc ex omnibus autoritatem excerpſerit quam aliis præferret. Itaque conſilium petitur aut non petitur. Si hoc eſt, næ ille impudenter impudens eſt, qui

Plato de repub. lib. 8. to. 3. 560.

in aliena Repub. non indiga externi conſilij odioſè ingerit improbam curioſitatem, atque id quod nemo deſiderat. Si petitur, aut pertinet ad legationem aut nihil eam reſpicit. Si hoc, nulla cauſa eſt quapropter conſilium fidenter petentem non conſilio fideliter adiuuet. Quippe ad homines prudentia inclytos itur haud minùs cupidè quàm ad longinquum, ac tranſmarinum oraculum. Iſti enim,

Lucret. lib. 1.

Multa benè ac diuinitus inuenientes
Ex adyto tanquam cordis reſponſa dedere
Sanctiùs, & multò certa ratione, magis quàm
Pythia, quæ tripode ex Phœbi lauroque profatur.

Si petitum conſilium aut totam legationem reſpicit aut eius partem, quærat fortaſſe quiſpiam, an amici perſona indui poſſit, legati poni, ac proinde conſilium amici promi, legati ſupprimi. Apage ſis iſtam vafritiem, quæ ea diuellit, quæ, quia communibus fidei radicibus hęrent, apud bonos ſemper ſunt indiuidua. Vt nihil vulgatius, ita ne quicquam quidem inquinatius iſtis, qui duabus, vt aiunt, ſellis ſedent, quorumque ora calefactāt ſimul ac frigefactāt. Tā ſceleroſus fuit Methrodorus quidā Scepſius ad Tigranem à Mithridate miſſus ad impetrāda cōtra Romanos auxilia. Hūc Tigranes percūctatus eſt, Tu verò quid mihi hîc Methrodore autor es? Ille, vt legatus, inquit, conſulo; vt conſiliarius deterreo. Potuit hic planiùs docere ſe eſſe hominem minimi pretij, qui ibi fuit conſiliarius vbi debuit eſſe legatus? Et quiſquam hunc à Mithridate immeritò punitum putet? Hoc certe propemodum eſt, contra patriam legatione fungi. Quod ſanè ob crimen Menalcidæ à Callicrate capitis dies dicta. Ideoque rectiſſimè conſtitutum eſt, ne procurator datus ad eligendum, alium ſuo, & alium domini ſui nomine in ſcrutiſſio nominet. Ne, ſcilicet, vnus (quod eſt turpiſſimum) ſibi ſit diſcors, & hîc probus & prudens appareat, illic excors & improbus. Fateor tamen, ab ijs qui peregre agunt negotium publicum, quandoque

Plutarch. in Lucullo.

Pauſ. lib. 7.

Cap. penul. de elect. & electi pot. l. VI. Decret. tit. 6.

quandoque conſilium ſapienter & officioſè offerri etiam alieno, etiam hoſti. Sed quicquid huius eſt, nimirum, tale eſſe debet, vt id luculenta probitas, & ex bonis factis claritudo & autoritas parta non ſolùm excuſet, ſed & validè commendet. P. Scipio pro munificentia Antiochi, à quo filium receperat, cùm in præſentia non aliud dare poſſet, fidele conſilium regi dedit; eiuſque legatum ſic dimiſit; *Abi*, inquit, *nuntia verbis meis bello abſiſtat, pacis conditionem nullam recuſet.* Ad hoc exemplum quomodo legati optimam conſilij dandi occaſionem nacti, illud benignè promere poſſunt, tanta, videlicet, moderatione, vt in eo non curioſi appareant, ſed officioſi, ita quoque ſi ipſis ab exteris conſilium datur, ei obtemperandum cenſeo. Nempe conſilium vtile, vndecunque eſt, amplectendum eſt. Quia vtilitas in Repub. eſt *Liu. lib. 37.*

iuſti prope mater, & æqui. *Horat. lib. 1. ſerm. ſat. 3.*

Legati Bocchi ab Sylla docti ſunt quomodo apud Marium, item apud Senatum verba facerent. *Salluſt. in Iug.* Non me animi fallit multa huiuſmodi ingenioſos cauſari poſſe. Quibus ego hoc reſponſo abundè ſatisfaciam, vt quamcunque rem legatus agere intendet, in id ſe comparet, acuatque vt naturam imitetur, cuius ingenium eſt conſociare, adunare, conciliare, non iras retractare, ſimultatum ſcintillas conflabellare, ferales faces regnis prouincijſque inferre. Dei nuntius eſt verùs quàm hominum quiſquis comitem ſecum ducit concordiam, quæ eſt radix, altrixque otij, ſeminarium bonorum ciuium, ſeges virtutum, denique illud bonum, ſine quo nemo nouit ſua bona. Denique in horum laudes & præſens ſeculum, & poſteritas infinita conſurget. Talis legatus dici verè poterit,

—*vox regum, lingua ſalutis,* *Incerti.*
Fœderis orator, pacis via, terminus iræ,
Semen amicitiæ, belli fuga, litibus hoſtis.

Hinc quoque ſciri maximè poteſt, quantum momenti ſit in perſona legati, cui in manu eſt fundare

concordiam regum, ac ſtabilire pacem gentium. Quod ego legatis ſubijcio ſicut præcipuũ caput, quò quicquid eſt negotiorum recte reuocatur. Omnia, ſcilicet, in hoc vnum præceptum arctantur, vt ſi pax eſt, hanc legatus alat, & firmet bona concordiæ. Si bellum, id agat vt pace finiatur, & expellat mala diſcordiæ. Qui hoc fixerit, ac memori pectore tractabit, nunquam ſe incapiſtrabit erroribus inextricabilibus. Hoc ideo intentiùs moneo quod hodierno die nimio plures nec ſibi, nec alijs videntur induſtrij, ſi non animos iam irritatos inſuper exacerbant. Hæc eſt quorumdam & ineptiſſimorum, & prauiſſimorum hominum feralis calliditas.

CAPVT LXIII.

Legatis non ſemper credi oportere.

HOc loco monendi ſunt illi qui legatione adeũtur, ne quidpiam ſpecioſo muneri temerè inſiſtant credere. Sæpe quod nulla vis perrumpere, quod nullæ technæ apiſci queunt, ad id ipſum mali mortales non verentur abuti ſanctitate legationis. Iugurtha ad Aulum Proprætorem miſſitabat ſupplicantes legatos, dum ipſe id agebat, vt Romanum dolis fatigatum circumueniret. Legatio Decebali Traiano promittebat ingentia; quibus imperator deluſus pacem illi dedit. Ergo tanta verſutia homines ideo legatos ſuos mittunt, vt interim parentſe bello. Quo aſtu vſus eſt Pompeius filius Magni aduerſus Antonium, eiuſque præfectos. Antoninus illud opprobrium Romani faſtigij, per legatos ab Artabano popoſcit ipſius filiam vxorem ſibi. Quo dolo Perſa prope eſt oppreſſus. Sic Velius quidam præfectus arci Tarentinæ petijt ab Aſdrubale vt abire ſibi incolumi liceret. Ea ſimulatione hoſtem perductum ad ſecuritatem, eru-

Salluſt. bel. Iug.

Petr. Patr. ecl. leg. 15.

Appian. ciu. 5.

Herodian. lib. 4.

Frontin. ſtratag. lib. 3. cap. 17.

ptione facta cecidit. Contra hæc vafrarnenta Diomedes obſecrat Mineruam vt ſibi adſit, quomodo patri ſuo, cùm is fuit miſſus nuntius ad Thraces, opitulata eſt.

† Αὐτὰρ ὁ μειλίχιον μῦθον φέρε Καδμείοισι *Iliad. κ.*
Κεῖσ' ἀτὰρ ἂψ ἀπιὼν μάλα μέρμερα μήσατο ἔργα
Σὺν σοὶ δῖα θεά, ὅτε οἱ πρόφρασσα παρέστης.

† Sed hic blandū ſermonem ferebat Thebanis illic, ſed retro abiens valde ardua patrauit facinora, tecum diua Dea, cùm ei prompta adfuiſti.

Sic Ariſthenus princeps Achæorum in concilio gētis ſuæ, quò aduenerant legati Romani, Attali regis, *Liu. lib. 32. 85.* Rhodiorum & Philippi, huius ſuſpecta omnia arguens ait, *Philippi præter legatum videmus nihil*, id eſt, omnia is machinatur in perniciem noſtram, dum nos ſuis legationibus diſtinet. Id doli ſtatim vt deprehenſum eſt, ſuis artibus deludi contra luſores æquum eſt. *Polyb. lib. 5.* Ptolemæus Philopator, exceptis humaniter Antiochi legatis, aliorumque qui de pace venerant, delectum nihilominus habuit ſumma diligentia. Solent prudentes legatis hoſtium, gentiumue inhoſpitarum multa, magnaque pollicitantibus haud aliter credere, quàm acceptis dubiæ fidei pignoribus. Legati Hircanorum petebant à Cyro, vt Aſſyrios bello perſequeretur, affirmabantque ea victoria nihil fore facilius. *Xenoph. lib. 4. Cyrop.* Enimuero Cyrus à Barbaris obſides petijt. Quos tamen ſibi oblatos remiſit, conſtituēs pignora fidei in animis hominum, & in veritate dictorum. Et cùm legati Iuſtiniani rogarent Choſroem vt ſicuti ſocius per fines Romanos iter faceret, annuit Perſa, ſi modò darentur ſibi obſides pacta fore ſancta. *Procop. lib. 2. belli Perſ.* Harum fabularum actoribus ſæpe dantur illuſtres legationes. Quo, videlicet, amplo, & ſpecioſo velamento magnæ fraudes teguntur. Sic ſæpe caligantes oculi inuitatrice larua ſtolidè capiuntur, dum ipſis ita ſeſe offert, vt ſi ſit viua Veneris effigia. Nempe hæ legationes vultum præ ſe ferunt immotæ ſecuritatis, cùm tamen ſubdolè ſerant negotia, & in media pace reperiant materiam belli.

CAPVT LXIIII.

De ijs legationibus quas vocant illuſtres, & obiter de ritu ſanciendi fœderis.

ETſi munus legationis, & quicquid ad eam pertinet, clarum eſt & illuſtre, tamen quibuſdam legationibus ineſt præ cæteris tanta ſpecies, tantoque paratu incedunt, vt illuſtribus peculiare nomen ſit. *Menand. ecl. legat. 97. & 133.* Certè vt alibi moneo, legimus fuiſſe magnas & paruas legationes. Etiam è magnis hæ maximæ dici poſſunt quibus nomen eſt illuſtribus, vt paulò poſt dicam. Hæ legationes plerunque ſolennibus mortalium negotijs peragendis deſtinantur. Eaque non alijs ferè creduntur quàm proceribus regnorum, & principibus ciuitatium, alijſque ſublimibus viris circûmfuſis eo ſplendore, ijſque ornamentis quæ imperij maieſtatem repræſentant. Fortaſſe & hinc tam nobile nomen adeptæ ſunt, quòd quicquid priùs ab alijs ſecretò agitatum eſt, idipſum opera harum legationum in media luce, atque in oculis hominum conſummatur, interuentu, vt dixi, illorum, quibus ingens decus, & claritudo, aut proprijs, aut maiorum meritis contigit. Denique haud ferè haſce legationes miſſas conſtat, quàm ad firmanda ea, per quæ oblitterantur ea mala, quibus auerruncandis ſæpe Deo admotæ preces, ſæpe pia vota ſuſcepta, quibus tandem numen & fortuna publica ſubſcripſit, fauitque. Huius generis eſt pax, & placida rerum quies, & quicquid ad eam ſtabiliendam maximè pertinet. Hæc legatio M. Tullio eſt pacificatoria. Cuiuſmodi eſt illa, *Cic. Philip. 12.* de qua Horatius.

Horat. lib. 1. ſerm. ſat. 5.

Huc venturus erat Mecænas optimus, atque
Cocceius miſſi magnis de rebus vterque
Legati, aduerſos ſoliti componere amicos.

Huius notæ legatos veluti proprio epitheto video vocari maximos, id eſt maxima dignitate, parique autoritate præditos. vt apud Menandrum, Hæc, inquit, cùm Tiberius Imperator Choſroi indicaſſet, immiſit Zachariam ac Theodorum qui maximorum legatorum vim haberent, omnemque facultatem ſtatuendi de ijs quæ ad pacem pertinerent. Pax firmatur fœderibus, ad quæ ſancienda plerunque mittuntur quoque illuſtres hæ legationes. Huius generis fuit illa Athenienſium ad Thebanos, quæ reſpondet legationi Philippi. Nam cum Philippus à Thebanis tranſitum peteret ad bello vexandos Athenienſes, iſti hac legatione vltro fœdus inierunt cum Thebanis. Hæ quoque legationes proprio epitheto quodammodo appellantur ſalutares. Nempe, & oppida, & totas nationes eximunt periculis belli. Certè Ariſtides exaggerat beneficium Athenienſium, qui Argiuos ſeditionibus laborantes, Cretenſes mutuo ſe bello terentes compoſuerunt. Dicuntur ergo maximæ, ſiue maiores legationes, ſicuti agentes de re maxima & optatiſſima; nimirum de pace. Vbi aduertendum, hoc genus legationum commeare ad pacem faciendam, non ad emendam. Nam principi nunquam non eſt negotium plenum fœditatis pax pecunijs redempta. Ea re ſapienter Mauricius Imperator edixit Philippo genero ſuo ampliùs cum Perſis agere de fœdiſſimis inducijs; irritatus efferatis vocibus Merodis ſatrapæ, qui ad ipſum miſſus fuerat. Quippe is Merodes, inſpectante, & audiente exercitu, auſus eſt dicere, Debere Romanos magno auro & opulentis donis pacem emere à Perſis; Quibus, videlicet, magna multa pecuniaria animus placari poſſet; ne Romanis pro pœna & ſupplicio imponant neceſſitatē belli. Inter illuſtres legationes locus aſſignatur illis quarum ope magnum aliquod & admirabile facinus patratur. *Clara*, inquit Liuius, *ea per gentes legatio* [Romana] *fuit*, quòd haud dubiè

Menand. ecl.leg.142.

Ariſtid. ἀθλω. ἐν συμμ.44.

Theophyl.de legat. gent. ad Rom.cap. 1. 57.

Liu.lib.33. 193.

adempta Antiocho Ægyptus habenti iam; redditumque patrium regnum ſtirpi Ptolemæi fuerat. Cæterum fœderum facta mentio poſtulat vt dicam obiter, fœdera quamlibet gentem ſuo ritu ſancire, Scythas quidem ferino, nempe eliciendo, lambendoque inuicem cruore. Quæ acutiſſimo theologo ſunt tragica fercula. Alij tantùm negotium peragũt, traditis vtrinque lanceis Deos ſuos teſtati. Alij libaminis ac rei diuinæ & precationum interuentu, quale eſt illud, de Priamo & Agamemnone; & proceribus tam Troianis quàm Græcis.

Herodot. lib. 4. Tacit. li. 12.

Tertull. in Apolog. Xenoph. li. 2. de exped. Cyri.

Homer. 3. Iliad.

——† ἀτὰρ κήρυκες ἀγαυοὶ
Ὅρκια πιστὰ θεῶν σύναγον. κρητῆρι δὲ οἶνον
Μίσγον, ἀτὰρ βασιλεῦσιν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευαν,

& quæ ſequuntur, illud potiſſimùm,

† Ζεῦ πάτερ, Ἴδηθεν μεδέων, κύδιστε, μέγιστε,
Ἠέλιός θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις, &c.

† Sed præcones ſplẽdidi iuramenta fidelia deorũ contulerũt. cratere autem vinum miſcuerũt, & regibus aquã in manus fuderunt.

† Iupiter pater ab Ida imperans; glorioſiſſime, maxime, ſolque qui omnia vides & omnia audis, &c.

Alij cæſa porca, vt Romani; aut potiùs vt placet M. Varroni porco. Quod fuit primum immolandi genus, vnde, ſequenti æuo, mos pecoris mactandi. ſumptum, vt innuere videtur idem Varro, ab antiquis Hetruriæ regibus, primoribuſque, in quorum coniunctione nuptiali noua nupta, & nouus maritus priuum porcum immolant. Qua ratione lares placari ſolitos, docet illud,

Varro de re ruſt. lib. 4. cap. 2.

— immolet æquis
Hic porcum laribus.

Horat. li. 2. ſerm. ſat. 3.

Inde ferire fœdus, vt apud Ennium,

Accipe, daque fidem, fœduſque feri bene firmum.

Macrob. lib. 6. ſat. cap. 1.

Is ergo ritus hinc tranſijt ad fœdera in quæ, vt fieri ſolet in ſponſalibus, vtrinque porriguntur, implicanturque dexteræ, quod eſt inſigne innodatarum voluntatum. Atque ego, etſi non aduerſor Feſto, tamen auſim firmare, porci effigiem inter ſigna militaria quintum locum ea re obtinuiſſe, quòd eo ſimulachro exprobrabantur hoſtibus violatæ religiones, & rupta fœdera. Niſi quis malit ita accipere, ſicuti

domeſticis laribus ſic ſatisfieret, tanquam ita relictis, vt nihilominus inter ipſos armorum ſtrepitus colerentur. Cæterùm fœdera in priſca Repub. per Feciales, vt ſupra dicebam, ſanciebantur. Quorum nomina rei tantæ adſcribi ſolita, non item Conſulum, Legatorum, Quæſtorum, Tribunorum militum, niſi fierent in vrbe. Sub principibus, vt pleraque alia, huius quoque negotij forma retenta. Nam ipſimet ſæpe cum regibus in foro fœdera faciebant, porca cæſa, & vetere Fecialium præfatione adhibita; vt de Claudio memorat Suetonius; idque priſco inſtituto, *Liu. lib. 9.* *Sueton. in Claud.*

Poſt ijdem inter ſe, poſito certamine, Reges
Armati Iouis ante aram, pateraſque tenentes
Stabant, & caſa iungebant fœdera porca. *Virgil. 8. Æneid.*

Et Latinus,

Audiat hæc genitor qui fœdera fulmine ſancit.
Tango aras, medioſque ignes, & numina teſtor;
Nulla dies pacem hanc Italis, nec fœdera rumpet;
Quo reſcunque cadent. *Virgil. 12. Æneid.*

Inſequenti ætate idem obſeruatum, non ſolùm cùm vtrinque coitum eſt ex æquo, neuterque alterius ignominia ſplenduit, verùm & cùm hinc datæ, hinc acceptæ ſunt leges pacis, ea ſpecie quæ danti fuit honeſta, accipienti deformis. Cuiuſmodi eſt illud de Honorio & Perſis.

Te variæ gentes, miſſique rogatum
Fœdera Perſarum proceres cum patre ſedentem
Hac quondam videre domo; poſitoque tiaram
Submiſere genu. *Claudian. de VI. Hon. Conſ.*

Sed quatenus, vt ait Valer. Max. *quem iniuriæ inuiſum fecerunt, gratioſum miſeriæ reddunt*, adeò vt eum plerunque arcanus vulgi fauor habeat, cuius in confinio ſtat odium in felicem, huius vitandi gratia victorum modeſti oculi, ac verecundi ſæpius abſtinent ſpectaculo tantæ viciſſitudinis. Alexandro nobilem hunc pudorem ingenitum fuiſſe hinc ſcire licet, quod is matrem & vxorem Darij eum vtraque eius

ſilia non ſuſtinuit ſibi venire in conſpectum. Nimirum, quæ vſurpare iure poterat vt victor, tali tempore arrogantiæ magis affinia videri poterant, quàm maieſtatis propria. Quæ etſi vera ſunt, tamen quia imperij ſacratiſſimum ius ſolenni ritu aſſerendum eſt; cui rei ne ipſos quidem regnantes intercedere fas eſt, ne quod virtute & felicitate adepti ſunt inutili verecundia deſtruant, inuentæ ſunt illuſtres hæ legationes, quarum miniſterio cuncta ritè peraguntur.

Dio & Xiphil. in Traiano & Colum. Tra. Video in columna Traiani Decebalum regem Dacarum, vtroque genu flexo, accipere à principe victore leges pacis. Sed quoniam eo facto non ſatis à captiuo rege imperio cautum fuit, inſuper Traianus remeans in Italiam illius legatos in vrbem præmiſit, vbi omnia abſolutiùs acta. Nam legati inducti in Senatum, poſitis gladijs, manibuſque ſupinis, multis ſupplicitor dictis, & confirmata per Senatum pace, ferrum reſumpſerunt. *Procop. li. 3. belli Goth.* Legati Longobardorum cùm multa prece ambiſſent Iuſtinianum, vt is cum ſua gente ſocietatem iniret, impetrarunt. Ergo data, & accepta vtrinque fide, rogatu legatorum, duodecim ex ordine Senatorio viri lecti, quorum ſolenni iureiurando acta, & pacta firmata ſunt. Neque ſolùm hinc legati, hinc Rex rem tranſigunt, ſed omne negotium hinc inde committitur legatis. *Agath. li. 1.* Quo exemplo legati Gothorum miſſi ad Theodibaldum regem Francorum fœdus ab eo impetratum percuſſerunt cum Leuthare, & Bultino fratribus Alemannis, apud Francos multa autoritate & potentia. Qui mos hodie eſt frequens apud plurimas gentes, inter quas fœdera firmantur per legatos aut vtrinque, aut altrinſecus. Cæterùm quomodo ad iurandum, ita quoque ad exigendum iuſiurandum *Liu. lib. 22.* mittuntur tales legationes. Huius generis fuit illa, quam à Philippo ad Achæos miſſam fuiſſe autor eſt *Demoſth. de fal legat. 202.* Liuius. Ad ſimile negotium Æſchinem miſſum Demoſthenes memorat. Paci & fœderibus adnexa

ſunt

ſunt illa, quibus vtraque aluntur, ac firmantur. Hæ in primis ſunt gratulationes, quarum omiſſio pro acerba iniuria accipi ſolet. M. Tullius hoc nomine cum Cn. Pompeio grauiter expoſtulat. *Res*, inquit, *eas geſſi, quarum aliquam in tuis literis & noſtræ neceſſitudinis, & Reipub. cauſa gratulationem expectaui, & quæ ſequuntur.* Huius fermè generis ſunt eæ legationes, quas intelligit Eumenes, cum ait Perſeum duxiſſe filiam Seleuci non petentem, ſed petitum vltro. *Sororem dediſſe Pruſiæ precanti & oranti. Celebratas eſſe vtraſque nuptias gratulatione, doniſque innumerabilium legationum, & velut auſpicibus nobiliſſimis populis deductas eſſe.* Talium in Senatu Romano mentionem faciunt Rhodij. *Antea*, inquiunt, *Carthaginienſibus victis, Philippo, Antiocho ſuperatis, cùm Romam veniſſemus, ex publico hoſpitio in Curiam gratulatum vobis, Patres Conſcripti, ex Curia in Capitolium ad Deos veſtros dona ferentes deducebamur.* Talia officia cum per legationes præſtantur, præcipuè cauendum ne tarditas arguat inuidiam ob alienam felicitatem. Ea enim vix vocatur lætitia quæ nullo citatur motu extraordinario. At vera, quia ſui impotens eſt, ferè aduenit vel in ipſa turba, & impetu ſuo feruet.

Cic. lib. 5. epiſt. fam.

Liu. lib. 32. 49.

Liu. lib. 35. 204.

Non patienter amo,

ſcribit Hero Leandro. Ridiculè etiam gratulor illi, cuius gaudium vnà cum ſuo bono ſeneſcit. Ergo ſera gratulatio nulla re excuſatur niſi rerum ignoratione, & ſpacijs locorum. Omnia amouenda & huic officio vacandum. Cæſari iucundiſſimus fuit properatus Herodis ad ſe poſt debellatos Antonium & Cleopatram; & quidem omnibus relictis, etiam turbis, quæ domi eius nuper erant natæ. Officioſæ hæ legationes ex omnibus prope regionibus orbis terræ adierunt Alexandrum. In his, opinor, fuit illa, quam Roma ad eum miſſam memorat Clitarchus. Hîc obiter noto, vt miſſis ad

Appian. ciu.

Diodor. Sic. lib. 17 bibl.

Plin. lib. 3. cap. 5.

Liu. lib. 35.

Cic.lib.2. de leg. conſolandum legatis pullam dari, aut ab ipſis legatis, rerum ſtatu ſuadente ſumi, mos eſt, ſic ad gratulandum candidam veſtem ipſis exhiberi ſolitam. Nam color albus eſt Deo decorus, & felicitatis ac fertilitatis ſimul index & fidei. Theſeo ſponte eunti ad Minotaurum pater prædixit, vt rediens victor, (Hygin. fab. 41.)

Catull. in Argon.

Funeſtam antennæ deponant vndique veſtem,
Candidaque intorti ſuſtollant vela rudentes.

Val. Max. lib. 1. Gell. lib. 10. cap. 15.

Et cùm M. Craſſo *ducturo à Carris aduerſus Parthos exercitum, pullum traditum eſſet paludamentum; cùm in prælium exeuntibus album, aut purpureum dari ſoleret, infeliciter rem geſſit.* Adnotauit ex M. Varrone Gellius, Dialem ſolum habere album galerum, vel quòd maximus eſt, vel quòd Ioui immolata hoſtia albato fieri oporteat. Fertilitatis albus color index eſt, quia

Ouid. lib. 4. Faſt.

Alba decet Cererem veſtis, Cerealibus albas
Sumite, nunc pulli velleris vſus abeſt.

Fidei, quia ſicuti nullo mendacij fuco tinctæ, ſimulachrum amiciebatur panno albo:

Horat. car. lib. 1.

Te ſpes, & albo rara fides colit
Velata panno.

Symmach. lib. 8. ep. 47. Lat. Pac. in paneg. dicto. Theod. Aug.

Alba velamina, ait Symmachus, *non ſegmentati amictus fidem veſtiant.* Denique in obuiam itionibus, & in publica lætitia ſatis ſcimus, quomodo flamines municipali purpura reuerendos, ſacerdotes apicibus inſignes, ſic ſenatores veſte niuea conſpicuos fuiſſe. Et Salomon, *Sint*, inquit, *veſtimenta tua ſemper alba.* Et Chriſtum candida veſte vſum obſeruant theologi; qui diſcipulis, qui ſecum montem Thabor conſcenderant, Moſen & Heliam candidatos exhibuit. Hiſce legationibus affines erant illæ, quæ ad quempiam laudandum Romam mittebantur: quas ſupra, autore Nerone, abolitas dixi, ſoliſque principibus reſeruatas; niſi fortè ea laudatio pertineret ad ſalutem & incolumitatem

Niceph. Xant. lib. 12. cap. 36.

eius, cui hoc officium præſtabatur. Hanc tantam ſingularis beneuolentiæ ſignificationem commendat M. Tullius, qui Puteolanos ait miſiſſe lectiſſimos viros, & ſenatorij ordinis, & equites Romanos ad iudicium, in quo de M. Celio agebatur, cum grauiſſima atque ornatiſſima laudatione eius. Gratulatorias vndique Romam exciuerunt ſtudia nationum erga Pertinacem. Gratulationibus prope accedunt conſolationes, quibus principes palam faciunt, ſe aliena mœſtitia haud aliter affici quàm ſua. Dauid miſit legatos, qui ſolarentur dolorem Annonis regis Annonitarum ob mortem patris. Ab Athenienſibus legatus eſt Cteſiphon ad Cleopatram Philippi filiam, ob exceſſum Alexandri regis Moloſſorum. Tiberius hanc ob cauſam miſit ad Germanicum, finita mortalitate Auguſti. Hic quoque tarditas arguit malignitatem, & ex aliena calamitate voluptatem, aut certè inſcitiam. Minimùm, ſera ſolatia frigent, & quia ſunt ſuperuacua, ita quoque ſunt ridicula. Nempe, quem aut ratio, aut tempus iam diu refocillauit, hunc ſanè reducere in memoriam ſui luctus abſurdum eſt & ſæuum.

Cic. pro M. Celio. orat. 35. 94.

Herodian. lib. 2.

Zonar. in Dau.

Æſch. in Cteſiph.

Tacit. lib. 1.

Temporis officium ſolatia dicere certi eſt,
Dum dolor in curſu, dum petit æger opem.
At cùm longa dies ſedauit vulnera mentis,
Intempeſtiuè qui monet illa nouat.

Ouid. lib. 4. de Ponto ad Gallionem.

Acerbam hanc fatuitatem ſalſo ludo Tiberius defixit, exprobrans Ilienſibus quod ob mortem Druſi paulò ſerius eum conſolarentur. *Reſpondit enim irridens, quaſi iam obliterata doloris memoria, ſe quoque vicem eorum dolere, quod egregium virum Hectorem amiſiſſent.* Haud minùs inſulsè neſcio qui circumpadani, qui nati poſt decem ætates quàm Phaëton aquis ſubmerſus eſt, pulla nihilominus veſte inanem luctum ambitioſè teſtantur. De his Marcianus Heracleotes hæc in periegeſi,

Sueton. in Tiberio.

Plutarch. de ſe. num. vind.

Marci in. Heracl. in perieg. 17.

† Διὸ καὶ τὰ πλήθη πάντα τῶν οἰκητόρων
Μελανειμονοῦν τε πενθικὰς τ᾽ ἔχειν στολάς.

† Eaſ omnes populos nigras & luctus indices veſtes habere.

Neque verò ſolùm luctu euanido, & iam conſumpto, ſed ſemper, & vbiuis gentium tardæ legationes & intempeſtiuæ ingratæ ſunt & inefficaces, vt quibus non eſt locus in anguſtijs rerum. Antiochus, poſteaquam L. Scipio cùm exercitu traiecerat, tum denique miſit legatos ad eum. Quibus Scipio, Priùs, inquit, oportuit, non nunc, quando iam & frænum accepit, & ſeſſorem admiſit. In harum legationum nexu ſunt & illæ quæ mittuntur ad exequenda officia pietatis. Huiuſmodi eſt illa, quam Adraſtus dicit mitti non ad obeunda ſacra Cereris, ſed ad ſepeliendos defunctos. Sunt & illæ quæ mittuntur ad ſollennia rituum, ad ſoluenda vota, & implendas religiones; vt illa, quam Senatus miſit ad piandam Ætoliam inſulam. Talis fuit illa quam Lactantius memorat his verbis, *Serpens, quem alij dicunt fuiſſe Aeſculapium, vrbem Romam peſtilentia liberauit Epidauro accerſitus. Nam illuc* δαιμονιάρχης *ipſe in figura ſua ſine diſſimulatione perductus eſt; ſiquidem legati ad eam rem miſſi draconem ſecum miræ magnitudinis attulerunt.* Interdum hæ legationes non ad aliud mittuntur, quàm ad teſtandam beneuolentiam mittentis erga illum qui colitur hoc genere officij. Huius generis fuit legatio Smyrnæorum ad Apollonium Tyanæum, legatus enim ab ipſo interrogatus ſi quid ipſo opus haberent, is reſpondit, Videre & Videri. Fuit & illa Choſrois miſſa ad Iuſtinianum, qua functus eſt Iſdigunnas. Is vt fuit in conſpectu, reddidit Imperatori literas regis ſui. Simulque obtulit ei regia munera. Literæ hoc tantùm loquebantur, Cupere Choſroem fieri certiorem vt valeat Imperator. Legationi tam ſpecioſæ cùm non alia ſubeſſet cauſa, tamen legatus præcipuo genere humanitatis habitus; dimiſſuſque munificentiùs hercule quàm ipſe aduenerat. Haud

Plutarch. in Apoph. Ro.

Euripid. Suppl. 280.

Plin. lib. 2. cap. 106.

Lactant. de orig. err. l. 2. cap. 17. 18 4.

Val. Max. lib. 1. cap. 8.

Philoſtr. vita Apoll. l. 4. 42.

Procop. li. 2. bello Perſ.

abſimilis fuit epiſtola Pori regis Indici ſcripta & miſ-
ſa Auguſto per legatos. Illa epiſtola hoc tantùm aie-
bat, Quamuis ipſe eſſet rex ſexcẽtorum regum, tamẽ *Strabo. lib. 15.663.*
ambire ſe amicitiã Cæſaris; paratumque eſſe dare illi
tranſitũ quacunque voluerit; & commodare ei qua-
cũq; re poterit. Neq; eſt quod talia inania putes. Ne-
que enim omitti poſſũt ſine magna indignatione illi⁹,
qui ſe hac ratione coli æquũ cenſet. Alexander in re- *Diod. Sic.*
gionem Mardorũ hoſtiliter irrupit, quia eos ſuæ ma- *lib. 17. bibl.*
gnitudinis deſpectores hinc cõiecerat, quòd freti vi-
ribus, neq; legatione, neq; vllo obuio honore eum di-
gnati fuerant. Pruſias, præter alia Byzantijs expro- *Polyb. lib. 4.*
brauit, ipſos ad ſe in gratulationibus Deorum miſiſſe
neminem, cùm ad Attalum miſiſſent. His annume-
rantur illæ, quæ ad ſupremos magiſtratus, aut reges
electos in regnum deducendos mittuntur, vt illa quę
miſſa fuit ad L. Quintium Cincinnatum, & ad Nu-
mam. *Concurrerat*, inquit Liuius, *ad ſpectandum in por-* *Liu. lib. 19.*
tum omnis turba non habitantium modò Lilybæi, ſed lega-
tionum omnium ex Sicilia; quæ & ad proſequendum Sci-
pionem officij cauſa conuenerant, & prætorem prouinciæ M. *Plin. lib. 6.*
Pomponium ſequutæ fuerant. Tales propemodum fue- *cap. 22.*
runt iſtæ quas ad ſe miſſas ait M. Tullius, *De concurſu* *Cic. ad At-*
legationum priuatorum, & de incredibili multitudine quæ *tic. lib. 5. ep.*
mihi iam Sami, ſed mirabilem in modum Epheſi præſto *13. 184.*
fuit, aut audiſſe te puto, aut quid ad me attinet? Sic Tibe- *Tacit. lib. 1.*
rius miſit legatos, qui Germanico Cæſari proconſu-
lare imperium deferrent. Sæpe ex admiratione virtu- *Plin. lib. 6.*
tis miſſæ ſunt hæ legationes ad longinquos reges, vt *cap. 22.*
ab rege inſulæ Taprobanæ ad Claudium, principe
legationis Rachia. Huc etiam traho illas quæ nun-
tiant miracula, prodigia, res inauditas. Talis fuit lega- *Plin. lib. 9.*
tio Olyſſiponenſium Tiberio principi ob id miſſa, *cap. 5.*
Ipſum, auditumque in quodam ſpecu concha canentem *Niceph. lib.*
Tritonem qua noſcitur forma. Et illa regis Indorum, qui *9. cap 19.*
Conſtantio Imperatori miſit Pana propter ferocita- *Caſſiod.*
tem cauea incluſum. Ita Theodericus ſcribit Boëtio, *Var. 1. ep. 45.*

Burgundionum itaque dominus, inquit, *à nobis magnopere poſtulauit, vt horologium quod aquis ſub modulo fluentibus temperatur, & quod ſolis immenſi comprehenſa illuminatione diſtinguitur, cum magiſtris rerum ei tranſmittere deberemus. Quatenus impetratis delectationibus perfruendo, quod nobis eſt quotidianum illis videatur eſſe miraculum. Meritò ſiquidem reſpicere cupiunt quod legatorum ſuorum relationibus obſtupeſcunt.* Harum quoque legationum miniſterio ipſi reges, totæque gentes inuitantur ad ſpectacula. Qualia fuerunt inſana illa, ad

Athen. lib. 5. quæ Antiochus ille † ἐπιμανὴς per legatos vocauit ciuitates Græciæ. † inſanus. Irreuocabilis priſca ætas ſuppeditauit multa exempla earum legationum quæ mittebantur ad ediſcendas, tranſcribendaſque illuſtrium gentium leges; vt illa quæ Roma in Græciam miſſa

Li. n lib. 2. eſt, vnde fluxit ius Romanum, & adorandæ illæ tabulæ. Mittebantur quoque ad deſumendos ritus ſacrorum, & quicquid pertinet ad cultum Dei. Qualis illa quæ à Ptolemæo Philadelpho ad Eleazarem ſummum Pontificem Iudæorum in hoc ſolum deſtinata eſt, vt ediſceret Iudaicum ius

Iuuen. ſat. 14. *Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes.*

Vnde ad eum miſſi interpretes ſacrorum librorum, quibus poſtea è numero ſeptuaginta nomen. *Feneſtella*, inquit Lactantius, *diligentiſſimus ſcriptor de XV. viris dicens, ait, reſtituto Capitolio retuliſſe ad Senatum C. Curionem Conſulem vt legati Erythras mitterentur, qui carmina Sibyllæ conquiſita Romam deportarent. Itaque miſſos eſſe P. Gabinium, M. Octacilium, L. Valerium, qui deſcriptis à priuatis verſus circa mille Romam deportarunt. Idem ſupra oſtendimus dixiſſe Varronem. In ijs ergò verſibus quos legati Romam attulerunt, de vno Deo hæc ſunt teſtimonia.*

Lactant. de fal. rel. lib. 1. 27.

Iſtis annecto illas quæ mittuntur ad homines ſanctitate inſignes, qui rogantur vt ſuis apud Deum precibus impetrent à Deo & regno cunctæque genti incolumitatem, & ipſi regi liberos. Chosroes, inquit Theophylactus, mirifice anxius mi-

Theophyl. lib. 5. hiſt. 31.

ſit ad Sergium martyrem, ad quem reliquæ gentes barbaræ mittere ſolent; eumque aurea cruce, vt pretioſo munere honorauit. His proximæ ſunt illæ quæ mittebantur ad enodandas altiſſimas rerum naturalium quæſtiones, atque adeò ad interpretanda ipſa ſummi opificis oracula.

hos vtinam inter *Horat. lib.*

Heroas natum tellus me prima tuliſſet. *2. ſer. ſat. 2.*

Neque enim primis ætatibus legationes, & quidem hæ, quas voco illuſtres, mittebantur ad rixandum, vt hodie, de finibus, ad amplificanda iura imperij, ad euertendos imbecilliores, ad oſtentandam potentiam, & inuidioſas opes, ad explicandas cæteras artes humanæ nequitiæ. Sed adibantur æterna illa, & ingentia decôra mortalitatis. Nimirum, obſcuritates rerum admouebantur lumini diuinarum mentium; & ænigmata multò quàm Sphingis difficiliora prima illa, & incorrupta ſapientia ſupra captum, moremque hodiernæ mortalitatis enodabat. Inexplebilis hæc auiditas non legationem ſed ipſam reginam Saba exciuit ad regem ſapientia inclytum. Hoc exemplum multis poſt ſæculis repetitum eſt ab Indis, Bactris, Hircanis. Hi enim ad Antoninum Pium, iuſtitia tanti Imperatoris comperta, quam ornabat vultus ſerenus vereque imperatorius, legatos miſerunt. His cognatę ſunt illæ, per quas conſilium petitur. Conſulitur Deus aut homines. Diuinis conſilijs nomen eſt oraculis. Hæc qui ſciſcitatum mittebantur, vt ſupra monui θεωροὶ dicti, quibus, vt ait Lucanus, dabatur libertas cum Ioue loquendi. Tunc enim humanus animus in tuto eſt, cùm diuinis conſilijs nixus eſt. Iſti θεωροὶ erant ſpectatæ virtutis homines; atque adeò ipſius virtutis inſignijs nobilitati, qualis Callias ille pancratiaſtes apud Polybium. Sic Labienus cùm ſuaderet Catoni vt conſuleret Ammonem,

Lib. 3. reg. cap. 10. *Sex. Aur. Victor in Antonino Pio. 1916.* *Polyb. ecl. legat. 146.*

—*ſors obtulit*, inquit, *Lucan. lib. 9.*

Et fortuna viæ tam magni numinis ora,
Conſiliumque Dei. tanto duce poſſumus vis
Per Syrteis, belliq; datos cognoſcere caſus.

Humana conſilia quia fide prudentiaque conſtant, in quibus vtraque eminet, ad horum limam iudicij mortales ſua poliunt, formantque. Atque adeò legatorum conſilia ijs de rebus ſuper quibus venerunt, vt alicubi Demoſthenes ait, & ſupra dixi, creduntur eſſe veriora. Hac mente Achæi per legatos conſuluerunt T. Quintium: & Elienſes Amaſin regem Ægypti. Hoc exemplo Michael Imperator Conſtantinopolitanus per legationem quæ Rhotomagi audita eſt, conſuluit Ludouicum Imperatorem Occidentis & regem Galliæ, quid ſuper ſacris imaginibus ſe facere æquum cenſeret, ponine an deponi deberent. Vt ad petenda, ita quoque ad danda conſilia mittuntur hæ legationes. Neque refert petita ſint, an minime. Hoc exemplo ille ipſus Amaſis Polycraten Samiorum tyrannum hominem fœdum & maculoſum per legatos ad modeſtiam hortatus eſt. Quo tam ſalutare conſilium aſpernante, denique per epiſtolam amicitiam cum eo diremit. Etſi non ſum neſcius aliter hoc negotium memorari ab Herodoto. Diodorus ea quæ d xi. hic firmat, nimiam felicitatem Polycratis Amaſi meritò ſuſpectam regi dediſſe cauſam confringendæ inter ipſos hoſpitalis teſſeræ. Hiero Siciliæ rex muneribus & auxilijs, quæ Romanis, Annibale Italiam infeſtante, miſit, *addidit conſilium, vt Prætor, cui Sicilia eueniſſet, claſſem in Aphricam traijceret, vt & hoſtes in terra ſua bellum haberent; minuſque laxamenti daretur ys ad auxilia Annibali ſubmittenda.* Hoc exemplo Synodus Ariminenſis miſit legatos ad Conſtantium Imperatorem qui ei conſilij patrum ſententiam ſcripto indicarent. Poſtremò, illuſtres hæ legationes nonnunquam non mittuntur ad vnum quempiam, ſed alicubi multæ conueniunt, vt ab omnibus pariter in medium conſuli ſuper communi negotio poſſit. Tales fuerunt

Demoſth. de fal. leg. 199.
Liu. lib. 25.
Diodor. Sic. lib. 2. cap. 5.
Platina in Eugenio 2.
Herodot. lib. 3.
Liu. lib. 12.
Niceph. lib. 9. cap. 39.

fuerunt illæ quæ ex omni Græcia diuerſæ conuenerunt in eam, quæ Magna dicta, poſt crematum ibi cœtum Pythagoreorum, poſtque ortas eam ob rem vbique & cædes & ſeditiones. *Semnones*, inquit Cornelius Tacitus, *Sueuorum vetuſtiſsimi nobiliſsimique ſtato tempore in ſyluam augurÿs patrum, & priſca formidine ſacram omnes eiuſdem ſanguinis populi legationibus coeunt.* Interdum tales legationes conueniunt in conlimitijs, vtriuſque imperij iura cognituræ. Quo exemplo Zacharias à Tiberio ſecundo legatus eſt ad confinia Romani & Perſici imperij. Ab illuſtribus legationibus excludo eas omnes, quibus cauſam dedit negotium odioſum, quamlibet & publicum, & ſalutare: cuiuſmodi ſunt illæ quæ mittuntur ad accuſandum. Miniſterio talis legationis Peloponneſij Pauſaniæ diem dixerunt. In exordijs Demoſthenis extat exemplum quorundam legatorum, non qui à ſuis miſſi ſint ad accuſandum, ſed qui ipſi dum volunt videri diſertiores quàm meliores, falſis & mendacibus accuſationibus innocentes impetunt. Odioſiores prope ſunt illæ, quæ quempiam ſibi dedi poſtulant. Huius generis fuit legatio Lacedæmoniorum miſſa ad Admetum regem Moloſſorum, quæ Themiſtoclem palam popoſcit ad ſupplicium.

Po'yb. lib. 2.

Tacit. de morib. Germ. 541.

Menand. ecl. legat. 145.

Demoſth. in exord. 147.

Diodor. sic. lib. 11. bibl.

CAPVT LXV.

Quædam vitia notantur quæ legato diligenter ſunt vitanda.

NEque mihi metipſe, neque ſanè ſuſcepto muneri ſatisfaciam ſi non diligenter moneam legatum vt plus angue vitet ineptiam. Sæpe enim non intellecta obrepit ſicuti proſerpens beſtia; neque ſolùm poſt quemque conſiſtit, ſed intra quemque, eumque inde propinandum præbet. Sæpe eminet in cen-

ſorio ſupercilio, adhæret linguæ diſerti, ſerijs permiſcetur, vt cardui floribus. Agitat ſæpe nos, qui calemus ſtudio ſcribendi. Denique & ipſis ſeuerioribus mirè placet hæc ſecta ineptiendi. Sed alijs omnibus in ſua, videlicet, ſtultitia ſatis eſt ſupplicij, non item ijs, quibus dantur publica munia, in his legato. Huius enim facta, dicta, geſtus, ſimulatque vulgo diſpaleſcunt, nempe ipſe totus tacitis exterorum iudicijs æſtimatur. Hinc procedere negotia, hinc retardari conſtat. Itaque cuicunque datur hoc munus, priuſquam prodeat in publicum, quicquid ſordium in vita collegit, id vt abluat, cenſeo. Primùm multo ſale defricanda ruſticitas, moreſque indocti, & agreſtes, quales prodiderunt in ipſo aditu petrones illi, qui ſunt à Celtiberis miſſi ad Gracchum Prætorem. *Hi priuſquam*

Liu. lib. 30. *legationem ederent, petierunt ab eo vt iuberet ſibi dare bibere.* Ruſticitate tetrior temulentia, vnde ignoratio ſui, oculi natantes, mens madida, gradus vacillans, taliaque damnosè bibentium. Sæpe ebrietas euertit ea quæ legatio tentat & molitur, ſiue ea eſt legati, ſiue illorum qui adeuntur. Hæ fœditates in legato eo ſunt notabiliores quò magis extrinſecus & ſeuerus, & adductus antea conſpectus eſt; idemque poſtea deprehenditur intime ſolutus. Adnotauit Dion, à Tarentinis impulſu ebrietatis Romanam legationem tam atrociter fuiſſe violatam. Ebrietati comes it libido. Certè auerſio Troiæ fuit ab libidine Paridis, qui vt legatus à Menelao exceptus, raptam ei Helenam ſecum abduxit. Id quod Ioui poſtea Menelaus in ſua illa ante † μονομαχίαν à numine exaudita prece repræſentauit.

Dio ecl. legat. 375.

Homer. γ. Iliad.

† Ζεῦ ἄνα, δὸς τίσασθαι ὅ με πρότερος κάκ' ἔοργε,
Δῖον Ἀλέξανδρον, καὶ ἐμῆς ὑπὸ χερσὶ δάμασσον,
Ὄφρα τις ἐρρίγησι καὶ ὀψιγόνων ἀνθρώπων,
Ξεινοδόκον κακὰ ῥέξαι, ὅ κεν φιλότητα παράσχῃ.

In tales hoſpitalis menſæ violatores hæc meritò conijci poſſunt,

† ſingulatem pugnã.

† Iupiter rex, da punire eũ qui me prior male habuit, diuum Alexandrũ, & meis ſub manibus doma, vt aliquis timeat & poſterorum hominum, hoſpitem malis afficere qui amicitiam præbeat.

† ἔτλης θεῶν ἀλειτὸς ἐκβῆναι δίκην,
Λάξας τράπεζαν κ' ἀνακυπώσας θέμιν
Ἄρκτου πηλίνης ἐκμεμαγμένος τρόπους;

Lycophr. Caſſ.10.

† Auſus es diuinũ ſceleſte ius tranſgredi, Percellens ius menſæ, & iuſtitiam euertens, Vrſæ nutricis mores exprimendo.

Arcades item illi miſſi ad Antigonum ad epulas inuitati, cùm primùm, ſicuti figmenta hominum, ne ipſi quidem ſe mutuo aſpicerent, ac veluti collo munito, neutram in partem os conuerterent, vt proceſſit compotatio, inducique cœptæ Theſſalæ ſaltatrices nudæ ſaltantes, tum verò animi cupidi non diutiùs continuerunt oculos indomitos, & linguas intemperantes: ſed impetu deſiluerunt è lectis, ſimulque exclamarunt, ſicuti nobili ſpectaculo obſtupefacti, Fortunatum regem, qui talem voluptatem ſortitus eſſet. Væ vobis balatrones. Neque enim rex ideo felix, ſed vos emiſcuiſtis intemperantiæ manifeſti. Adſunt iſti propè inquinatiores ſeptem legati, quos Megabazus Perſa miſit ad Amyntam regem Macedonum. Re, ſcilicet, impetrata ad quam venerant, regio conuiuio multa humanitate ſunt adhibiti. Sed vbi per vinum & epulas incaluerunt, multa procacitate, impudico intuitu, & manibus intemperantibus inludere cœperunt fœminis ipſis regijs. Sed iura tam officioſæ hoſpitalitatis tam fœdè violata Alexander filius Amyntæ ita vltus eſt, vt decuit animum regium, legatis interfectis in illo ipſo æſtu feruentis libidinis. Quod factum parum probaturi ij, qui parum ſciunt, quanta temperantia exigatur ab legatis; & quàm magni reges tantæ iniuriæ intolerantes ſint. Nempe ferret Macedonum Rex, legatum in patriam regreſſum gloriari poſſe ab ſe contrectatas eſſe feminas regias? Num tantam fœditatem æquum fuit obumbrari iure legationis? Certè cùm ipſi, poſita legati, hominum audaciſſimorum ſimul & impuriſſimorum perſonam induerint idque facinus admiſerint non in latebris ſed in loco celeberrimo, nempe in conuiuio regis, iure interfectos cenſeo. & re tali, violatori legationis, talionem reddi non ſolùm poſſe,

Athen. lib. 13.

Herodot. lib. 5.

adempta Antiocho Ægyptus habenti iam; redditumque patrium regnum ſtirpi Ptolemæi fuerat. Cæterum fœderum facta mentio poſtulat vt dicam obiter, fœdera quamlibet gentem ſuo ritu ſancire, Scythas quidem ferino, nempe eliciendo, lambendoque inuicem cruore. Quæ acutiſſimo theologo ſunt tragica fercula. Alij tantùm negotium peragũt, traditis vtrinque lanceis Deos ſuos teſtati. Alij libaminis ac rei diuinæ & precationum interuentu, quale eſt illud, de Priamo & Agamemnone, & proceribus tam Troianis quàm Græcis.

Herodot. lib. 4.
Tacit. li. 12.
Tertull. in Apolog.
Xenoph. li. 2. de exped. Cyri.

Homer. 3. Iliad.

—— † ἀτὰρ κήρυκες ἀγαυοὶ
Ὅρκια πιστὰ θεῶν σύναγον. κρητῆρι δὲ οἶνον
Μίσγον, ἀτὰρ βασιλεῦσιν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευαν,

& quæ ſequuntur, illud potiſſimùm,

† Ζεῦ πάτερ, Ἴδηθεν μεδέων, κύδιστε, μέγιστε,
Ἠέλιός θ᾽ ὃς πάντ᾽ ἐφορᾷς, καὶ πάντ᾽ ἐπακούεις, &c.

† Sed præcones ſplẽdidi iuramenta fidelia deorũ contulerũt. cratere autem vinum miſcuerũt, & regibus aquá in manus fuderunt.

† Iupiter pater ab Ida imperans; glorioſiſſime, maxime, ſolque qui omnia vides & omnia audis, &c.

Varro de re ruſt. lib. 4. cap. 2.

Alij cæſa porca, vt Romani; aut potiùs vt placet M. Varroni porco. Quod fuit primum immolandi genus, vnde, ſequenti æuo, mos pecoris mactandi. ſumptum, vt innuere videtur idem Varro, ab antiquis Hetruriæ regibus, primoribuſque, in quorum coniunctione nuptiali noua nupta, & nouus maritus priuum porcum immolant. Qua ratione lares placari ſolitos, docet illud,

Horat. li. 2. ſerm. ſat. 3.

— immolet æquis
Hic porcum laribus.

Inde ferire fœdus, vt apud Ennium,

Macrob. lib. 6. ſat. cap. 1.

Accipe, daque fidem, fœduſque feri bene firmum.

Is ergo ritus hinc tranſijt ad fœdera in quæ, vt fieri ſolet in ſponſalibus, vtrinque porriguntur, implicanturque dexteræ, quod eſt inſigne innodatarum voluntatum. Atque ego, etſi non aduerſor Feſto, tamen auſim firmare, porci effigiem inter ſigna militaria quintum locum ea re obtinuiſſe, quòd eo ſimulachro exprobrabantur hoſtibus violatæ religiones, & rupta fœdera. Niſi quis malit ita accipere, ſicuti

domeſticis laribus ſic ſatisfieret, tanquam ita relictis, vt nihilominus inter ipſos armorum ſtrepitus colerentur. Cæterùm fœdera in priſca Repub. per Feciales, vt ſupra dicebam, ſanciebantur. Quorum nomina rei tantæ adſcribi ſolita, non item Conſulum, Legatorum, Quæſtorum, Tribunorum militum, niſi fierent in vrbe. Sub principibus, vt pleraque alia, huius quoque negotij forma retenta. Nam ipſimet ſæpe cum regibus in foro fœdera faciebant, porca cæſa, & vetere Fecialium præfatione adhibita; vt de Claudio memorat Suetonius; idque priſco inſtituto, *Liu.lib.9.* *Sueton. in Claud.*

Poſt ijdem inter ſe, poſito certamine, Reges
Armati Iouis ante aram, paterasque tenentes
Stabant, & cæſa iungebant fœdera porca. *Virgil. 8. Æneid.*

Et Latinus,

Audiat hæc genitor qui fœdera fulmine ſancit.
Tango aras, medioſque ignes, & numina teſtor;
Nulla dies pacem hanc Italis, nec fœdera rumpet;
Quo res cunque cadent. *Virgil. 12. Æneid.*

Inſequenti ætate idem obſeruatum, non ſolùm cùm vtrinque coitum eſt ex æquo, neuterque alterius ignominia ſplenduit, verùm & cùm hinc datæ, hinc acceptæ ſunt leges pacis, ea ſpecie quæ danti fuit honeſta, accipienti deformis. Cuiuſmodi eſt illud de Honorio & Perſis.

Te variæ gentes, miſſique rogatum
Fœdera Perſarum proceres cum patre ſedentem
Hac quondam videre domo; poſitoque tiaram
Submiſere genu. *Claudian. de VI. Hon. Conſ.*

Sed quatenus, vt ait Valer. Max. *quem iniuriæ inuiſum fecerunt, gratioſum miſeriæ reddunt*, adeò vt eum plerunque arcanus vulgi fauor habeat, cuius in confinio ſtat odium in felicem, huius vitandi gratia victorum modeſti oculi, ac verecundi ſæpiùs abſtinent ſpectaculo tantæ viciſſitudinis. Alexandro nobilem hunc pudorem ingenitum fuiſſe hinc ſcire licet, quod is matrem & vxorem Darij cum vtraque eius

ſilia non ſuſtinuit ſibi venire in conſpectum. Nimirum, quæ vſurpare iure poterat vt victor, tali tempore arrogantiæ magis affinia videri poterant, quàm maieſtatis propria. Quæ etſi vera ſunt, tamen quia imperij ſacratiſſimum ius ſolenni ritu aſſerendum eſt; cui rei ne ipſos quidem regnantes intercedere fas eſt, ne quod virtute & felicitate adepti ſunt inutili verecundia deſtruant, inuentæ ſunt illuſtres hæ legationes, quarum miniſterio cuncta ritè peraguntur.

Dio & Xiphil. in Traiano & Colum. Tra. Video in columna Traiani Decebalum regem Dacarum, vtroque genu flexo, accipere à principe victore leges pacis. Sed quoniam eo facto non ſatis à captiuo rege imperio cautum fuit, inſuper Traianus remeans in Italiam illius legatos in vrbem præmiſit, vbi omnia abſolutiùs acta. Nam legati inducti in Senatum, poſitis gladijs, manibuſque ſupinis, multis ſuppliciter dictis, & confirmata per Senatum pace, ferrum reſumpſerunt.

Procop. li. 3. belli Goth. Legati Longobardorum cùm multa prece ambiſſent Iuſtinianum, vt is cum ſua gente ſocietatem iniret, impetrarunt. Ergo data, & accepta vtrinque fide, rogatu legatorum, duodecim ex ordine Senatorio viri lecti, quorum ſolenni iureiurando acta, & pacta firmata ſunt. Neque ſolùm hinc legati, hinc Rex rem tranſigunt, ſed omne negotium hinc inde committitur legatis.

Agath. li. 1. Quo exemplo legati Gothorum miſſi ad Theodibaldum regem Francorum fœdus ab eo impetratum percuſſerunt cum Leuthare, & Bultino fratribus Alemannis, apud Francos multa autoritate & potentia. Quimos hodie eſt frequens apud plurimas gentes, inter quas fœdera firmantur per legatos aut vtrinque, aut altrinſecus. Cæterùm quomodo ad iurandum, ita quoque ad exigendum iuſiurandum

Liu. lib. 32. mittuntur tales legationes. Huius generis fuit illa, quam à Philippo ad Achæos miſſam fuiſſe autor eſt Liuius.

Demoſth. de fal. legat. 202. Ad ſimile negotium Æſchinem miſſum Demoſthenes memorat. Paci & fœderibus adnexa ſunt

ſunt illa, quibus vtraque aluntur, ac firmantur. Hæ in primis ſunt gratulationes, quarum omiſſio pro acerba iniuria accipi ſolet. M. Tullius hoc nomine cum Cn. Pompeio grauiter expoſtulat. *Res*, inquit, *eas geſſi, quarum aliquam in tuis literis & noſtræ neceſſitudinis, & Reipub. cauſæ gratulationem expectaui, & quæ ſequuntur.* Huius fermè generis ſunt eæ legationes, quas intelligit Eumenes, cum ait Perſeum duxiſſe filiam Seleuci non petentem, ſed petitum vltro. *Sororem dediſſe Pruſiæ precanti & oranti. Celebratas eſſe vtraſque nuptias gratulatione, doniſque innumerabilium legationum, & velut auſpicibus nobiliſſimis populis deductas eſſe.* Talium in Senatu Romano mentionem faciunt Rhodij. *Antea*, inquiunt, *Carthaginienſibus victis, Philippo, Antiocho ſuperatis, cùm Romam veniſſemus, ex publico hoſpitio in Curiam gratulatum vobis, Patres Conſcripti, ex Curia in Capitolium ad Deos veſtros dona ferentes deducebamur.* Talia officia cum per legationes præſtantur, præcipuè cauendum ne tarditas arguat inuidiam ob alienam felicitatem. Ea enim vix vocatur lætitia quæ nullo citatur motu extraordinario. At vera, quia ſui impotens eſt, ferè aduenit vel in ipſa turba, & impetu ſuo feruet.

Cic. lib. 5. epiſt. fam.

Liu. lib. 32. 49.

Liu. lib. 35. 204.

Non patienter amo,

ſcribit Hero Leandro. Ridiculè etiam gratulor illi, cuius gaudium vnà cum ſuo bono ſeneſcit. Ergo ſera gratulatio nulla re excuſatur niſi rerum ignoratione, & ſpacijs locorum. Omnia amouenda & huic officio vacandum. Cæſari iucundiſſimus fuit properatus Herodis ad ſe poſt debellatos Antonium & Cleopatram; & quidem omnibus relictis, etiam turbis, quæ domi eius nuper erant natæ. Officioſæ hæ legationes ex omnibus prope regionibus orbis terræ adierunt Alexandrum. In his, opinor, fuit illa, quam Romæ ad eum miſſam memorat Clitarchus. Hîc obiter noto, vt miſſis ad

Appian. ciu.

Diodor. Sic. lib. 17. bibl. Plin. lib. 3. cap. 5. Liu. lib. 35.

Cic.lib.2.de leg. conſolandum legatis pullam dari, aut ab ipſis legatis, rerum ſtatu ſuadente ſumi, mos eſt, ſic ad gratulandum candidam veſtem ipſis exhiberi ſolitam. *Hygin. fab. 41.* Nam color albus eſt Deo decorus, & felicitatis ac fertilitatis ſimul index & fidei. Theſeo ſponte eunti ad Minotaurum pater prædixit, vt rediens victor,

Catull. in Argon.
Funeſtam antennæ deponant vndique veſtem,
Candidaque intorti ſuſtollant vela rudentes.

Val. Max. lib. 1. *Gell. lib. 10. cap. 15.* Et cùm M. Craſſo *ducturo à Carris aduerſus Parthos exercitum, pullum traditum eſſet paludamentum; cùm in prælium exeuntibus album, aut purpureum dari ſoleret, infeliciter rem geſſit.* Adnotauit ex M. Varrone Gellius, Dialem ſolum habere album galerum, vel quòd maximus eſt, vel quòd Ioui immolata hoſtia albato fieri oporteat. Fertilitatis albus color index eſt, quia

Ouid. lib. 4. Faſt.
Alba decet Cererem veſtis, Cerealibus albas
Sumite, nunc pulli velleris vſus abeſt.

Fidei, quia ſicuti nullo mendacij fuco tinctæ, ſimulachrum amiciebatur panno albo:

Horat. car. lib. 1.
Te ſpes, & albo rara fides colit
Velata panno.

Symmach. lib. 8. ep. 47. *Alba velamina*, ait Symmachus, *non ſegmentati amictus fidem veſtiant.* Denique in obuiam itionibus, *Lat. Pac. in paneg. dicto. Theod. Aug.* & in publica lætitia ſatis ſcimus, quomodo flamines municipali purpura reuerendos, ſacerdotes apicibus inſignes, ſic ſenatores veſte niuea conſpicuos fuiſſe. Et Salomon, *Sint*, inquit, *veſtimenta tua ſemper alba.* Et Chriſtum candida veſte vſum obſeruant theologi, qui diſcipulis, qui ſecum montem Thabor conſcenderant, Moſen & Heliam candidatos exhibuit. *Niceph. Xant. lib. 12. cap. 36.* Hiſce legationibus affines erant illæ, quæ ad quempiam laudandum Romam mittebantur: quas ſupra, autore Nerone, abolitas dixi, ſoliſque principibus reſeruatas; niſi fortè ea laudatio pertineret ad ſalutem & incolumitatem

eius, cui hoc officium præſtabatur. Hanc tantam ſingularis beneuolentiæ ſignificationem commendat M. Tullius, qui Puteolanos ait miſiſſe lectiſſimos viros, & ſenatorij ordinis, & equites Romanos ad iudicium, in quo de M. Celio agebatur, cum grauiſſima atque ornatiſſima laudatione eius. Gratulatorias vndique Romam exciuerunt ſtudia nationum erga Pertinacem. Gratulationibus prope accedunt conſolationes, quibus principes palam faciunt, ſe aliena mœſtitia haud aliter affici quàm ſua. Dauid miſit legatos, qui ſolarentur dolorem Annonis regis Annonitarum ob mortem patris. Ab Athenienſibus legatus eſt Cteſiphon ad Cleopatram Philippi filiam, ob exceſſum Alexandri regis Moloſſorum. Tiberius hanc ob cauſam miſit ad Germanicum, finita mortalitate Auguſti. Hic quoque tarditas arguit malignitatem, & ex aliena calamitate voluptatem, aut certè inſcitiam. Minimùm, ſera ſolatia frigent, & quia ſunt ſuperuacua, ita quoque ſunt ridicula. Nempe, quem aut ratio, aut tempus iam diu refocillauit, hunc ſanè reducere in memoriam ſui luctus abſurdum eſt & ſæuum.

Cic. pro M. Celio. orat. 35. 94. *Herodian. lib. 2.* *Zonar. in Dau.* *Æſch. in Cteſiph.* *Tacit. lib. 1.*

Temporis officium ſolatia dicere certi eſt,
Dum dolor in curſu, dum petit æger opem.
At cùm longa dies ſedauit vulnera mentis,
Intempeſtiuè qui monet illa nouat.

Ouid. lib. 4. de Ponto ad Gallionem.

Acerbam hanc fatuitatem ſalſo ludo Tiberius defixit, exprobrans Ilienſibus quod ob mortem Druſi paulò ſerius eum conſolarentur. *Reſpondit enim irridens, quaſi iam obliterata doloris memoria, ſe quoque vicem eorum dolere, quod egregium virum Hectorem amiſiſſent.* Haud minùs inſulsè neſcio qui circumpadani, qui nati poſt decem ætates quàm Phaëton aquis ſubmerſus eſt, pulla nihilominus veſte inanem luctum ambitiosè teſtantur. De his Marcianus Heracleotes hæc in periegeſi,

Sueton. in Tiberio. *Plutarch. de ſe. num. vind.*

abſimilis fuit epiſtola Pori regis Indicī ſcripta & miſſa Auguſto per legatos. Illa epiſtola hoc tantùm aiebat, Quamuis ipſe eſſet rex ſexcētorum regum, tamē ambire ſe amicitiā Cæſaris; paratumque eſſe dare illi tranſitū quacunque voluerit; & commodare ei quacūq; re poterit. Neq; eſt quod talia inania putes. Neque enim omitti poſſūt ſine magna indignatione illiꝰ, qui ſe hac ratione coli æquū cenſet. Alexander in regionem Mardorū hoſtiliter irrupit, quia eos ſuæ magnitudinis deſpectores hinc cōiecerat, quòd freti viribus, neq; legatione, neq; vllo obuio honore eum dignati fuerant. Prusias, præter alia Byzantijs exprobrauit, ipſos ad ſe in gratulationibus Deorum miſiſſe neminem, cùm ad Attalum miſiſſent. His annumerantur illæ, quæ ad ſupremos magiſtratus, aut reges electos in regnum deducendos mittuntur, vt illa quę miſſa fuit ad L. Quintium Cincinnatum, & ad Numam. *Concurrerat*, inquit Liuius, *adſpectandum in portum omnis turba non habitantium modò Lilybæi, ſed legationum omnium ex Sicilia; quæ & adproſequendum Scipionem officij cauſa conuenerant, & prætorem prouinciæ M. Pomponium ſequutæ fuerant.* Tales propemodum fuerunt iſtæ quas ad ſe miſſas ait M. Tullius, *De concurſu legationum priuatorum, & de incredibili multitudine quæ mihi iam Sami, ſed mirabilem in modum Epheſi præſto fuit, aut audiſſe te puto, aut quid ad me attinet?* Sic Tiberius miſit legatos, qui Germanico Cæſari proconſulare imperium deferrent. Sæpe ex admiratione virtutis miſſæ ſunt hæ legationes ad longinquos reges, vt ab rege inſulæ Taprobanæ ad Claudium, principe legationis Rachia. Huc etiam traho illas quæ nuntiant miracula, prodigia, res inauditas. Talis fuit legatio Olyſſiponenſium Tiberio principi ob id miſſa, *Viſum, auditumque in quodam ſpecu concha canentem Tritonem qua noſcitur forma.* Et illa regis Indorum, qui Conſtantio Imperatori miſit Pana propter ferocitatem cauea incluſum. Ita Theodericus ſcribit Boëtio,

Strabo. lib. 15. 663.

Diod. Sic. lib. 17. bibl.

Polyb. lib. 4.

Liu. lib. 29.

Plin. lib. 6. cap. 22.

Cic. ad Attic. lib. 5. ep. 13. 184.

Tacit. lib. 1.

Plin. lib. 6. cap. 22.

Plin. lib. 9. cap. 5.

Niceph. lib. 9. cap. 19.

Caſſiod. Var. 1. ep. 45.

Burgundionum itaque dominus, inquit, *à nobis magnopere poſtulauit, vt horologium quod aquis ſub modulo fluentibus temperatur, & quod ſolis immenſi comprehenſa illuminatione diſtinguitur, cum magiſtris rerum ei tranſmittere deberemus. Quatenus impetratis delectationibus perfruendo, quod nobis eſt quotidianum illis videatur eſſe miraculum. Meritò ſiquidem reſpicere cupiunt quod legatorum ſuorum relationibus obſtupeſcunt.* Harum quoque legationum miniſterio ipſi reges, totæque gentes inuitantur ad ſpectacula. Qualia fuerunt inſana illa, ad

Athen.lib.5. quæ Antiochus ille † ἐπιμανὴς per legatos vocauit † inſanus. ciuitates Græciæ. Irreuocabilis priſca ætas ſuppeditauit multa exempla earum legationum quæ mittebantur ad ediſcendas, tranſcribendaſque illuſtrium gentium leges; vt illa quæ Roma in Græciam miſſa

Liu.lib.2. eſt, vnde fluxit ius Romanum, & adorandæ illæ tabulæ. Mittebantur quoque ad deſumendos ritus ſacrorum, & quicquid pertinet ad cultum Dei. Qualis illa quæ à Ptolemæo Philadelpho ad Eleazarem ſummum Pontificem Iudæorum in hoc ſolum deſtinata eſt, vt ediſceret Iudaicum ius

Iuuen.ſat. 14. *Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes.*

Vnde ad eum miſſi interpretes ſacrorum librorum, quibus poſtea è numero ſeptuaginta nomen. *Feneſtella*, inquit Lactantius, *diligentiſſimus ſcriptor de XV.*

Lactant. de fal.rel.lib.1. 27. *viris dicens, ait, reſtituto Capitolio retuliſſe ad Senatum C. Curionem Conſulem vt legati Erythras mitterentur, qui carmina Sibyllæ conquiſita Romam deportarent. Itaque miſſos eſſe P. Gabinium, M. Octacilium, L. Valerium, qui deſcriptis à priuatis verſus circa mille Romam deportarunt. Idem ſupra oſtendimus dixiſſe Varronem. In ijs ergò verſibus quos legati Romam attulerunt, de vno Deo hæc ſunt teſtimonia.* Iſtis annecto illas quæ mittuntur ad homines ſanctitate inſignes, qui rogantur vt ſuis

Theophyl. lib.5. hiſt. 32. apud Deum precibus impetrent à Deo & regno cunctæque genti incolumitatem, & ipſi regi liberos. Choſroes, inquit Theophylactus, mirifice anxius mi-

ſit ad Sergium martyrem, ad quem reliquæ gentes barbaræ mittere ſolent; eumque aurea cruce, vt pretioſo munere honorauit. His proximæ ſunt illæ quæ mittebantur ad enodandas altiſſimas rerum naturalium quæſtiones, atque adeò ad interpretanda ipſa ſummi opificis oracula.

hos vtinam inter
Heroas natum tellus me prima tuliſſet. *Horat. lib. 2. ſer. ſat. 2.*

Neque enim primis ætatibus legationes, & quidem hæ, quas voco illuſtres, mittebantur ad rixandum, vt hodie, de finibus, ad amplificanda iura imperij, ad euertendos imbecilliores, ad oſtentandam potentiam, & inuidioſas opes, ad explicandas cæteras artes humanæ nequitiæ. Sed adibantur æterna illa, & ingentia decóra mortalitatis. Nimirum, obſcuritates rerum admouebantur lumini diuinarum mentium; & ænigmata multò quàm Sphingis difficiliora prima illa, & incorrupta ſapientia ſupra captum, moremque hodiernæ mortalitatis enodabat. Inexplebilis hæc auiditas non legationem ſed ipſam reginam Saba exciuit ad regem ſapientia inclytum. Hoc exemplum multis poſt ſæculis repetitum eſt ab Indis, Bactris, Hircanis. Hi enim ad Antoninum Pium, iuſtitia tanti Imperatoris comperta, quam ornabat vultus ſerenus vereque imperatorius, legatos miſerunt. His cognatę ſunt illæ, per quas conſilium petitur. Conſulitur Deus aut homines. Diuinis conſilijs nomen eſt oraculis. Hæc qui ſciſcitatum mittebantur, vt ſupra monui θεωροὶ dicti, quibus, vt ait Lucanus, dabatur libertas cum Ioue loquendi. Tunc enim humanus animus in tuto eſt, cùm diuinis conſilijs nixus eſt. Iſti θεωροὶ erant ſpectatæ virtutis homines; atque adeò ipſius virtutis inſignijs nobilitati, qualis Gallias ille pancratiaſtes apud Polybium. Sic Labienus cùm ſuaderet Catoni vt conſuleret Ammonem,

Lib. 3. reg. cap. 10. *Sex. Aur. Victor in Antonino Pio. 1916.* *Polyb. ecl. legat. 146.*

—ſors obtulit, inquit, *Lucan. lib. 9.*

Et fortuna viæ tam magni numinis ora,
Conſiliumque Dei. tanto duce poſſumus vti
Per Syrteis, belliqne datos cognoſcere caſus.

Humana conſilia quia fide prudentiaque conſtant, in quibus vtraque eminet, ad horum limam iudicij mortales ſua poliunt, formantque. Atque adeò legatorum conſilia ijs de rebus ſuper quibus venerunt, vt alicubi Demoſthenes ait, & ſupra dixi, creduntur eſſe veriora. Hac mente Achæi per legatos conſuluerunt T. Quintium: & Elienſes Amaſin regem Ægypti. Hoc exemplo Michael Imperator Conſtantinopolitanus per legationem quæ Rhotomagi audita eſt, conſuluit Ludouicum Imperatorem Occidentis & regem Galliæ, quid ſuper ſacris imaginibus ſe facere æquum cenſeret, poninè an deponi deberent. Vt ad petenda, ita quoque ad danda conſilia mittuntur hæ legationes. Neque refert petita ſint, an minimè. Hoc exemplo ille ipſus Amaſis Polycraten Samiorum tyrannum hominem fœdum & maculoſum per legatos ad modeſtiam hortatus eſt. Quo tam ſalutare conſilium aſpernante, denique per epiſtolam amicitiam cum eo diremit. Etſi non ſum neſcius aliter hoc negotium memorari ab Herodoto. Diodorus ea quæ d XI. Hic firmat, nimiam felicitatem Polycratis Amaſi meritò ſuſpectam regi dediſſe cauſam confringendæ inter ipſos hoſpitalis teſſeræ. Hiero Siciliæ rex muneribus & auxilijs, quæ Romanis, Annibale Italiam infeſtante, miſit, *addidit conſilium, vt Prætor, cui Sicilia eueniſſet, claſſem in Aphricam traijceret, vt & hoſtes in terra ſua bellum haberent; minuſque laxamenti daretur ijs ad auxilia Annibali ſubmittenda.* Hoc exemplo Synodus Ariminenſis miſit legatos ad Conſtantium Imperatorem qui ei conſilij patrum ſententiam ſcripto indicarent. Poſtremò, illuſtres hæ legationes nonnunquam non mittuntur ad vnum quempiam, ſed alicubi multæ conueniunt, vt ab omnibus pariter in medium conſuli ſuper communi negotio poſſit. Tales fuerunt

Demoſth. de fal. leg. 199.
Liu. lib. 25.
Diodor. Sic. lib. 2. cap. 5.
Platina in Eugenio 2.
Herodot. lib. 3.
Liu. lib. 12.
Niceph. lib. 9. cap. 39.

ſuerunt illæ quæ ex omni Græcia diuerſæ conuenerunt in eam, quæ Magna dicta, poſt crematum ibi cœtum Pythagoreorum, poſtque ortas eam ob rem vbique & cædes & ſeditiones. *Semnones*, inquit Cornelius Tacitus, *Sueuorum vetuſtiſsimi nobiliſsimique ſtato tempore in ſyluam augurijs patrum, & priſca formidine ſacram omnes eiuſdem ſanguinis populi legationibus coeunt*. Interdum tales legationes conueniunt in confinitijs, vtriuſque imperij iura cogniturae. Quo exemplo Zacharias à Tiberio ſecundo legatus eſt ad confinia Romani & Perſici imperij. Ab illuſtribus legationibus excludo eas omnes, quibus cauſam dedit negotium odioſum, quamlibet & publicum, & ſalutare: cuiuſmodi ſunt illæ quæ mittuntur ad accuſandum. Miniſterio talis legationis Peloponneſij Pauſaniæ diem dixerunt. In exordijs Demoſthenis extat exemplum quorundam legatorum, non qui à ſuis miſſi ſint ad accuſandum, ſed qui ipſi dum volunt videri diſertiores quàm meliores, falſis & mendacibus accuſationibus innocentes impetunt. Odioſiores prope ſunt illæ, quæ quempiam ſibi dedi poſtulant. Huius generis fuit legatio Lacedæmoniorum miſſa ad Admetum regem Moloſſorum, quæ Themiſtoclem palam popoſcit ad ſupplicium.

Po'yb. lib 2.

Tacit. de morib. Germ. 541.

Menand. ecl. legat. 145.

Demoſth. in exord. 147.

Diodor. ſic. lib. 11. bibl.

CAPVT LXV.

Quædam vitia notantur quæ legato diligenter ſunt vitanda.

Neque mihi metipſe, neque ſanè ſuſcepto muneri ſatisfaciam ſi non diligenter moneam legatum vt plus angue vitet ineptiam. Sæpe enim non intellecta obrepit ſicuti proſerpens beſtia; neque ſolùm poſt quemque conſiſtit, ſed intra quemque, eumque inde propinandum præbet. Sæpe eminet in cen-

ſorio ſupercilio, adhæret linguæ diſerti, ſerijs permiſcetur, vt cardui floribus. Agitat ſæpe nos, qui calemus ſtudio ſcribendi. Denique & ipſis ſeuerioribus mirè placet hæc ſecta ineptiendi. Sed alijs omnibus in ſua, videlicet, ſtultitia ſatis eſt ſupplicij, non item ijs, quibus dantur publica munia, in his legato. Huius enim facta, dicta, geſtus, ſimulatque vulgo diſpaleſcunt, nempe ipſe totus tacitis exterorum iudicijs æſtimatur. Hinc procedere negotia, hinc retardari conſtat. Itaque cuicunque datur hoc munus, priuſquam prodeat in publicum, quicquid ſordium in vita collegit, id vt abluat, cenſeo. Primùm multo ſale defricanda ruſticitas, moreſque indocti, & agreſtes, quales prodiderunt in ipſo aditu petrones illi, qui ſunt à Celtiberis miſſi ad Gracchum Prætorem. *Hi priuſquam*

Liu. lib. 30. *legationem ederent, petierunt ab eo vt iuberet ſibi dare bibere.* Ruſticitate tetrior temulentia, vnde ignoratio ſui, oculi nantes, mens madida, gradus vacillans, taliaque damnosè bibentium. Sæpe ebrietas euertit ea quæ legatio tentat & molitur, ſiue ea eſt legati, ſiue illorum qui adeuntur. Hæ fœditates in legato eo ſunt notabiliores quò magis extrinſecus & ſeuerus, & adductus antea conſpectus eſt; idemque poſtea deprehenditur intime ſolutus. Adnotauit Dion, à Tarentinis impulſu ebrietatis Romanam legationem tam atrociter fuiſſe violatam. Ebrietati comes it libido. Certè auerſio Troiæ fuit ab libidine Paridis, qui vt legatus à Menelao exceptus, raptam ei Helenam ſecum abduxit. Id quod Ioui poſtea Menelaus in ſua illa ante † μονομαχίαν à numine exaudita prece repræſentauit.

Dio ecl. legat. 375.

† ſingularem pugnã. † Iupiter rex, da punire eũ qui me prior male habuit, diuum Alexandrũ, & meis ſub manibus doma, vt aliquis timeat & poſterorum hominum, hoſpitem malis afficere qui amicitiam præbeat.

Homer. 3. Iliad.

† Ζεῦ ἄνα, δὸς τίσασθαι ὅ με πρότερος κακ' ἔοργε,
Δῖον Ἀλέξανδρον, καὶ ἐμῆς ὑπὸ χερσὶ δάμασσον,
Ὄφρα τις ἐρρίγησι καὶ ὀψιγόνων ἀνθρώπων,
Ξεινοδόκον κακὰ ῥέξαι, ὅ κεν φιλότητα παράσχῃ.

In tales hoſpitalis menſæ violatores hæc meritò conijci poſſunt,

† ἔτλης θεῶν ἀλοιτὸς ἐκβῆναι δίκην, *Lycophr. Caſſ.10.*
Λάξας τράπεζαν κ' ἀνακυπώσας θέμιν
Ἄρκτου τιθήνης ἐκμεμαγμένος τρόπους;

† Auſus es diuinũ ſceleſte ius tranſgredi, Percellens ius menſæ, & iuſtitiam euertens, Vrſæ nutricis mores exprimendo.

Arcades item illi miſſi ad Antigonum ad epulas inuitati, cùm primùm, ſicuti figmenta hominum, ne ipſi quidem ſe mutuo aſpicerent, ac veluti collo munito, neutram in partem os conuerterent, vt proceſſit compotatio, inducique cœptæ Theſſalæ ſaltatrices nudæ ſaltantes, tum verò animi cupidi non diutiùs continuerunt oculos indomitos, & linguas intemperantes: ſed impetu deſiluerunt è lectis, ſimulque exclamarunt, ſicuti nobili ſpectaculo obſtupefacti, Fortunatum regem, qui talem voluptatem ſortitus eſſet. Væ vobis balatrones. Neque enim rex ideo felix, ſed vos emiſcuiſtis intemperantiæ manifeſti. *Athen. lib. 13.* Adſunt iſti propè inquinatiores ſeptem legati, quos Megabazus Perſa miſit ad Amyntam regem Macedonum. *Herodot. lib. 5.* Re, ſcilicet, impetrata ad quam venerant, regio conuiuio multa humanitate ſunt adhibiti. Sed vbi per vinum & epulas incaluerunt, multa procacitate, impudico intuitu, & manibus intemperantibus inludere cœperunt fœminis ipſis regijs. Sed iura tam officioſæ hoſpitalitatis tam fœdè violata Alexander filius Amyntæ ita vltus eſt, vt decuit animum regium, legatis interfectis in illo ipſo æſtu feruentis libidinis. Quod factum parum probatur ijs, qui parum ſciunt, quanta temperantia exigatur ab legatis; & quàm magni reges tantæ iniuriæ intolerantes ſint. Nempe ferret Macedonum Rex, legatum in patriam regreſſum gloriari poſſe ab ſe contrectatas eſſe feminas regias? Num tantam fœditatem æquum fuit obumbrari iure legationis? Certè cùm ipſi, poſita legati, hominum audaciſſimorum ſimul & impuriſſimorum perſonam induerint idque facinus admiſerint non in latebris ſed in loco celeberrimo, nempe in conuiuio regis, iure interfectos cenſeo. & re tali, violatori legationis, talionem reddi non ſolùm poſſe,

Oo ij

ſed & oportere aio. His adnecto legatum illum regis Arabum, qui ab Herode inuitatus ad cœnam, vbi ſibi lepidè vino atque victibus eſſe cœpit, oculos hiantes in Salomen ſororem ipſam regis ſemel defixos ne flexit quidem, nulla adſtantium verecundia. Hic certè & inriſus, & inritus dimiſſus eſt. Refert Amphiaraus tragœdiarum ſcriptor, cùm hominibus ſtellæ relinquerent locum, Canem miſſum fuiſſe legatum ad Doloram, qua viſa is ſtatim exarſit in amorem eius. Eique, ait, hoc fuiſſe ſupplicij, vt impenſiùs vreretur. Hoc fere ingenio fuit Polyarchus ille cognomento delicatus. Is ab Dionyſio iuniore legatus ad Tarentinos illos eductos in nutricatu venerio, Archytæ ad lucum obuius factus habuit venuſtulam illam de dia voluptate orationem, indignam non modò philoſopho, eodemque legato, ſed & quolibet qui modò vir ſit, & videri velit. Neſcio an ab fœditate libidinis magis redemptus, certè ſuperioribus fortunatior fuit Conſtans, qui Roma legatus ad Varachum, vbi fuit Drepani, implicitus puella filia hoſpitis ſui, patre ipſo ſi non lenone, at certè coniugatore, ex ea procreauit illum, qui poſtea Conſtantinus, clarum nomen inter Romanos imperatores. Iſti hæc mirè conueniunt;

Ioſeph. Iud. antiq. lib. 16. cap. 7. — *German. Caſ. in. Cane, 130.* — *Athen. lib. 12.* — *Niceph. lib. 7. cap. 15.* — *Maximi. eleg. 5.*

Miſſus ad Eoas legati munere functus
Tranquillum cunctis nectere pacis opus,
Dum ſtudeo geminæ componere fœdera pacis,
Inueni cordis bella nefanda mei.
Hic me ſuſcipiens Hethruſcæ gentis alumnum
Inuoluit patrijs Graia puella dolis.

Niceph. lib. 9. cap. 23.

Malim legatos eſſe imitatores Euphratis & Vincentij legatorum Conſtantis; quibus cùm à Stephano Epiſcopo Antiochiæ ſummiſſa eſſet ancilla conducta & producta è fornice, ſtatim vt alter eorum lupæ aduentũ ſenſit, vt læuum numen abominatus, pſalmum cecìniſſe dicitur. Quid, quod hominibus bracteatis, quique vultum non animũ cõpoſuerunt, ipſa pectoris

arcana ſubducunt ſe vinolentia, cibis, lautitijs? Nam quid ſerij ab illo expectes, qui pondera mentis demittit mergitque in ventrem auarum? quem gula domitat, & edacitas? Talis fuit Ariſtas quidam gulo Xenophontæus, & Phigalenſes illi lurcones, qui conſurgunt in præconia voracitatis; barbaro, videlicet, more,

Xenoph. l. 7. ἀνάβ. *Athen. li. 4.*

† Nam barbari viros exiſtimant ſolos qui plurimùm poſsũt edere & bibere.

† Οἱ βάρβαροι γὰρ ἄνδρας ἡγοῦνται μόνους
Τοὺς πλεῖστα δυναμένους καταφαγεῖν τε καὶ πιεῖν.

Ariſtoph. in Acarn.

Alij peccant in contrariam partem. Sibi enim tum maximè plaudunt, cùm in conuiuijs apparent pleni faſtidij, cuncta transmittentes inguſtata; aut tangentes

— male ſingula dente ſuperbo, *Horat.*

naſoue ſuſpendentes quicquid vident. Præpoſterum genus hominum. Qui dum palam oſtentant intempeſtiua ieiunia, multum produnt ineptiæ. Quippe ſobrietas quibus à natura indita eſt, non tam eſt virtus, quàm dux ad virtutem, hoc eſt, continentiam, & moderationem. Eadem eſt odioſa cùm inde eſt mœſta vigilantia, malæ curæ, & atroces cogitationes. Sub quibuſdam ſyderibus homines ſunt comedones; neque epulantur niſi, quod aiunt, ſaliarem in modum; quibuſque conuenit illud Diogenis, coniectum in Megarenſes. Obſonant quaſi craſtina die morituri. Neque tamen id continuò dixerim vitium, ſed morem. Sæpe, caligamus dum quorundam vitia vocamus mores, aliorum mores perſtringimus vt vitia. Graphicè ſcitéque Salluſtius Gallicus ſcriptum reliquit, edacitatem in Græcis gulam eſſe, in Gallis naturam. Ita quædam gentes veriùs dicuntur feroces, quàm fortes. Quia illud neſcio quid duritiæ habent magis ab ingenio, quàm ab educatione, & labore. In hanc ſententiam Appianus Germanos negat eſſe † φερεπόνους in pugnis, vtiue vlla diſciplina opifice virtutis, ſed impetu ferri vt feras. Ergo legato ſuadeo comitatem ne incidat in toruitatem, ac ne

Tertull. in Apolog. *Seuer. Sulp. dial. 1. c. 4.* *Appian. in Celt.*

† laborum tolerantes.

ei quiſpiam vinoſus inebrians aurem hæc oggan-niat,

Horat.lib.1. od.18.

Siccis omnia dura Deus propoſuit.

Et verò cùm ingens vis mortalium neſcio quid licitæ voluptatis in eo ponat, vt vbi quicquam occaſionis ſit, ſibi faciat bene, hilariuſque conuiuetur, inuitet etiam ſe ſe in cœna pluſculum; iſque mos ad illa ipſa conuiuiorum, quibus interſunt legati, peruenerit, etſi mihi quidem probantur ſobrij conuictus, tamen haud dicam dolo, audeo ſuaſor eſſe, vt ne legatus excerpat ſeſe, ſed illi qualicunque voluptati modeſtè miſceatur, atque ex multis vnum aliquem diem ſumat prothymè. Eſt interdum munitæ ſapientiæ vis adhibenda; dandum aliquid locis, nonnihil remittẽdum de moroſa illa ſobrietate exprobratrice illius qualiſcunque conſuetudinis. Denique vſque eò à prudentibus bibitur, quoad excitentur, non obruantur.

Horat.lib.3. carm.od.21.

Narratur & priſci Catonis
Sæpe mero caluiſſe virtus.

Vide Plin. lib.3.ep.12.

Eadem cepſeo legatus faciat quę alij, ſed non eodem modo. In illo ipſo ſtrepitu luxuriæ emineat vt inuitatus, ac verè alius, non ſe diffingens, modeſtus non diuerſus, lætus non laſciuus. Denique hactenus morigeret moribus externis, vt ab ſeſe ſegreget omnem ſuſpitionem improbi & maligni adnotatoris illorum, quæ à madentibus licenter dicuntur, aut fiunt: ne per ipſum ſtet quominus celebretur iucundum & credulum conuiuium. Id modò caueat, ne quicquam committat quo poſtea ſobrius erubeſcat. Audi legatos Athenienſes miſſos ad regem Perſarum,

Ariſtoph. in Acarn.

† ξενιζόμενοι δὲ πρὸς βίαν ἐπίνομεν
ἐξ ὑαλίνων ἐκπωμάτων, καὶ χρυσίδων
ἄκρατον οἶνον ἡδύν.

† Hoſpitio enim excepti pro virili bibimus è poculis vitreis, & aureis ſcyphis merum vinum ſuaue.

Neque tamen veto legatum omni tempore eſſe ſolertem, &, ſolutis in laſciuiam aliorum animis, quæ notanda videntur limis rapere, ac demittere in imum

pectus, vnde in occaſione promptentur. Ipſe nulli captatori pateat. Vultum madidis aſſimilet; animum ſeruet impollutum. Bonoſus imperator, vaſtus ille gurges, barbaros legatos maioribus poculis inuitare ſolitus erat; vt ſimulac eos vino depoſuiſſet, ipſe in illa intemperãtia non modò de mente non deiectus, ſed, quod mirere, erectior ab ebrijs eliceret, quæ à ſobrijs nequiſſet. Simile quiddam eſt apud Tibullum, *Flau. Vopiſc in Bon.*

Sæpe mero ſomnum peperi tibi, at ipſe bibebam
Sobria ſuppoſita pocula victor aqua. *Tibull. lib. 1. el. 6.*

Apud Platonem Alcibiades ait, Socratem quantum quis iuſſerit, bibere, neque tamen inebriari. *Plato in ſymp. 214. A*

CAPVT LXVI.

Quædam circumſpectiones legatis neceſſariæ.

LEgato tanta ſuæ mentis cuſtodia eſſe debet, vt ne vacillet quidem in ijs, quæ etſi per ſe non ſunt virtutes, tamen ſunt argumenta virtutum, & quidem maximarum. In his eſt lætitia conuiuialis in qua quicquid ſcitè dictum, aut prudenter actum fuerit, bis tantò maius eſt & inluſtrius, vt ſunt extemporalia, quàm quæ meditata ſunt. Sæpeque hinc non minor legationi dignitas conciliatur, quam è negotio feliciter geſto. Fabricius proboſcide belluæ neque inhorruit, neque à Romano habitu dimotus eſt. Neque heri aurum tuum me, neque bellua, inquit, commouit. O magnum, & ſemper æquale ingenium; quod vt nullis muneribus flecti, ſic ne vllo quidem metu deijci potuit. Nequaquam par fuit conſtantia Chagani. Is viſo ingentis magnitudinis elephanto, quem ſibi à Mauricio imperatore mitti rogauerat, confeſtim relicto theatro, iuſſit belluam reduci ad Cæſarem, ſiue ex admiratione, ſiue ex *Plutarch. in Pyrrho.* *Menand. ecl. legat. 95.*

contemptu ac deriſu. Id enim incompertum. Enimuero his locis præſtita conſtantia eò eſt admirabilior & célebratior quòd improuiſo metu nullus eſt affectus vehementior, nullus inſidioſior. Nam quicquid intimè latuit, ſtatim edit, documentum animi minuti & anguſti, diſſimilis Fabricij, ſimilis Praxitelis, à quo artifex fœmina callido, ſolertiq; mendacio expreſſit ecquod ſignorum illius eſſet excellentiſſimum; apud quem nullæ eiuſdem blanditiæ potuerant eſſe perſuaſtrices. In primis legato videndum ne talibus locis aliquo ſuo dicto factóue negotia ſui imperij Reiuepublicæ affligat. Quod ſanè fuit ſapiens reſponſum legatorum Antiochi datum Flaminino. Non enim pauci inconſultè loquuntur; nimio plures effutiunt verba temeraria quæ continuò deſpui debent. Lyſimachus fortè memorabat ſuam illam cum leone luctam; nudataſque cicatrices inſpiciendas præbebat legatis Demetrij; Qui illico, Noſter quoque Rex, inquiunt, Lamiæ morſus in collo impreſſos habet. Exprobrantes regi ſuo, & quidem apud æmulum tyrannum, amorum eius ſuauiationes, & morſiunculas. Quid blaterari potuit intempeſtiuius, quid regi ſuo nocentius, quid à munere legationis alienius? Haud minùs ſortitò Elæorum legatus dixit reditura in turpitudinem ſuam, nempe, ſe à ciuitate Spartam ea re miſſum, quòd vnus vitæ Laconicæ ſtudioſus eſſet. Ibi Theopompus excuſsè hunc nebulonem repercuſſit. Vtra, inquit, ô Elæe, vita probatior, tuane, an aliorum ciuium? Mea. Vah, quî ſalua vrbs eſſe poteſt, in qua vnus è tot millibus probus ſit? Inter cæteras laudes quas Antenor Menelao tribuit, qui fuit legatus Agamemnonis cum Vlyſſe, hæc eſt, vt fuerit

Pauſ. lib. 1.

Diodor. ecl. legat. 315.

Plutarch. in Apophth. Laco.

Homer. 3. Iliad.

† ὐδ' ἀφαμαρτοεπὴς,

ſed † στωμυλότομος, vt ſupra ex Æſchylo de Mercurio dixi. Quid potuit ab legato Romano intempeſtiuius, atque

Priſc. ecl. legat. 26.

† non errás in verbis

† oris gra-us.

atque adeò arrogantius dici, quàm cùm inter cædendos ſermones imperatorem Theodoſium fecit Deum, Attilam verò, apud quem erat, mortalem? Non deſunt legati, qui intempeſtiuas literas nec deſiderantibus oſtentant; Vt ille, qui cùm Cæſari excidiſſet ſolœciſmus manifeſtarius, (nam vterque multa latinè) eum ipſe latini ſermonis abſurdus exactor reprehendere cœpit. Vah, vt ſum falſus, ait Cæſar, qui credidi ab legato mecum agi de re ſeria, non me incidiſſe in moleſtum Grammaticum. Feliciùs neſcio quis è media concione Demetrij impunè, M. Pomponius Marcellus Tiberij ſimilem ferè errorem notauit. Abſurda hæc literarum oſtentatio ſignifiat eſt, legatum eſſe hominem animi parum ſolidi, ac tumentis falſa opinione intelligentiæ. Cenſen' ternionem illum legatorum Athenienſium miſſum Romam de graui multa ciuitati remittenda, non profuſum Italo aceto, non aſperſum ſalibus Romanis, cùm ij per celeberrima vrbis loca oſtentandi gratia diſſertauerunt? Neque enim iſtis palliatis ideo legatio data, vt profeſſoria lingua Romæ clareſcerent, ſed in hoc tantùm, vt perſuaderent Senatui, dignos eſſe Athenienſes, quibus multa talentûm quingentûm remitteretur. Quamuis hoc paulò aliter memorent Plutarchus, Plinius & Lactantius atque Macrobius. Certè ſicuti ſcholaſtica, & è libris, ac diſputationibus parta ſapientia, & literata colloquia in priuato fidem faciunt pectoris eruditi, ita in publico, ſi non deſiderantur, produnt ingenium ineptè ambitioſum, & linguam circulatricem. Aliud ſceptrum, aliud plectrum. Vt regi per omnia captanda eſt laus bonitatis, ſenatori prudentiæ, philoſopho veritatis, ſic legato fidei ſimul ac dignitatis. Cæteræ laudes infra haſce iacent, nec ijs ſunt inuidendæ quibus ſunt maximæ. Arripiat potiùs legatus, vbicunque eſt, ſiquid audit, aut aduertit, occaſiones, quibus palam faciat animum vigilem, oculum excubitorem, mentem

Plutarch. in Apophth.
Sueton. de illuſtr. Gram.
Macrob. l. 1. ſat. cap. 5.
Lib. 5 c. 15.

In epiſt. M. Aur. 108. b. exploratricem rerum & morum, denique iudicium elegans. Ad hoc exemplum dicitur quidam Luſitanus, cui ab Carthaginienſibus Romam legatio data fuerat, carbone hæc ſcripſiſſe in patibulo, cui innocentem ab quodam latrone ſuffigi viderat, O crux enata inter fures, alta inter ambrones, exciſa inter nebulones, erecta inter latrones, nempe hoc genus hominum abſoluis, innoxios perimis. *Idem ibid.* Alter quidam legatus Dionyſij tyranni Siculi, cùm aduertiſſet maieſtatem Senatus, molem Capitolij, gloriam triumphorum, diuerſitatem nationum, quietem vrbis, & ordines magiſtratuum, atque interrogatus, Quid tibi videtur? O Roma, inquit, huic tuo tam ſapienti ſæculo ſuccedet ſtultiſſimum; vtique nimis vero vaticinio vulnera detegens ætatum inſequentium. *Plin. lib. 14. cap. 22.* Memorat Plinius ſcitum dictum cuiuſdam legati Scytharum, Quanto plus biberint, tanto magis ſitire Parthos. Apud eundem Plinium extat dictum legati *Plin. lib. 35. cap. 4.* Teutonorum. Is enim *cùm videret paſtoris ſenis cum baculo imaginem, interrogatus quanti eam æſtimaret, reſpondit, ſibi donari nolle talem viuum, verumque.* Nempe eam artem qua tale quidpiam repræſentatur, in leui habens, quam tamen ridiculè multi admirentur. *Plin. lib. 14. cap. 1. 248.* Idem Plinius memorat, Cineam legatum regis Pyrrhi facetè luſiſſe in auſteriorem guſtum vini, quod fiebat è quibuſdam vitibus, quarum ipſe altitudinem mirabatur. *Dixit enim, meritò matrem eius pendere in tam alta cruce.* Fertur quoque dictum cuiuſdam legati, qui cùm iter faceret per vallem ſatis anguſtam, ſaxoſam & ſenticoſam, quæ eſt quædam particula liberæ Reipub. qua cum Regibus Chriſtianiſſimis non ſolùm eſt amicitia, ſed & fœdus, denique admirationem ſuam in hæc verba ſoluiſſe, O vallis miſeriæ, ô montes ſuperbiæ, beati qui non viderunt & crediderunt. His tam ſolertibus argutiſque dictis non dubium eſt legati induſtriam, ſolertiamque mirificè commendari. Neque verò veto legatum qua

dote potiſſimùm cenſetur, in ea ſuas vires exercere, ſi inde legatio iuuari & illuſtrari poteſt. Gorgias Leontinus torrente quadam dicendi copia ab Athenienſibus illa ad quæ venerat, impetrauit. Cyneas felicem memoriam loco ac tempore feliciter prompſit, cùm poſtridie quàm Romam aduenerat, Senatui & equeſtri ordini nomina reddidit. Hæc quoque virtutum non captata, aut affectata oſtentatio dici vix poteſt quantum legati perſonam magnificet. Laudatus fuit Tydæus, qui ſolus ab Achiuis legatus Thebas,

Diodor. Sic. lib. 12. bibl.

Sen. in prol. decl. & Plin. lib. 7. c. 24.

† Θυμὸν ἔχων ὃν καρτερὸν ὡς τὸ πάρος περ
Κούρους Καδμείων προκαλίζετο. πάντα δ' ἐνίκα
Ῥηϊδίως.

Iliad. 5. 205.

† animum ſuum retinēs fortem ſicuti prius Iuuenes Thebanorum prouocabat. Quēlibet autem vincebat.

Huc accedit, quod legato diligenti, ſolertique nullus locus, nullum tempus vacuum. Si quid tamen ſuperſit ſubciſiui, id quoque parcè diſpenſari debet, vt ſufficiat neceſſarijs. Nam tunc maximè audita & viſa quà chartis, quà memoriæ commendantur. Dandum & ſuum meditationi ſpatium. Ergo hoc temperamentum prudens legatus ſibi indicat, ne profiteri videatur, aut illo, quicquid eſt, velle cenſeri, indeque captare clamores vulgi, & ſtudia iuuentutis erga ſe accendere. Nonnunquam ſuam vitam diſtinguat, condiatque ſtudijs; & hæc exerceat ad eruditionem, non ad ambitionem. Si doctus eſt, ſuæ doctrinæ ſit antiſtes, non inſtitor. Gregorius, qui à Pelagio Papa legatus fuit ad Tiberium Imperatorem, in ea legatione libros Moralium in Iob ſcripſiſſe dicitur. Strabo eſt autor, repertos eſſe legatos qui de ſua peregrinatione commentarios ſcripſerunt. Probatur mihi exemplum Cratis Mallotis, qui *miſſus ad ſenatum ab Attalo rege, cùm in regione palatij prolapſus in cloacæ foramen, crus fregiſſet, per omne legationis ſimul & valetudinis tempus plurimas ἀκροάσεις ſubinde fecit; aſſidueq; diſſeruit; ac noſtris exemplo fuit ad imitandum.* Omnes iſti multò ſanè præclariùs quàm illi, qui dies noctesque alea continuant, aut prodigi ſui, aut raptores

Paul. Diac. lib. 1. hiſtor. cap. 13.

Strabo li. 2. 65.

Plin. de illuſt. Gramm.

alieni. Quidam legati in conciliabulis plebeculæ non dubitant ſe vltro largiri, & quidem incomitatos. Iidem ſæpe nocturni perreptant ad loca latebroſa duce libidine, famæ ſuæ incurioſi, cuius haud verentur fœdam buccinam. Certè vt quandoque liceat principi non ſepto ſua familia vagari per cœtus hominum, tamen id legato nunquam non eſt inlicitum; ne principi vſpiam occurrat vbi vterque æſtuet, quod ibi neuter aſpici cum dignitate poteſt. Pudeat legatum alibi conſpici, quàm vbi eſſe honeſtè poteſt; ne de eo dici poſſit illud,

Iuuen. ſat. 8.

— in magna legatum quære popina.
Inuenies aliquo cum percuſſore iacentem,
Permiſtum nautis, aut furibus, aut fugitiuis,
Inter carnifices & fabros ſandapilarum,
Et reſupinati ceſſantia tympana Galli,
Aequa vbi libertas, communia pocula, lectus,
Non alius cuiquam, nec menſa remotior vlli.

Vſquamne reperiantur legati mentis tam deiectæ, vt fœnore pecunias auctitent, vulgaria compendia, atque adeò ſordidos quæſtus, & negotia tam lutea ſectentur? cùm agere cauſas & ſuſcipere patrocinia, aut accuſationes, niſi ad hoc ipſum miſſi fuerint, aliiſue priuatis rebus obſtringi, ante perfectam legationem, legibus prohibeantur? Teſtor M. Tullium, qui ait, *maiores neminem, qui cum poteſtate, aut legatione in prouinciam eſſet profectus, putaſſe tam amentem fore, vt emeret argentum. Dabatur enim de publico; aut veſtem; præbebatur enim legibus. Mancipium putauerunt; quo & omnes vtuntur, & non præbetur à populo. Id autem non ſanè aliter, quàm in demortui locum; & demortui quidem non Romæ, ſed ibidem.* Refert Seneca, Attilium Regulum, cùm Pœnos in Africa funderet, ad Senatum ſcripſiſſe, *mercenariũ ſuum diſceſſiſſe, & ab eodem deſertũ eſſe rus; quod ſenatus publicè curari, dum abeſſet Regulus, placuit.* Adnotata eſt feueritas Scipionis minoris, qui defuncto altero è ſeruis, quos præter Panætiũ philo-

L. 12. D. de leg. Cic. 6. Verr.

Sen. de cõſol. ad Albin. cap. 12.

Plutarch. in Apophth.

ſophum in legationem ſecũ duxerat, alium, ne quem emeret, Roma accerſiuit. Porrò ne vlla veſtigia peregrinitatis in legato cõſpicerentur, firmat Labeo, olim his qui in legationem proficiſcerentur, locari ſolitum quæ ſub pellibus viui forent. Et hinc ſupellectilis originem fuiſſe. Poſtremò videant illi quid agant, qui ſubnixi nomine ac ſplendore legationis, ſi Romæ ſunt, euadunt ad opima ſacerdotia, aut alibi ad opulenta coniugia: Quæ cùm olim militibus interdicta fuiſſe conſtet, quî magis licere debent legatis? Quidam tamen reperti tales; Cuiuſmodi fuit Phrynon ille Athenienſis. Is cùm rediret è certamine, ſiue è ſpectaculo Olympico, captus eſt à quibuſdam Philippi comitibus, & omni pecunia ſpoliatus. Denique Athenas reuerſus precatur Athenienſes vt ſibi legationem dent ad Philippum, ea, ſcilicet, mente vt reciperet ſua. Id quod ei populus conceſſiſſe dicitur, non ſatis probato & vtili, vt ipſe opinor, exemplo. Id, ſcilicet, eſt non agere, ſed cauponari negotia. Certè legatis ſemper verendum eſt, ne in tanto munere rem ſuam diligenter, incurioſè publicam egiſſe dici poſſint. Ideoque mens eis eſt componenda ad vtilitatem vniuerſorum nullo reſpectu ſui. Excipiuntur comites legatorum Perſarum, quibus intuitu humanitatis & legationis conceſſum eſt merces commutare extra loca inhibita, & conſtitutionibus expreſſa.

L. Labeo. ff. de ſup. leg.

In argum. orat. Demoſth. de fal. leg. 196.

L. mercatores. C. de comm. & mercat.

CAPVT LXVII.

Legato ſuus locus tuendus, eoque aſſerenda dignitas legationis.

De frequentibus legatorum vitijs ineptijſque ſatis dictum. His enim quiſque nectere poteſt illa quæ cuique genti adhærent. Ea ſingillatim perſequi ſit operis immenſi, & ſuperuacui. Seriò tantùm

mihi monendus eſt legatus, vt ſemper & vbique dignitatem præſtet. Id quod etſi ſupra diſertim dixi, tamen hoc loco, veluti ſuo & idoneo, vehementer moneo vt is ſit loci ſui animoſus aſſertor, viriliterque propulſet omnem iniuriam ſiniſtræ, aut inferioris ſeſſionis. Ipſa numina antiquitas finxit huius dignitatis retinendæ cupientiſſima.

Odyſſ. 3. 55.

† Χαῖρε δ' Ἀθηναίη πεπνυμένῳ ἀνδρὶ δικαίῳ
οὕνεκά οἱ προτέρῃ δῶκε χρύσειον ἄλεισον.

† Gauiſa eſt Pallas propter prudentem virum iuſtū eò quod ipſi priori præbuit aureum poculum.

Cæterùm plerunque fit, vt iudicio illius qui colitur frequētia legationum, legatis hic aut ille locus à deſignatore mōnſtretur vt ſuus. Tunc legatus in hoc ſe erigere debet, vt huius tantæ rei non omnem iudicationem patiatur eſſe illius, ad quem aditum eſt, ſed & ſuam, non vt ipſe quemquam cubito depellat, ſed vt ne quis ipſum. Quippe inueniuntur principes omnis reſpectus contemptores, vt Nero qui legatos, *qui ex Achaia citharœdorum coronas ad ſe pertuliſſent, non modò primos admiſit, ſed etiam familiaribus epulis interpoſuit.* Legatos Thebanos Rex Perſarum ſedere iubebat ſupra legatos regum. Hoc, videlicet, veluti præmio donabat illos, quorum auxilijs ſæpiuſcule iuuabatur. Tunc ad fidem aliorum legatorum maximè pertinuit, id agere quì legati Thebani ſederent apud regem non vtique primi, aut ſuperiores, ſed hercule ſoli, ne ex diſcrimine ipſis dignitas, cæteris accederet contumelia. Cui vitandæ aut in orbem ſedetur, vbi loci nulla prærogatiua, nulla iniuria. Aut tota res ſorti permittitur. Sic Cæſar, Pompeius, Antonius, inito fœdere, ſortiti ſunt quis ipſorum primo loco. quis altero, quis postremo cæteros exciperet. Itaque eo ordine qui ſorti complacitus eſt, conuiuia celebrarunt in ipſo littore. Æqua planè hæc ratio. Nempe ſorte expungitur iniuria, quæ eſt ab delectu. De eodem genere eſt illud, Ne legatus nomen principis, aut Reipub. ſuæ in publicis actis, locíſque illius nomini poſt ſcribi patiatur, cui neque virtute, neque vllis fortunæ mu-

Sueton. in Ner. cap. 22.

Diod. Sic. lib. 17. bibl.

Appian. ciu. 5.

neribus conceſſum velit. Sacerdos Vulcani nequaquam paſſus eſt ſignum Darij eſſe editiori loco, quam Seſoſtridis. Neque enim, inquit, Darij res geſtæ Seſoſtridis conſpicuæ famæ facinoribus æquari poſſunt. *Herodot. lib. 2. & Diodor. Sic. lib. 2. Antiq.*

Venit ad Occaſum, mundique extrema Seſoſtris,
Et Pharios currus regum ceruicibus egit. *Lucan. lib. 10.*

His locis legatus non iraſcendo & rixando, ſed firmanda fronte, & præſtanda conſtantia, grauitateque ſeſe tueri debet. Huc quoque pertinet ordo exponendæ legationis apud illum qui circumfunditur multitudine legationum. Ab Alexandro Magno primùm abſoluti ſunt ij, qui de religionibus venerant. *Diodor. Sic. lib. 17.* Altero loco legati ſociorum, qui ipſum muneribus coluerant. Tertio ij quorum legationi cauſam dederat negotium obſidum. Quarto, cum quibus agebat de priuatis negotijs. Vltimus fuit locus exulum. Vbi aduertendum, cuius eſt prima ſeſſio, huic ius eſſe ex omnibus eligere quam vult, atque adeò vltimam, ſi eſt vt hanc negotium deſideret. Qui mos eſt principibus frequens cùm cenſent. Nam primo loco dicunt, cùm cæteris id agunt vt imponant neceſſitatem aſſentiendi. Vltimo, cùm ſententiam cuiuſque non ſimulanter exquirunt. Hac ſanè de cauſa in concilio Ætolorum, *etſi primus locus erat magnitudinis Romanæ, tamen permiſſu legatorum Romanorum Athenienſes & Macedones primo loco dixerunt. Ipſi vltimo maluerunt, vt obiectis reſpondere poſſent.* *Liu. lib. 21.* Qua cauſa remota, legati de ſuo largiri poſſunt, de alieno & publico minimè. Nam loco aſſerendum eſt ius & dignitas imperij. Hæc fuit animoſa ſimplicitas fulta præclara conſcientia Verriti & Malorigi Friſiorum, qui fortitudini & fidei gentis Germanicæ debitum locum inter eas legationes, quæ virtute & amicitia Romana præcellerent, intrepidè occuparunt. *Tacit. lib. 13. Ann. & Sueton. in Claud.* Pluribus quæ huc pertinent, ſuperſedeo, quia de his ſupra, cùm agerem de admiſſione, vberiùs dixi.

CAPVT LXVIII.

Qualia oſtendi legatis, cuiuſmodi ſermones cum his inſtitui debeant.

A Quibus legati excipiuntur, omni genere virtutum cum hominibus alienigenis certare debent, ac præſtare ne ab vno, aut paucis ſuperentur vniuerſi. Quippe externum decus ipſorum dedecori propiùs admotum quò magis nitet, hoc ipſi aſpiciuntur inquinatiores. Quanti tandem eſt externas legationes non ſolùm tempeſtiuis officijs excipi, & cumulatis honoribus coli, ſed agmine virtutum circumfundi? ergo tum maximè vitia vniuerſæ gentis, eaque quæ cuique ſunt domeſtica, & familiaria, ſi non ſtatim abijci poſſunt, at occuli debent, neque in oſlegato, vt ſic dicam, ructari. Dicitur Chiron Lacedæmonius miſſus ad Corinthios vt cum ijs ſocietatem inſtitueret. Sed cùm is primores populi deprehendiſſet aleæ intentos, re infecta remeaſſe ad ſuos. Ne, inquit, gloriam Spartanam, quæ, ædificato Byſantio clareſcit, hac infamia maculemus; idque nobis meritò exprobretur, quòd ſocios aſſumpſimus aleatores. Legatus quidam Carthaginienſis Romam miſſus planum fecit in Senatu, ſibi, poſtquam Romam aduenerat, decies togam furto fuiſſe ablatam. Nunquid perditos ciuitatis mores potuit veriùs repræſentare atque adeò exprobrare patribus conſcriptis? Dicitur Philippus rex Macedoniæ à legatis Athenienſium viſus & adnotatus, cùm noctem libidinibus & vinolentia vigilaſſet. Et Ptolemæus dormitauit coram legatis, & ab Ariſtomene rectore regiæ iuuentæ expergefactus eſt, atque adeò correptus. Quæ illi † παῤῥησία magno ſtetit. Hæc vitia tam deformia quia ferè obrepunt in ſolennibus conuiuijs ad quę legati vocantur, illis

Ioã. Sariſb. lib. 1. cap. 5.

M. Aurel. in epiſt.

Athen. lib. 10. Plutarch. de differ. adul. & amici.

† loquendi libertas.

illis præcipuè quæ fœderibus adijciuntur, ita, ſcilicet, res omnis temperanda eſt, vt legati nos magnificare neceſſe habeant non ſolùm vt opulentos, ſed, quæ verior eſt laus, vt ſobrios & induſtrios. Idque quò magis ipſa conuiuia commendantur lautitijs, lubentijs, gratijs, ſaporibus elaboratis, alijſque menſæ ſcitamentis. Cuiuſmodi eſt illud,

Pax vbi parta duci, donisque ingentibus empta eſt, Luca. lib. 10.
Excepere epulæ tantarum gaudia rerum:
Explicuitque ſuos magno Cleopatra tumultu
Nondum translatos Romana in ſecula luxus.

Et verò legatos ſplendidiſſimis conuiuijs excipi vetuſtiſſimus mos eſt. Hoc Athenis factitari ſolitum Plutarchus, hoc Rhodi Polybius; hoc ipſum in ipſa Scythia Priſcus teſtis eſt. Talium epularum exemplum eſt apud Q. Curtium, *Inuitatis*, inquit, [ab Alexandro] *legatis gentium, regulisque exornari conuiuium iuſſit. Centum aurei lecti modicis interuallis poſiti erant. Lectos circumdederant aulæa purpura auroque fulgentia. Quicquid aut apud Perſas vetere luxu, aut apud Macedonas noua immutatione corruptum, confuſis vtriuſque gentis vitijs, in illo conuiuio oſtendens.* Epulas tam ſplendidas apud principes Romanos ordinabat Comes patrimonij, cuius diplomati inſerta ſunt hæc verba, *vt ita conuiuium ſollicita ordinatione diſponat, vt legati totius orbis cùm talibus conuiuijs intereſſe cœperint, admirentur copioſè repertum quod in patria ſua norunt eſſe rariſſimum. Ac ſtupeant abundantiam vnius menſæ tantas ferutentium turbas poſſe ſatiare.* Illud ſciendum, talibus locis aliquos ex legatis præcipuo honore haberi poſſe, dum abſit contemptus & contumelia cæterorum. Artaxerxes cùm legatis Græciæ conuiuium exornaſſet, Antalcidæ Lacedæmonio coronam, quam in conuiuio capite geſtabat, vnguento merſam miſit. Hac certè benignitate tam ſplendida haud dubium eſt, quin legatis detur argumentum circumferendi laudes eius à quo ſic honeſtati ſunt, latiſſima prædica-

Plutarch. π. ἀδολεσχ. 5. 894. Polyb. ecl. legat. 153. Priſc. ecl. legat. 51. Q. Curt. lib. 9. 162.

Caſſiod. Var. 6. form. 9.

Plutarch. in Pelop. Ælian. lib. 14. var. hiſt. cap. 39. & Athen. lib. 2.

tione, atque adeò ſuſpiciendi quicquid viderint non deridendi, ſicuti Athenienſes illi riſerunt boues clibanarios. Hodie in ſolennijs conuiuiorum nequicquam deſideretur muſica illa concinnitas, qua Timotheus Cononis à Platone exceptus eſt. Non eò periti æ ſunt progreſſi hodierni modiperatores, & ſtructores, ſiue, vt Plautus ait, conuiuio ſtrategi: qui Græcis fuerunt ἐλέατροι. Cuiuſmodi è Senatu Athenienſe lecti erant tres opſonomi, ſcientes opſoniorum diſpenſatores; vt diſcipuli illi Tripheri doctoris, & illi Archimagiri. Quæ omnia huc tendunt, vt liqueat, talibus locis præſtandam † μεγαλοπρέπειαν, concinnitatem, ordinem tam in cibis; quàm in prærogatiuis ſedendi, illiſque omnibus, quibus & fama iudicij, & fauor latè quæritur. Abſint helluationes, repotia, iurgia, aliaque Cētaurorum & Lapitharum propria. Seruetur modeſtia vt inter ſacra menſæ, ac Deos hoſpitales, quibus ipſis reuerentia debetur. Vitia quæ hîc notantur, ſunt μικροπρέπεια nempe illiberalitas, vitiū magnificētiæ oppoſitum, ſordes, & ſtulta parſimonia, & his contraria, luxus & profuſio. Etſi mihi medium, ſat ſcio, oſtendent vnguem iſti elegantes, ſi audeā inſectari hodiernum furorem conuiuiorum. Quando hoc ſæculū fractum vitijs nihil lautum agnoſcit, aut magnificum quod idem nō ſit compoſitum in hanc, quam vel inuiti videmus, luxuriam, ex qua ingens incrementum ea vitia, quibus iamdiu premimur, accesserunt. Quanquam, ſi quis verum reputare volet, intelliget etiā regias frugalitate haud minùs honeſtari, quàm magnificentia. De Deiotaro M. Tullius, *Omnes ſunt in illo regiæ virtutes; quod te, Cæſar, ignorare non arbitror. Sed præcipuè ſingularis & admiranda frugalitas. Etſi hoc verbo ſcio laudari reges nō ſolere. Frugi hominem dici non multum habet laudis in rege. Fortem, iuſtum, ſeuerum, grauem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hæ ſunt regiæ laudes. Illa priuata eſt. Vt volet quiſque accipiat. Ego tamen frugalitatem, id eſt, modeſtiam &*

Ariſtoph. in Acarn.
Athen. lib. 10. & Plutarch. de rat. conſer. valetud.
Athen. lib. 4.
Iuuen. ſat. 11.
† magnificentiam.
Cic. pro rege Deiot. orat. 43.

temperantiam virtutem eſſe maximam iudico. Sed certe quicquid hîc Cicero oratoriè magis quàm ex animo dicat, vult ſciri Deiotari munera fuiſſe exigua. Id quod ipſe alicubi ſcriptum reliquit. Obſeruauit Plutarchus, tum Athenæus, Cleomenem regem Spartanum, quamuis ſeptum multis legationibus, nunquam cœnaſſe apparatiùs ſolito; ſi hoc exemeris, quòd pro tribus lectis, quibus vti ſueuerat, præſentibus legatis, quinque ſternebantur, maioremque ciborum copiā, vinumq; benigniùs conuiuis apponebat. Curius Dētatus Dictator aditus eſt à legatis Samnitium cùm ipſe eſſet paupere cultu, *Plutarch. Ag. & Cleom. 3.1485. Athen. lib. 4.*

Translatus ſubitò ad Marſos, menſamque Sabellam
Contentuſque illic Veneto, duroque cucullo. *Iuuen. ſat. 3.*

M. Curius, inquit Valer. Max. *Samnitum ſe legatis agreſti in ſcāno aſſidentem foco, ac ligneo catino cœnātem* (quales epulas apparatus indicio eſt) *ſpectandum præbuit. Cumque ei legati magnum auri pondus publicè miſſum attuliſſent, eoque vt vti vellet benignis verbis inuitarent, vultum riſu ſoluit; protinuſque, ſuperuacuæ*, inquit, *ne dicā ineptæ legationis miniſtri narrate Samnitibus M. Curium malle locupletibus imperare, quàm ipſum fieri locupletem.* *Val. Max. lib. 4. cap. 3.*

Plinio autore, Cùm legati Ætolorum Ælium Catum in conſulatu prandentem in fictilibus adiſſent, is miſſa ab his vaſa argentea non accepit; neque aliud habuit argenti ad ſupremum vitæ diem, quàm duo pocula, quæ L. Paulus ſocer ei ob virtutem, deuicto Perſeo rege, donaſſet. *Q. Tubero legatos Ætolorum qui fictilia ſe in eius menſa vaſa vidiſſe retulerant, & omnis vſus argentea magno pondere exquiſita arte fabricata ad eum attulerant, monitos ne continentiæ, quaſi paupertati ſuccurrendum putarent, cum ſuis ſarcinis abire iuſſit. Dicitur Alexander legatos ad Xenocratem cum aliquot talentis miſiſſe. Hos philoſophus in Academiam perductos ſolito ſibi, id eſt modico apparatu, & admodum paruulis copijs excepit. Poſtero die interrogantibus, cuinam adnumerari pecuniam vellet, Quid? vos,* *Plin. lib. 33. cap. 11. 258. Val. Max. ibid. Val. Max. ibid.*

inquit, *heſterna cœna non intellexiſtis ea me non indigere?* De Attilæ lignea ſupellectile non repeto quæ ſupra dixi. Denique Carinum memorat Syneſius, ne erubuiſſe quidem quod ab hoſtium legatis deprehenſus eſſet cœnans abſque vllo auri cultu, aut argenti; cæterùm non purpura circumamictus aliáue pretioſa veſte, ſed punicea indutus, atque adeò fuſus per herbam. Cultui haud abſimilis fuit cibus, nempe neſcio quod atrum pulmentarium, & in eo ſicci fruſtula petaſonis. Hæc tantæ, taliſque frugalitatis conſuetudo non obſtitit, quominus is vltrò vocaret legatos ad ſe, eoſque alloqueretur è dignitate & fiducia armorum, & magnitudinis virtutiſque ſuæ. De hoc extat illud,

Syneſ. in orat. de regno.

Nec taceam primùm quæ nuper bella ſub Arcto
Felici Carine manu confeceris, ipſo
Pene prior genitore Deo: vtque intima frater
Perſidos, & veteres Babylonis cœperit arces,
Vltus Romulei violata cacumina regni.

Aurel. Olymp. Nemeſian. in Cyneg.

Cæterùm legati non ſolùm publicè, ſed & priuatim inuitantur; vt publica munificentia, addito cumulo priuatæ comitatis, ingenium, moreſque gentis exteris validiùs cōmendet. Ioſephus filius Tobiæ legatum regis Ægyptij lautè excepit apud ſe, eumque inſuper muneribus coluit. Quapropter ei poſtea venienti Mēphim Rex & Regina & is qui legationē obierat, obuiā proceſſerunt; eumq; rhedæ impoſitum in vrbem perduxerunt. Legati Pœnorum, *etiam in hoſte, id vehementer dicuntur admirati, quòd Romæ à multis primoribus conuiuio excepti eodem vbique cœnaſſent argento; teſtati nullos mortalium benigniùs viuere.* Sed ſciendum, nonniſi à primoribus, ac magiſtratibus excipi hoſpitio, aut vocari legatos ad conuiuia; ne hac ſpecie tegantur cœtus clandeſtini. Sic Antenor apud Homerum dicit ſe excepiſſe Vlyſſem & Menelaum legatos Græcorum.

Plin. lib. 33. cap. 11. 258.

† Τοὺς δ' ἐγὼ ἐξείνισσα, καὶ ἐν μεγάροισι φίλησα.

Hom. 3. Iliad.

† Hos ego hoſpitio excepi, & in domibus dilexi.

In hanc ſententiam Demoſthenes gloriatur ſe legatos Philippi tectis ſuis excepiſſe, atque adeò ſplendidè, vt ſe illis & eſſe ſuperiorem, & magnificentia antecellere oſtenderet. Deinde non alijs hoc beneuolentiæ ſpecimen exhiberi, quàm ſociorum legatis. Nam, vt ait Cicero, *domum recipere legatum hoſtium, in cubiculum admittere & reducere, hominis eſt nihil de dignitate, nihil de periculo cogitantis.* Sæpe Æſchines ac Demoſthenes mutuis exprobrationibus ſeſe inceſſunt ob legatos Philippi vtrobique priuatim exceptos. Certè Æſchini Demoſthenes diſertim exprobrat, ipſum cum Thebanis, qui ſint hoſtes Reipub. atque adeò cum ipſo Philippo interfuiſſe epulis, vnà coronas geſtaſſe, vnà Pæana ceciniſſe, amicè illi propinaſſe. Dinarchus quoque exprobrat Demoſtheni, ipſum ijs legatis qui cum Antipatro Athenas venerant, bigas conduxiſſe, eoſque excepiſſe, & conſuetudinem Macedonibus aſſentandi primùm in vrbem introduxiſſe. Super lautitiem conuiuiorum legatis oſtendi ſolent ea omnia quibus aſſeritur virtus gentis, famaque potentiæ quæritur, & opulentiæ. Huius generis ſunt ſigna hoſtibus erepta in prœlijs, trophæa, armamentaria, gazophylacia. Etſi ex eo Ezechias reprehenſus eſt ab Eſaia, & Cleopatra ab Lucano,

Demoſth. de fal. leg. 250.

Cic. Philipp. 8.

Demoſth. de fal. leg.

Dinarch. contra Demoſth. 101.

Zonar. in Ezech.

— proh; cæcus & amens
Ambitione furor, ciuilia bella gerenti
Diuitias aperire ſuas, incendere mentem
Hoſpitis armati.

Lucan. l. 10.

Denique legatis oſtenduntur priſca & recentia decora, vnde claritudo & nobilitas, aliaque inſignia documenta virtutis & felicitatis, ex quibus admiratio, amor, ac reuerentia imperio conciliatur. Adeò vt quocunque oculos legati intenderint, ibidem reperiant argumentum laudis. Alcinoi apud Homerum hæc ſunt verba, cùm errantem Vlyſſem excepiſſet,

Odyſſ.8.207.

† Νῦν δ' ἐξέλθωμεν, καὶ ἀέθλων πειρηθῶμεν
Πάντων· ὥς χ' ὁ ξεῖνος ἐνίσπῃ οἷσι φίλοισιν,
Οἴκαδε νοστήσας, ὅσον περιγινόμεθ' ἄλλων
Πύξ τε, παλαισμοσύνῃ τε, καὶ ἅλμασιν, ἠδὲ πόδεσσιν.

† Nunc autem exeamus & certamina experiamur, omnia, vt huc hoſpes narret ſuis amicis in patriam reuerſus quãtum ſuperemus alios pugilatu, lucta, ſaltu, curſu.

Et hic, ſcilicet, eſt verus vſus imaginum, ſignorum, ſtatuarum, titulorum, taliumque, quibus blandè omnia corruſcant in atrijs regnantium. Huiuſmodi eſt illud,

Virgil.lib.1. Æneid.

Ingens argentum menſis, cælataque in auro
Fortia facta patrum, ſeries longiſſima rerum
Per tot ducta viros antiquæ ab origine gentis.

& illud

Virgil. Æneid.

Multaque præterea ſacris in poſtibus arma,
Captiui pendent currus, curuæque ſecures,
Et criſtæ capitum, & portarum ingentia clauſtra,
Spiculaque clypeique, ereptaque roſtra carinis.

Huiuſmodi ſunt & illa

Virgil.7. Æneid.

Quinetiam veterum effigies ex ordine auorum
Antiqua ex cedro, Italuſque paterque Sabinus
Vitiſator, curuam ſeruans ſub imagine falcem;
Saturnuſque ſenex, Ianique bifrontis imago
Veſtibulo adſtabant.

Plutarch. Demetr. 3. 631.

Cæterùm ſi maiorum bonis factis poſteri ornantur, quid propria virtute? Ergo Antigonus cùm quibuſdam legatis reſponſa dediſſet, non tam regias opes eis oſtentaſſe dicitur quàm illam, quæ roborat imperia, imperantium concordiam. Nam cùm is iuſſiſſet Demetrium filium ſibi aſſidere, alta voce legatos compellauit, Et hoc, inquit, renuntiate de nobis, quod inuicem ita habemus. Vt Antigonus ſuum & filij animum concordes, ita Cyrus tantus rex non eſt veritus oſtendere legatis, vt opus regium, arbores ab ſe in quincuncem directas. Antheas Scytharum rex, inſpectantibus legatis Philippi, equum ſuum defricauit. Simulque eos ſciſcitatus eſt, an id quoque Philippus factitaret? Illis negantibus, Qui, inquit, bellum mihi facere cogitat? Hoc nobis mirum. ſed

Cic. in lib. de Sen.

Plutarch. in Apophth.

Scythis nequaquam, qui, vt ait Plinius, *equitatus & equorum gloria ſtrepunt*. Animoſiùs propè mater Braſidæ. Quippe Thracum legatis laudantibus filium eius, qui in bello animam patriæ impendiſſet, cuiuſque virtuti nullus dein par inueniretur; Nullam, ait, rem ſapitis hoſpites. Nam Braſidam haud negaſſim fuiſſe virum fortem, ſed eum qui pleriſque Spartanis hac laude ſit inferior. Dicitur & Hercules leonem magnitudinis inuſitatæ ſtrauiſſe coram legato Spartano. Hinc factum eſſe vt is vbique leonis Nemæi ſpolijs inſignis incederet. Quę omnia eo, ſcilicet, pertinent, vt quicquid legatis dicitur, aut oſtenditur, id ſit documentum eius virtutis, qua quæque gens efficaciſſimè commendari poteſt. Hinc quoque Tacitus arripuit occaſionem magnificandi Corbulonem, cùm is apud ſe excepiſſet Tiridatem Armeniæ regem. *Addidit gloriam Corbulo, comitatem, epulaſque. Et rogitante rege cauſas, quoties nouum aliquid aduerterat, vt initia vigiliarum per centurionem nuntiari, conuiuium buccina dimitti, & ſtructa ante auguralem aram ſubdita face accendi; cuncta in maius extollens, admiratione priſci moris adfecit.* Quandoque legati honeſta & probabili curioſitate hoc aut illud ſibi monſtrari deſiderant; vt Chaganus ille, qui ſibi feras, quę ab imperatore alerentur, oſtendi cupijt. Triſtiſſimis temporibus ſapienter exteris atque adeò ab hoſte miſſis oſtentantur ea, quibus fama fortitudinis, & conſtantiæ acquiri, ſimulque ijs qui nobis inſidiantur, deſperatio injici poteſt. Quo conſilio Thraſybulus iuſſit Mileſios in foro, quò quantum frumenti reliquum erat, comportari curarat, dato ab ſe ſigno, comeſſari, ſicuti in ſumma annonæ abundantia. Id quod conſpicatus caduceator Sardorum Miletum miſſus, viſa renuntiauit ſuis. Simili aſtu vſus eſt Bias re ſua publica ancipiti. Nam cùm Priene obſideretur à rege, à quo ſpeculator in vrbem miſſus eſt per nomen nuntij, homo ſolers magnos aceruos arenæ

Plin. lib. 8. cap. 42.

Plutarch. in Apophth.

Tacit. li. 15. Annal. 296.

Menand. ecl. legat. 95.

Herodot. lib. 1.

Diogen. Laert. lib. 1. in Biante.

tritico operuit, nuntioque oſtendit. Hinc pax à rege data Prienenſibus. Durius, magiſque ferum illud Clearchi Lacedæmonij, qui *ne Thraces ſperarent ipſum inopia commeatuum obſidium ſoluturum, ipſo tempore, quo legati eorum aduenturi erant, vnum è captiuis in conſpectu iuſſit occidi, & membratim, tanquam alimenti cauſa, in contubernia diſtribui. Id Thraces vt aduerterunt; facilè crediderunt, homines tam feros nihil non perſeuerantiæ cauſa facturos. Quo metu adacti ſeſe hoſtibus dediderunt.* In primis hoc aduertendum, ne vnquam legatis nudemus vulnera domeſtica, ne inde naſcatur contemptus noſtri. In quo erratum fuit à Conſule Romano, *quem legati Campani inuenerunt bonis ſocijs miſerabilem; ſuperbis atque infidelibus, vt erant Campani, ſpernendum. Et auxit rerum ſuarum ſuique contemptum* COS. ait Liuius, *nimis detegendo cladem, nudandoque.*

Frontin. l. 3. Stratag. c. 5.

Liu. lib. 23.

CAPVT LXIX.

De muneribus quæ ab imperio mittuntur ad imperium.

QVia inter amica imperia vix legati commeant ſine muneribus, de hac quoque re quæ obſeruaui, tradam. Munera regnantibus ſunt acceptiſſima nequaquam propter compendium. Neque enim ſui venerationem pretio metiuntur, ſed quod ſunt documenta iugis felicitatis, quam imperio, cui mittuntur, munifici teſtantur, & gratulantur. Porro mittuntur cùm quæritur aditus ad amicitiam, aut in ipſo aditu, aut olim initæ firmandæ, alendæque. Primi generis eſt legatio Venuli,

Virgil. l. 11. Æneid.

Poſtquam introgreſſi, & coram data copia fandi,
Munera præferimus, nomen patriamque docemus.

Cui Diomedes,

Munera

Munera quæ patrijs ad me portaſtis ab oris
Vertite ad Aeneam.

Secundi generis fuit munus quod Indi Auguſto miſerunt, poſt initum cum ipſo fœdus. Fuerunt tigrides non priùs viſæ Romanis; & illud de quo Heliodorus, Poſtremò, inquit, aduenerunt legati Auxonitarum, non vectigales illi quidem, ſed ſocij & fœderati. Qui fauentes rebus proſperè geſtis, præter alia munera, obtulerunt animal quoddam forma inuſitata, & magnitudine ad inſtar cameli. Huius generis fuerunt munera Pori, & Pandionis regum Indicorum. Certè Porus etſi ſexcentis regibus imperabat, tamen quærens aditum ad amicitiam Auguſti, ei per legatos miſit, & per octo familiares nudos in ſubligaculis Mercurium ab humeris brachio exerto, viperas ingentes, ſerpentem decem cubitorum, ac perdicem vulture maiorem. His annecto illa de quibus Q. Curtius ad hunc modum. *Indorum legati dimiſſi domos paucis poſt diebus cum donis reuertuntur. Trecenti erant equi, mille triginta currus, quos quadriiugi equi ducebant, lineæ veſtis aliquantum, mille ſcuta Indica, & ferri candidi talenta centum, leoneſque raræ magnitudinis, & tigres, vtrumque animal ad manſuetudinem domitum, lacertarum quoque ingentium pelles, & dorſa teſtudinum.* Tertij generis ſunt omnia fere illa quæ adduntur ſalutationibus, gratulationibus, laudationibus. Non aliud ſignabant coronæ illæ, ac pateræ aureæ, quæ, diuerſis temporibus Romam ſunt miſſæ ab Latinis, Hernicis, Carthaginienſibus, Neapolitanis, Saguntinis, Attalo, alijſque regibus & ciuitatibus: vt ſequenti ætate ab Hircano rege Iudæorum ad Antonium, à Cleopatra ad Cæſarem, & antea ab Amphictyonibus Græciæ nomine ad Alexandrum. Quid, quòd ſui venerationem validiora imperia muneribus experiuntur, & agnoſcunt? atque adeò talia, vt ſibi debita, ac pro ſuo iure ab inualidioribus exigunt? Ea plerunque ſunt inſignia

Zonar. in Auguſto.

Heliodor. hiſt. Æth. lib. 10.

Strabo. l. 15. 663.

Q. Curt. l. 9. 163.

principatus, argumenta obſeruantiæ, venerationis, obſequij, ſeruitij. Talibus legati Hethruſci Tarquinium venerati ſunt, corona, ſcilicet, aurea, ſella eburnea, ſceptro, cuius in ſummitate erat aquila, tunica purpurea auro diſtincta cum amiculo. Quæ ſanè veriùs vocari poſſunt tributa quàm munera. Nam etſi palam vltro mittuntur, tamen tacitè imperantur. Hoc ipſum ſignabat aqua atque terra, quorum vtrumque reges Perſarum petierunt ab Græcis, & Scythis; Quia ab duobus hiſce primordijs manat vita mortalium. Ac pro terra vrbes ac ſpatia camporum, pro aqua amnes accipi conſtat, & quicquid mari alluitur. Huius ferme generis ſunt illa omnia quæ per annua reuerticula regnantibus ſollenniter offeruntur; etſi hæc propius accedunt ac tributum quàm ad munus; tum illa, quæ mittuntur in ipſa ſatisfactione, nempe ad confirmandum illum, ad quem flectendum molliendumque priùs, ſæpiuſque allegatæ ſunt preces. Talis fuit legatio illa Agrippinienſium, quæ *miſſa ad Ciuilem & Valledam, cuncta ex eorum voluntate perpetrauit.* Huius generis munera eleganter exagitat Saluianus, *Inſuper etiam*, inquit, *ridiculos ipſi nos facimus, aurum quod pendimus, munera vocamus. Dicimus donum eſſe quod pretium eſt, & quidem pretium conditionis duriſſimæ ac miſerrimæ.* Ideo minimè mirandum eſt ſi ferox ille Attila cùm admiſſionem Apollonij legati Romani differret, aut veriùs auferret, iuſſit ab eo ſibi mitti dona Imperatoris. Nî faciat, ei mortem minitatur. In conuiuio Seuthis ſingillatim deſcriptum eſt quod quiſque munus regi obtulerit. Et in inclyto illo Alexandri, & à legatis, & ab cæteris coronæ ad regem ſunt miſſæ æſtimatæ talentis quingentis ſupra dena millia. *Reges Parthos*, teſte Seneca, *non poterat quiſquam ſalutare ſine munere. Indeuotus ſatis eſt vacuus adorator*, inquit Petrus Chryſologus. Et Perſica lege cautum eſt, vt regi iter facienti pro ſuo quiſque modo munera offerat, ne

Dionyſ. Halic. lib. 3.
Tac. lib. 20.
Saluian. l. 6. circa fi.
Priſc. ecl. legat. 58.
Xenoph. l. 7. ἀναβ.
Athen. li. 4.
Athen. l. 12.
Sen. ep. 17.
Petr. Chryſol. ſerm. 103. 272.
Ælian. li. 1. Var. hiſt.

exempta quidem paupertate, cui hæc quoque benignitas indicta. Teſtor lympham, quam ruſticus vtraque vola hauſtam ſacrauit Artaxerxi, munus vtique caſtum. Certè cum laticem rex in auream phialam infundi iuſſit, & illi, & ſimiliter alteri cuidam à quo accepit malum punicum, gratum ſe probauit & munem. Enimuero quia vterque inter anguſtias paupertatis reperit materiam benignitatis, hanc quoque rex excepit animo regio, & cum vtroque certauit humanitate; nimirum, cùm accepit oblata, licet puſilla; & benignitate, cùm illis magna dedit à quibus parua acceperat. Sic ſolet diuina bonitas, & huius imitatione regia, quæ parua oblata ſibi animo bono & pectore puro remunerat larga manu. Ideo Lycurgus tenuiſſima Lacedæmonijs ſacrificia inſtituit, vt ex earum rerum copia quæ eſſent ad manum deos frequenter colerent, qui frugaliter facileque coli poſſent. Sic Ammon, inquit Lucanus,

Ælian. li. 1. Var. hiſt. cap. 33. & Plutarch. in Apophth.

Plutarch. in Apophth.

Pauper adhuc Deus eſt, nullis violata per æuum
Diuitijs delubra tenens.

Lucan. li. 9.

Itaque eò maioribus munera mittuntur, aut regnantibus, vt cum quibus tenuitas parem calculum ponere non poteſt, cum his hac obſeruantiæ ſignificatione paria faciat. Vt regnantes hac ratione coluntur, ita quoque ij qui ſunt loco regnantium, vt maiores magiſtratus ac præfecti prouinciarum, & duces exercituum. Quibus quidem hæc præcipua cautio eſſe debet, ne quod eſt munus id ipſi trahant ad corruptionem. Notatus fuit M. Scaurus qui ab Senatu miſſus in Syriam, manus ſuas inquinauit quadraginta talentis; quod fuit munus legatorum Ariſtobuli, & Hircani. Romanè Pompeius, qui aurum in ſpeciem vitis effigiatum ab eodem Ariſtobulo ad ſe miſſum conſecrauit in Capitolio; illudque ſe Ioſephus Romæ vidiſſe firmat. Cæterùm quid fœdiùs, quàm quod reuerenter offertur accipere auariter? Ergo munera modeſtè accipi,

Zonar. li. 1.

non auidè arripi debent. Latinus legatis Æneæ qui dixerant,

Virgil. 7. Æneid.

Dat tibi præterea fortuna parua prioris
Munera, relliquias Troia ex ardente receptas,

nequaquam ita reſpondet, vt eorum æſtimatione moueri, aut paruitatem contemnere videatur, ſed ex dignitate,

Munera nec ſperno.

Sic Helena ſcribit Paridi,

Ouid. in epp.

Aut ego te potiùs quàm tua dona ſequor.
Atque ea non ſperno.

Ergo nulla macula res tanti candoris eſt aſpergenda. Quinimo hæc debet eſſe magnitudo animi tam regij, quàm illius quiſquis eſt qui oneratur donis, vt nulla benignitate vincatur, ſed palmæ ſimilis hoc magis expergiſcatur erigaturque. Fateor quandoque ex valore, ac magnitudine muneris animum offerentis æſtimari. Sed hæc ratio non vtilitati inuenta, ſed hercule vitando contemptui. Tunc munus diligenter penſitatum aut accipitur, aut reijcitur. Cambyſes munera Libyorum accepit, Cyrenenſium contempſit. Erant enim vnæ quingentæ minæ, quas illico ſua manu militibus diſtribuit per cõtemptum, ſcilicet contẽptorum ſuorum. Itaque munus ita ſpernendum eſt, vt non de eo nos queri appareat quod muneri detractum, ſed quod eſt de beneuolentia aut obſeruantia diminutũ. Cuius cùm munus ſit quoddã argumẽtum, non tam dolemus exiguum, quàm non officij vtrãque paginam nobiſcũ impleri. Ergo inter anguſtias & ſordes offerentiũ eminere debet animus accipiẽtis deſpector cõpendij, exactor honoris. Hæc eſt illa præclara moderatio quæ rẽ totã venuſtat. Legatis Neapolitanorum & Peſti, multarũque ciuitatiũ, quæ, Annibale bellis premente Italiam, pateras aureas Romam miſerant, *gratiæ actæ; & gratia rei accepta, aurum minimè.* Neque enim homines prudentiſſimi vllũ exiſtimarunt eſſe odioſius genus quæſtus, quàm

Herodot. lib. 3.

Liu. lib. 11.

ſolennia honoris vertere in compendia creditoris; & illum quiſquis eſt, è veneratore facere debitorem, ſiue præbitorem, ſéque, cui munus offertur, è regnatore mercatorem. Neque enim aliud eſt munus in quo ſpectatur vtilitas, quàm mera negotiatio. Memorat Tacitus, *ad ſupplenda Germanici exercitus damna certaſſe Gallias, Hiſpanias, Italiam; quod cuique promptum, arma, equos, aurum offerentes. Eorum omnium laudato ſtudio, Germanicum, armis modò & equis ad bellum ſumptis, propria pecunia militem iuuiſſe.* Cyrus lectiſſimos equos ab Gadate ſibi oblatos, munus, videlicet, imperatorium accepit. At alia munera pretij enormis apud Gadatem manere voluit. Cùm Attila iuſſiſſet omnes aulæ ſuæ primores donis colere Maximinum legatum Romanum, & ſinguli equo eum donaſſent, ipſe legatus pauculis acceptis, alios dimiſit, id enixè dans operam vt nullum auiditatis veſtigium, at magnum ſuæ moderationis documentum apud illos relinqueret. Cæteri quoque legati Romani abſtinuerunt congreſſu earum fœminarum quas Bleda, & quidem forma præſtantes ad ipſos miſerat. Videat ergo legatus ne eius animum vlla munera concutiant aut infirment, ſed eum potiùs in medijs occaſionibus dignitas, & aduerſus irritamenta conſtantia erigat. In primis cùm munere id agamus, vt animum noſtrum probemus illi, ab quo mutua deſideramus, abſurdè ac ridiculè ijs munera mittuntur, quorum amicitia aut non eſt tanti, aut etiam turpis. Atque hîc maximè vtilitatem oportet eſſe pediſſequam honeſti. Neque enim vtiliter quicquam accipitur ab eo, cui mitti honeſtè ac verecundè nihil poteſt. Itaque vt viro bono improbum munerari religio eſt, ita quoque is illius munera haud aliter quàm ſordes reijcit, & quidem alto vultu. Trypho donum Senatui miſit auream victoriam, in hoc vt regnum ſcelere adeptum decreto ordinis ampliſſimi ſibi firmaretur. Senatus donum accepit nullo intuitu compendij, ſed boni ominis gra-

Tacit. lib. 1

Xenoph. lib. 5. Cyrop.

Priſc. ecl. legat. 55.

Diodor. ecl. legat. 328.

tia. Nempe accepto muneri inſcriptionem addi iuſſit, quod fuit nomen regis pueri à Tryphone interfecti. Quo facto ille prudentiſſimus confeſſus ſciri voluit, ſe deteſtari necem regis, & eâdem dona impiorum non accipere, niſi illa quæ donanti ſuam culpam exprobrant. Sic nimia illius verſutia prudentiâ Senatus eſt eluſa, & quantum ſicarius ille compendij captabat, tãtundem Senatui honoris ac dignitatis acceſſit.

Petr. Patr. ecl. legat. Sapores Perſarum Rex Donathi munera ſibi miſſa nõ modò familiares non accipere, ſed ea in profluentem abijci iuſſit. Atque adeò eius literas laceratas pedibus contriuit. Ne, ſcilicet, acceptio munerum ac literarum eſſet comprobatio commiſſorum illius.

CAPVT LXX.

Aliæ quædam munerum proprietates.

MVnera quæ hoſtes alij alijs mittunt, quandoque ſunt ab opinione ſingularis virtutis hinc inde ortæ. Hector Aiacẽ muneratus eſt gladio, Aiax Hectorem balteo. (*Homer. Iliad. 7.*) Nempe hinc vterque ſciri voluit quod ſuum eſſet de altero iudicium. Etſi hoſtium munera ferè deprehenduntur infauſta; † ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα. (*† hoſtiũ infauſta dona.*) Et verò Hector illo balteo tractus eſt, gladio ſe Aiax tranſegit. (*Hygin. Fab. 112.*) Sæpe munera hoſtilia eadem ſunt minacia, vt arcus quos Darius ac Rex Scytharum ſibi inuicem miſerunt, ſicuti ea ratione alter alterum prouocans. (*Cteſ. in Perſ.*) Munera illius, qui fuit aduerſus aut ambiguus, fatentur illi victoria cedi, atque adeò ei & amicitiam & obſeruantiam offerri qui munere ornatur. (*Q. Curt. lib. 9.*) Indorum legati ab Alexandro dimiſſi domos, cùm interiectu paucorum dierum cum donis ad eum remeaſſent, ſatis ei cauerunt, nihil ipſi ab Indis metuendum, qui agnoſcerent non eſſe æquam ſuam cum rege factionem. Hoc ipſum ſenſiſſe regem hinc

liquet, quòd ea dona accepit. Semper enim reijciuntur cùm ab illo miſſa ſunt, qui meritò ſuſpectus cùm ſit, ab eo nondum nobis eſt ſatisfactum.

Non quacunque manu victima cæſa litat. *Martial. I.*

Senatus non accepit coronam, ac ne interfectores quidem C. Octauij à Demetrio Romam miſſos, cùm ei etiam ob facinus tam dirum infenſus eſſet. Quanquam coronam acceptam, Leptinem minimè, tradit Appianus. Certe cuius munus accipitur, contra hunc odium ponitur, aut poſitum ſimulatur. Ideo Cæſar auream coronam ſibi per legatos à Pharnace miſſam repudiauit. Neque enim ſe Pharnaci amicum profiteri voluit, priuſquam is imperata faceret. Quæ ſi feciſſet, reſpondit legatis, iam tunc ſibi mitteret munera, ac dona, quæ, benè rebus geſtis, Imperatores ab amicis accipere conſueſſent. Quippe, *Zonar. lib. 2.* *Appian. in Syr.*

—— *acceptiſſima ſemper* *Ouid. in ep. Hel. Par.*

Munera ſunt, autor quæ pretioſa facit.

Legati Tigranocerta miſſi, *vbi patere mœnia attulerunt, intentos populares ad iuſſa; ſimul hoſpitale donum coronam auream tradebant, eam Corbulo accepit cum honore.* Quibuſdã muneribus magis articulatè exprimitur mens mittentis, quàm vlla aut epiſtola, aut legatione. De hoc genere fuit auis, mus, rana, quinio ſagittarum, munus Scythicum. Tale ſtercus equinum. Neque verò munera tam ſordida commeant niſi inter infenſiſſimos, & hoſtilia palam agitantes. At inter ſocios ſumma cautio eſt adhibenda ne quid mittatur tam ſuſpitioſum, vt cuipiam præbeat argumentum cauillandi, ac deteriùs rem omnem interpretandi, vt donum inimicitiæ veneno illitum, ad exemplum regis Æthiopum. Huic enim cùm legati Cambyſis, miſſu eius, traderent pallium purpureum, infit percunctari quid eſſet & quomodo conficeretur. Omnique re de purpura, vt ſe habet, comperta, doloſos ait mortales, doloſos colores, doloſas veſtes. Et quidem ſuper torque, & armillis cùm id quoque quale eſſet, exequere- *Tacit. lib. 14.* *Herodot. lib. 3.* *Plutarch. in probl.*

tur, illique ornamento reperta reſpondiſſent, longè aliter ipſe rem interpretatus vincula eſſe dixit, quibus multo fortiora ſint apud ſe. Et verò legatos ad carcerem duci iuſſos voluit aſpicere captiuos in vinculis & quidem aureis. Ea munera, vt diuinis ſimilia, maximopere commendantur, quibus afflicti & aliqua ingenti calamitate proſtrati ſubleuātur. Nam quia ſunt quibus mittuntur ſalutaria, mittenti quoque nonniſi honorifica eſſe poſſunt. Hac mente à plerisque regibus, & ciuitatibus dona fuerunt miſſa Rhodijs, quibus, ſcilicet, ſarcirentur damna ingentis illius motus terræ, qui ſuper coloſſum vrbem mulṫa ruinarum mole concuſſerat. His proximè accedunt illa quæ meritò principalia aut regia dici poſſunt, nimirum, quæ virtutem mittentis, opes, victorias, felicitatem ab ſeſe cantant. Virtutem & fiduciam virium ſub oculis poſuit arcus ille, quem Rex Æthiopum coram legatis Cambyſis ſua manu, vt Ouidius ait, lunauit. Quo laxato, & legatis tradito, Cùm, inquit, Perſæ arcum tantæ magnitudinis tam facilè tendent, tunc ingenti exercitu ſtipatus Rex nos bello tentet. Nam quiſquam huic animum lacertis parem fuiſſe inficiari audeat? Opum documenta fuerunt munera Salomoni oblata ab regina Saba, vnguenta, aromata, odores, aurum, balſamum anne opobalſamum? dotes ſuarum prouinciarum. Victoriæ argumenta illa, quæ ex immenſo modo prædæ ex Aſſyrijs partæ lecta ſunt, ac ſepoſita quæ Cyaxari à Cyro mitterentur. Et illa quæ Alexander, expugnata Tyro, miſit ad Paſicypron regem Cypri, & Ptolemæus Philadelphus, ſuperato Pyrrho, ad Romanos. Huius generis fuerunt illa quæ Adelfonſus Rex Hiſpaniæ miſit ad Carolum cognomento Magnum, per Baſilicum & Froiam legatos ſuos, manubias, videlicet, quas Rex victor apud Olyſſiponam vrbem ab ſe expugnatam legerat, Mauros ſeptem cum totidem mulis, atque loricis. Denique felicitatis mittentis, eiuſque iudicij de illo cui quidpiam

Polyb. lib. 5.

Herodot. lib.

Ouid. eleg. lib. 5.

Xenoph. lib. 4. Cyrop.

Zonar. lib. 2.

Annon. lib. 4. cap. 56.

piam mittitur, argumentum ferè eſt quicquid munerum frequenter commeat inter regnantes. Cuius generis fuerunt illa quæ Merodac Baladan, adepto imperio Babylonis, per legatos miſit Ezechiæ, Crœſus Lacedæmonijs, Cambyſes regi Æthiopum, Polycrates Amaſi regi Ægyptio, Theophilus Imperator Agarenis. Talis fuit corona, & veſtis regia pretioſa, quam Cyaxares Cyro per filiam obtulit, ſicuti non ſolùm propter genus & opes, ſed & quia familiam, regnumque e gloria condecorauerat, regnum merito. Adnotarunt theologi Chriſtum munera Magorum agnoſcendo admiſiſſe. Quæ munera Deum ipſum & regem eſſe declarabant. Siquidem aurum regi conuenit, thus Deo, myrrha ſeruatori. In primis iudicium mittentis nunquam non validè commendat munus appoſitè miſſum, maximeque conueniens perſonæ illius cui mittitur.

Lib. 4. reg. cap. 20. *Herodot. lib. 1.* *Herodot. lib. 3.* *Zonar. in Theoph.* *Xenoph. lib. 8 Cyrop.* *Niceph. hiſt. eccleſ. lib. 1. cap. 13.*

Clypeum ſano fulgore micantem
Oceani gentes ductori (Annibali) dona ferebant,
Callaicæ telluris opus; galeamque coruſcis
Subnixam criſtis; vibrant cui vertice coni
Albentes niueæ tremulo nutamine pennæ.

Syl. Ital. lib. 2

At Pheretime Euelthο tyrannus, vbi fœmina moleſta magis eſt, miſit fuſum aureum, & colum, & penſum. Et à rege Perſarum miſſi ſunt ad Demetrium tali aurei, quibus, ſcilicet, exprobrabat ſeni puerilem leuitatem, & canitiem aleæ intentam. Sic Hormiſda Rex Perſarum cùm reſciſſet Baram præfectum ſuum vnà cum exercitu fugatum, adempta ei præfectura, miſit inſuper ad eum ſtolam. Quo munere exprobrabat ei ſiue ignauiam, ſiue infelicitatem, ſiue vtrumque. At Baramus, vt ei par pari redderet, ad eum datas literas inſcripſit ad hunc modum, Hormiſdæ filiæ Choſrois, non filio. Ergo in munere ſemper eminere debet vtraque laus decori, tam in perſona mittentis, quàm in illo cui munus mittitur. Vtramque meritus eſt Antigonus cùm Thraſylum quemdam petentem

Herodot. lib. 4. *Ex Sariſb. lib. 1. cap. 5.* *Theophyl. lib. 6. 30.* *Zonar. lib. 3.* *Plutarch. in Apophth.*

drachmam agitauit vt par fuit, cynicum. Regi enim, inquit, iſthuc dare non conuenit. Illo ſubijciente, Da igitur mihi talentum. Atqui cynicum, inquit, hoc accipere abſurdum eſt. Atque adeò hæc numeratur inter præcipuas cautiones munerum, vt illi conueniant, & accepta grataque ſint, ad quem deſtinantur. HOC docent priſca ſacrificia. Nam ſingulis Dijs non aliæ quàm quibus oblectabantur, hoſtiæ immolari ſolitæ.

Homer. lib. 3. Iliad.

† Οἴσετε δ' ἄρν' ἕτερον λευκὸν, ἑτέρην δὲ μέλαιναν
Γῇ τε, καὶ Ἠελίῳ. Διὶ δ' ἡμεῖς οἴσομεν ἄλλον.

† Afferte autē agnos alterum album, alterā autē nigrā terræque & ſoli. Ioui autem nos feremus alium.

CAPVT LXXI.

Quædam munerum cautiones.

PRæcipua cautio muneris eſt, vt ſit condignum qualis eſt is qui donum dat. Perillus quidam ex amicitia Alexandri filiabus dotem cùm petijſſet, quinquaginta eum talenta accipere rex iuſſit. Cùm is diceret, decem ſatis eſſe, Tibi quidem, inquit Rex, accipere; ſed non mihi iſthuc dare. *Quædam*, ait Seneca, *minora ſunt, quàm vt exire à magnis viris debeant.* Et verò cùm hic ipſe Alexander cuidam donaret vrbem, iſque tanti muneris inuidiam refugeret, vt non cōuenietis fortunæ ſuæ, *Non quæro*, inquit Rex, *quid te accipere deceat, ſed quid me dare*: Quam tamen vocem, etſi ea nihil videri poteſt animoſius, nihil ſublimius, Seneca exagitat vt ſtultiſſimam. Illud præcipuè cauendum ne munus tale ſit, quo is cui mittitur, nullo modo gaudeat. Ne in mittentem conueniat vetus illud, † βατράχοις οἰνοχοεῖς. Ne item ſit mortale, taleque quod breuis vſus deleat, qualia fuerunt illa cryſtallina poſtea confracta, miſſa Martino quinto Pontifici, aut Maximiliano primo, ſi ſtandum eſt fide Conradi Bruni Germani Iuriſconſulti, cuius extant libri de legationibus ſanequam docti, atque vtinam

Plutarch. in Apophth.

Senec. lib. 2. de benef. cap. 15.

Senec. lib. 2. de benef. cap. 16.

ἐν παροιμ. 53.

† ranis vinum infundis.

laboris tam ordinati, quàm multi. Simile quidpiam memorat Plutarchus de Cotye rege Perſarum. Ergo, quod ad hanc rem pertinet, danda eſt opera vt munus ſit manſurum, & quoad eius fieri poteſt, æternum. Raritas quoque eſt in primis laudibus munerum. *Alexander contemnebat ciuitatem ſibi ab Corinthys* (Muretus repoſuit Megarenſibus) *datam. ſed poſtquam cognouit nulli datam, niſi ſibi & Herculi, tum verò delatum honorem libens accepit.* Huius generis fuit ſilphium illud, ſiue laſerpitium, hoc eſt belzoinum, quod Cyrenæi vni Battorum extra ordinem dederunt. Demaratus Lacedæmonius, permittente Xerxe petere quod vellet, non vrbem petijt, aut opum aurique vim, ſed vt Sardeis Maximam Aſiæ ciuitatem, curru vectus intraret rectum capite tiaram gerens, quoniam id ſolis datum regibus. Sic Rex Indorum miſit Conſtantio Imperatori animal Pana, non priùs, credo, in Europa viſum. neque cuiquam alij regum miſſum. Omnino neque mittendum, multoque minus accipiendum munus amarum, veriuſque, vt ait Seneca, maledictum quàm munus, atque adeò tale, vt in eo agnoſcatur vitium & peccatum accipientis. Tale fuit dirum illud munus Ptolemæi miſſum Cæſari, nimirum, caput Pompeij, quod victor his verbis reiecit,

Aufer ab aſpectu noſtro funeſta ſatelles
Regis dona tui. Peius de Cæſare veſtrum
Quàm de Pompeio meruit ſcelus,

Vulpionis eſt & lucrionis mittere viſcatum, hamatum, captioſum. Eſt enim aliud nihil, niſi adumbrata benignitate quærere locum rapacitati; & paululum promendo de ſuo multum corripere de alieno. Hoc ingenio tam lenonio, tamque fœneratorio fuit Euricles quidam Lacedæmonius, cui quæſtus erat Herodi offerre munera, nimirum à quo munificentiùs dimittebatur. In hanc ſententiam Martialis,

Odi doloſas munerum, & malas artes

Plutarch. in Apophth.

Senec. de benef. cap. 13.

ἐν πραξειμ. 53.

Senec. lib. 6. de benef. cap. 21.

Niceph. lib. 9. cap. 19.

Senec. lib. 1. benef. cap. 12.

Lucan. lib. 9.

Zonar. in Herod.

Martial. 5.

Imitantur hamos dona. Namque quis neſcit
Auidum vorata decipi ſcarum muſca?
Quoties amico diuiti mihi donat,
Liberalis eſt pauper.

Illud quoque cauendum, ne cui munus ereptum dici poſſit. Nam quid ſtultius, quid item fraudulentius, quàm laudem liberalitatis emere diſpendio probitatis? Quid, quod ne cuiquam quidem prudenti id poteſt eſſe gratũ, quo vt obligaretur, prius illi, cuium fuit, ereptum eſt? Memorat Cicero, *claſſe Maſſaniſſæ quondam ad Melitam inſulam appulſa, ex antiquo Iunonis fano dentes eburneos incredibili magnitudine præfectum quemdam regium ſuſtuliſſe, & eos in Africam portaſſe, Maſſaniſſæque donaſſe. Regem quidem primò delectatum eſſe munere. Poſt, vbi audiſſet vnde eſſent, ſtatim certos homines in quinqueremi miſiſſe, qui eos dentes reportarent. Itaque in his inſcriptum literis Punicis fuiſſe, regem imprudentem accepiſſe. Re cognita, reponendos reſtituendoſque curaſſe.* Hodierni Thraſones mittentes puſilla loquuntur grandia; exigua callidé dilatant; nec putant eſſe munera, quibus non addita ſunt lenocinia. His affinis eſt vanitas illorum, qui rem aliter memorant, atque eſt. Vt Rex Indorum qui, miſſo ad Aurelianum Cæſarem pallio breui laneſtri, ad hunc modum ſcripſiſſe fertur, *Sume purpuram qualis apud nos eſt.* Sed poſtea ipſa ſe vanitas prodidit. Nam à peritiſſimis artificibus, quos ipſe Aurelianus, &. Probus, & Diocletianus eò miſerunt in hoc ſolùm, vt ſimile requirerent genus purpuræ, illud inueniri nulla cura quitum eſt. Negant Iuriſcõſulti quempiã dare id quod nõ habet. At Thaſij noui iuris repertores Ageſilao cùm eſſent vehemẽter obligati, tẽplum ei, tãquã numini, vti poneretur, decreuerũt, cõmutata eius ſorte humana in diuinitatẽ. Quod decretũ tã vecors cùm regi, deſtinata ad id ipsũ legatione, miſiſſent, is legatos percũctatus eſt, an ciuitati

Cic. 6. Verr.

Vopiſ. in Aurel.

Plutarch. in Apophth.

ius eſſet, ei, qui mortalis eſſet, recludere cœlum? Id illis ſatis confidenter firmantibus, Agite, inquit, Animus induci poteſt rem ita eſſe, ſi quod mihi datis, id ipſi vobis præſtiteritis. Ergo ſumma cautio adhibenda, ne in munere deprehendatur vitium & ſocordia mittentis. Contra, ijs muneribus, quibus conſtant illa omnia, quæ ſupra dixi, tanta ineſt gratia, vt ijs interdum totæ gentes reconcilientur. Hac laude commendatæ ſunt illæ duæ eminente forma mulieres, munus Poltis regis Thracum miſſum Troianis & Græcis; à quibus eodem tempore ad ipſum miſſæ fuerant legationes ſuper reddendo Alexandro & Helena. Poſtremò, cui munus offertur rogandus eſt, vt illud animo ac voluntate metiatur, non re. Sic Paulinus Geſtidio, *Plutarch. in Apophth.*

Oro libens ſumas, nec vilia dedigneris
Quæ ſunt parua modo magno metitus amore. *Auſon.*

CAPVT LXXII.

De remuneratione. Et an legato liceat mittere munera miniſtris regnantium.

QVi ſcit munerari, idem quoque ſcit remunerari; nam quæ munerum, eædem quoque remunerationum cautiones ſunt. Certè remunerationem oportet eſſe liberalem, & ſplendidam, cuiuſmodi decet animum magnum, vt ſupra dicebam. Nam ſordida & maligna eſt index aut ingenij ſordidi, aut ſupercilij arrogantis, aut naſi cui omnia aliena putent. Notata eſt toruitas Cotyis, qui à quo acceperat pardalim dedit leonem, vt ferina remuneratione diſpungeret quicquid illud munus præ ſe tulit ſiue benignitatis, ſiue obſeruantiæ. Idem propè fuit ingratus animus Philippi patris Alexandri Magni, *Plutarch. in Apoph.*

cui immotum fuit, ne à Philone Thebano hoſpite ſuo munificentia ſuperaretur, ab illo nullum munus accipere. Hac, ſcilicet, ratione aperta virtus Philonis reſerauit occultum vitium Philippi. Quid muneris cuipiam mittas eſt in manu tua. At non eadem tibi in remunerando libertas. Si munus non miſiſti, fortaſſe parum officioſus: at ſi ipſe muneratus non remuneras, ingratus illico factus es. Hîc lubet quærere, An ſi legatus miſit munera miniſtris regnantium, aut magiſtratibus, hæc licitè capiantur. Clam mittuntur, aut propalam. Si hoc eſt, permiſſu principis capi poſſunt. Malo tamen pudorem, & moderationem ſponte abſtinentis munere hîc agnoſci, quàm prodi cupiditatem accipiendi ea, quæ vt licitè accipiantur, à legitimè dante capi debent. Quippe quiſquis clandeſtinò capit, ſeſe damnat perfidiæ. Legiti-

Pollux lib. 9. 349. ma munera Græcis ſunt † δωρεαὶ & χάριτες. Sed qui muneribus corrumpebantur hos vocabant δωροδόκους, ipſam rem δωροδοκίαν. In hanc ſententiam vulgata vox fuit, τὰν ἀρετὰν καὶ τὰν σοφίαν νικῶντι χελῶναι, virtutem & ſapientiam vincunt nummi. Certè ſi in hoc munera dantur vt ſubruant animos accipientium,

† dona & gratiæ.

Himer. μελ. ἐκλ. 38. nihil ſunt niſi mera pernicies reipublicæ. De hoc munerum genere loquens Himerius ait, legationibus ſuffodis noſtræ ciuitatis ad optima contentionem. Et cùm tales munerum machinæ admouentur legato vt fidem eius labefaciant, ipſius eſt reſpondere

Demoſth. de fal. leg. 229. illud ipſum quod Demoſthenes ait ſe tali re dixiſſe cùm apud Philippum legationem obiret; Pro iſtis muneribus concedite meis illa quæ pro ipſis & ipſorum nomine honeſtè peto. Cæterùm dator, id eſt corruptor, & acceptor, id eſt corruptus tantum peccant quantùm ille dat, quantum hic accipit. Ille enim fidem hominis innocentis ita oppugnat, vt tandem ſubruat. Hic eſt homo nequam, quia accipiendo voluit fieri infidelis. Quiſquis publicæ rei aliquam operam dat, animum egre-

giè munire debet aduerſus hæc machinamenta. Cyneas legatus Pyrrhi neminem Romæ, cuius domus muneribus pateret, inuenit. Hìc enim cogente materia, cogor ea repetere quæ ſupra dixi de legatorum abſtinentia; &, quod ad hanc rem pertinet, ſuperioribus tantæ virtutis exemplis addere hæc paucula. Demoſthenes Thebanorum legatos hinc vehementer laudat, quod eos Philippus nullis muneribus quatere potuit. Ibidem Demoſthenes memorans legatos Athenienſes donis à Philippo fuiſſe corruptos, denique ait, Annon & graue, & miſerum eſt, Athenienſes, ſociorum veſtrorum calamitates factas eſſe reditus legatis veſtris? Eiuſdem hæc ſunt verba, Maiores noſtri Calliam Hipponici filium, qui legatus celebratam illam pacem fecit, vt nec intra ſpacium, quantum curſu equi vno die confici poſſet, rex Perſarum ad mare deſcenderet, nec ad Chelidonias & Cyaneas longa naue accederet, quòd in legatione munera accepiſſe viſus fuit, parum àbfuit quin occiderent. Certe in referendis rationibus quinquaginta talenta ab eo exegerunt. Fabritius pecuniam Samnitium, atque adeo quartam regni partem ſibi à Pyrrho oblatam, ſi Eutropio credimus, repudiauit. Epaminondam Iaſon princeps Theſſalorum, & Rex ipſe Perſarum impenetrabilem expertus eſt. Ergo etſi par delictum videtur eſſe illius qui largiendo legatum corrumpit, & legati, qui accipiendo fidem ſuam fluxam facit, tamen fatendum eſt, excuſatiùs peccare illum, qui nihil relinquit intentatum, ne exempta quidem fide hominum, vt ad quæ miſſus eſt aliquo pacto efficiat; præcipuè ſi ea largitione legatus ſalutem patriæ propugnat, non alienam impugnat. Hac mente legati Mileſiorum, quorum aduocatis Demoſthenes acriter reſtiterat, cum poſtridie adierunt. Argenti quantum petiuerat, numerarunt. Quo accepto is dein obmutuit; dixitque ſe laborare † συνάγχῃ. neque gloriari erubuit, ſe multa mercede

Iuſtin. li. 18.

Demoſth. de fal. leg.

Gell. lib. 1. cap. 14.

Eutrop. li. 2.

Plutarch. in Apophth.

Stobæus in Apophth. lib. 1.

Gell. lib. 11. cap. 9.

† angina.

vt taceret, corruptum. Coguntur interdum legati, vt alibi dixi, ad illos munera mittere qui ſunt apud principem, aut apud Senatum multa potentia. Horum, videlicet, opera maturior legatis admiſſio impetratur. Id quod frequentius vſurpatur in gente barbara. Nam barbariem nulla res efficaciùs de-
Priſc. ecl. le- monſtrat quàm ardentiſſima ſitis munerum. Hoc
g.u. 39. veluti vehiculo aliquando legati Romani ad Attilam ſunt introducti. Talia dona legati animum peruigilem, accipientium deprauatum oſtendunt. Enimuero prudentes ita ſtatuunt, Eum legatum qui magnam vim pecuniarum ſecum affert, ijs ad quos miſſus eſt meritò eſſe ſuſpectum. Hoc fuit iudicium Attilæ, cùm is exprobrauit Bigilæ, eum tantum pecuniæ ſecum vexiſſe quæ magnitudine exſuperaret ea omnia quæ ſibi apud ipſum legitimè pera-
Ariſtoph. genda eſſent. Hos legatos Ariſtophanes vocat
equit. 252. πρέσβεις ἔχοντας ἀργυρίου βαλάντια, habentes argenti crumenas. Tali corruptioni acriter Xenocratem
Cic. lib. 5. de reſtitiſſe memorat M. Tullius his verbis. *Xenocrates,*
fin. 485. inquit, *cùm legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta attuliſſent, quæ erat pecunia temporibus illis, Athenis præſertim, maxima, adduxit legatos ad cœnam. Iis appoſuit tantum quod ſatis eſſet, nullo apparatu. Cùm poſtridie rogarent eum cui numerari iuberet, Quid vos heſterna, inquit, cœnula non intellexiſtis, me pecunia non egere? Quos cùm triſtiores vidiſſet, XXX. minas accepit, ne aſpernari regis liberalitatem videretur.* De muneribus quæ dantur legatis diſcedentibus, infra dicam loco idoneiore.

CAPVT

CAPVT LXXIII.

An legatus ciuilibus actionibus teneatur.

LEgatus; eique additi comites & familiares ciuilibus actionibus tenentur, ijs tamen diſtinctis quæ Iuriſconſulti diſcriminant. Quæ ego ſub vno aſpectu poni hoc modo poſſe puto. Legati conueniuntur ob ea, quæ ipſo legationis tempore contraxerunt, ne ſub ſpecie legationis poteſtas detur eis res alienas domum auferendi. Ob alia quæ ante contraxerunt, minimè, ne, ſcilicet, impediatur legatio. Niſi id actũm ſit vt legationis tempore debitum ſolueretur. Nam ſi hoc non expreſſum eſt, in eo quod legati contraxerunt ante legationem, ipſis reuocandi domum ius datur, etiam ſi ibi contraxerint vbi ſunt, dummodo ante legationem contraxerint. Neque compelluntur ſe ibi defendere, quandiu legationis cauſa ibi demorantur. Nec me moueor eo quod Iulianus putauit, legatum Romæ conſtituentem quod in prouincia acceperat, conueniri poſſe. Nam etſi non cùm Romæ eſſet, ſed in prouincia adhuc, conſtituit ſe Romæ ſoluturum, denegatur in eum actio de conſtituta. Planè ſi legati perfecta legatione, ſubſiſtant, conueniendi ſunt. Contra, ipſi de eo damno, quod legationis tempore paſſi ſunt, eodem tempore experiri poſſunt. Eſſet enim iniquum, legatum cogi ea ferre, quæ ad iniuriam eius, vel damnum parata ſunt. Quæ ſanè cauſa ſi non ſubeſt, quemadmodum legatus neque priuatis rebus obſtringitur, neque in eum datur in rem actio, ſic ante peractum tempus legationis in rem ſuam nihil agere, neque ſuum negotium curare poteſt. Atque adeò ne libellum quidem ſine permiſſu principis de aliis ſuis negotijs dare. (Quan-

Julian. in l. 25. D. de leg.
Paul. in. l. 26. D. de iudicijs.
Afric. in l. 8. D. de leg.
Vlp. in l. cũ quis D. de pec. conſt.
Vlp. in l. 2. D. de iud.
Paul. in li. 9. D. de leg.
Paul. lib. 10. D. de leg.
Scæuola in l. 12. de D. leg.
Paul. in lib. 24. D. de iud.
Scæuola in l. 12. D. de leg. & Paul. l. 10. D. eod.
Modeſt. lib. 16. D. de leg.

Modeſt. li. 15. & 16. D. de leg.

quam is qualibet ex cauſa poteſt fideiubere.) Nam ſuſcepta legatione nonniſi iniuncto munere legatum fungi oportet. Porrò ex quibus cauſis legatus non cogitur iudicium accipere, nec iurare cogendus eſt ſe dare non oportere. Quia hoc iuſiurandum ſuccedit in locum litis conteſtatæ. Quòd ſi ante ſuſceptam legationem alicui negotium moueatur, etiam abſens defendi debet. Illud in primis cauendum, ne legationes dentur obæratis. Diſertim Diuus Pius * Claudio Saturnino, & Fauſtino reſcripſit, debitorem Reipub. legatione fungi non poſſe; cùm tamen debitorem fiſci non prohiberi Marcianus reſponderit. Diſcrimen inde eſt, quòd quicquid Reipub. debetur, id quicquid eſt nominis diſpungi non poteſt niſi ſolutione, ſatisfactione, remiſſione debiti per decretum vniuerſorum, quorum eſt. At debito manente, quàm obærato ea mora quæſtui eſt, à quo interea loci repeti debitum, quia legatus eſt, non poteſt, tam Reipub. diſpendioſa eſt. Ergo rectè prohibetur debitor Reipub. legatione fungi. At quoties princeps debitori fiſci, hoc eſt ſuo, & ob rem ſuam priuatam, legationem d[e]t, aut debitum illi condonare, aut debiti ſolutionem differre cenſetur vſque ad perfectam legationem. Neque ego dubito, quin ea Reſpub. quæ eſt ſui iuris, vt Veneta, etiam illi qui ſit publicè obæratus legationem dare poſſit. Adeò vt verba Marciani non legationes regnantium, eorumque omnium qui nullius auſpicijs viuunt niſi ſuis, ſed ſolas municipales reſpiciant. Haud abſimilis fuit lex illa Athenienſis, Nequis qui nondum rationes ad ærarium retuliſſet, corona donaretur. Cùm enim corona ſit præmium virtuti, ſuſpenſa manu tenenda, neque eius capiti imponenda, qui eſt in ære alieno, & quidem publico. Id quod tunc eſt crimen, cùm quibus credita eſt pecunia publica, ſibi ex ea aliquid præmordent. Sæpe enim

Paul. in l. 18. D. de indic.

Marcian. in l. 4. de leg.

Æſchin. in Cteſiph.

* Credo hunc eſſe qui ſcripſit de Coronis, vnde ſua Tertullianus ſumpſit.

Iuuen. ſat. 7.

Et qui diſpenſat frangit ſibi.

Quandoque eſt affine crimini, vt apud Perſas quibus res omnium fœdiſſima mendacium fuit. Mendacio proximum collocabant debitum. *Reatus eſt eſſe ſub debito*, inquit Senator. Nam inter debitum ſeneſcens, & furtum recens haud intercurrit multa diſtantia. Et verò & fures & mala nomina haud multùm diſcrepanti ratione tuentur ſeſe. Illi mendacijs, & aperta fuga; Iſti promptis falſiloquijs, & cæcis ſubterfugijs; tum maximè cùm vndique verſus appellantur tabulis & chirographis. Tunc, ſcilicet, palleſcunt, fiunt Protei, aut chameleontes mutandis verbis, & variandis conſtitutis. Hoſce priſca ſeueritas vſque eò peroſa eſt, vt iure duodecim tabularum corpus debitoris inter creditores diuidi licuerit. Quam ſæuitiam, aliaſque horridi æui acerbitates etſi mos publicus auerſatus eſt, vix tamen eximitur infamiæ quiſquis artificio tam improbo alienum inuaſit. Si in ære ſuo vacillanti nefas eſt dare legationem, quid illis fieri æquum eſt qui prodigentia conſpurcant munus tam illuſtre, dum inludunt pecuniæ priùs ſuæ, mox alienæ? At ſic ſolent iſti, qui, ſicuti in ipſis electa ſit elegantia, non induſtria, ſibi putant conuenire

Herodot. li. 1. & Plutarch. de vit. vſu.

Caſſiod. Var. 12. ep. 10.

Quintil. Inſtit. lib. 3. cap. 8. & Tertull. in Apolog.

Et ſtrepitu, & facie maioris viuere cenſus. *Iuuen. ſat. 7.*

hoc velamine tegentes domeſticam tenuitatem ſub honore legationis laborantem. Ijdem, poſtquam proteruiam fecerunt, cùm flagitantur, tantæ fœditatis culpam ab ſe, vt ſtultè credunt, amotam reijciunt in ieiunam mentem principis, quem carpunt iniquo queſtu, & infamant, rumoribuſque ſuam inopiam vlciſcuntur, ſua vulnera hoc ſplenio tegentes, & illius hoc ſpecillo retegentes; ſicuti vitæ prodigæ, luxurioſæ, & libidinoſæ princeps ſumptus ſuppeditare debeat. Quod ſi non faciat, eis dicatur ſubtrahere neceſſaria. Amouendo huic dedecori legatus parſimoniam; princeps benignitatem ſibi imperare debet. Ille hac virtute ſibi ſupplebit id quod non accepit à principe

minimè largitore. Hic vitabit famam auaritiæ, aut certè egeſtatis imperijs exitioſam. Quòd ſi militi æra procedunt, cur non legatis decernatur expeditiſſima pecunia, indeque eis legatitium benignè promatur? Neque enim, opinor, ſumptus ſuos tolerēt latace aut ſimili herbæ genere. Nempe illam Perſarum legatis dari ſolitam ſcribit alicubi Plinius. Certè quibus neceſſaria ſubtrahuntur, his conuenit hæc querela,

Plin. lib. 26. cap 4. 342.
Ariſtoph. in Acarn.

† Ἐπέμψατ' ἡμᾶς ὡς βασιλέα τὸν μέγαν,
Μισθὸν φέροντας δύο δραχμὰς τῆς ἡμέρας.

† Miſiſtis nos ad regē magnum mercedem ferentes duas drachmas diurno ſtipendio.

Et verò dubitatum eſt an is cui non datum eſt legatiuū, nihilominus in legationem proficiſci debuerit. Qua de re audiendus eſt Cicero hæc ſcribens ſiue vera, ſiue ficta, & è Cicerone Martianus Capella. *Rhodij quoſdam legarunt Athenas. Legatis Quæſtores ſumptum quem oportebat dari, non dederunt. Legati profecti non ſunt. Accuſantur. Intentio eſt, proficiſci oportuit. Depulſio eſt, non oportuit. Quæſtio eſt oportueritnē. Ratio eſt, Sumptus enim qui de publico dari ſolet, is à Quæſtore non eſt datus. Infirmatio eſt, Vos tamen id quod publicè vobis datum erat negotij conficere oportebat. Iudicatio eſt, Cùm ijs qui legati erant, ſumptus qui debebatur de publico non daretur, oportuerit ne eos, qui legati erant, conficere nihilominus legationē.* Legatiuū de quo agimus, Græci vocarunt † πορεῖον ὥσπερ ἐφόδιον. Cæterùm is legatus vix redigitur ad terminos egeſtatis, qui ingerat ſibi genus quoddam nitidæ viriliſque parſimoniæ, quod eſt incorruptum teſtimonium iudicij. Indidem eſt quoque virtus & bona valetudo. Ne pudeat legatos aſſumere comitem tam honeſtā. Habitauit quādoq; in regijs omniū maximis & opulētiſſimis, priuſquam inde eam luxus exactam compuliſſet ſub tegetes & culmū. Ad hoc, tradit Vlpianus, legationem non eſſe in numero illorum honorum, qui ſumptum habēt, & obiri ſolo miniſterio. Etſi ibi Vlpianus municipalem legationem ſignat veriùs quam hanc noſtram. Is legatus qui huic virtuti litauerit, ſibi licet tenui, cir-

Cic. lib. 2. de inuent. 232.
Martian. Cap. de nupt. Philol. li. 5.
Etymol. πορεῖον.
† viaticum.
Vlpian. in l. 6. D. de leg.

comdabit famam prędiuitis; & principi, licet, perparco, benigni & liberalis. Denique latiori fœnore apud ipſum exuberabit hæc modeſtia, & pudor petendi, quàm immodeſtia quorundam repoſconum, quibus nunquam tam plenè occurrere vlla liberalitas poteſt, vt cupiditates eorum exſatiet; nedum vt ſimiles ſint Menedemi illius, qui multis legationibus apud Ptolemæum, Lyſimachum, Demetrium præclariſſimè cùm fungeretur, eique ciuitas ducenta quot annis talenta daret, quinquaginta remiſit. Ea certè hodie ſit prodigioſa frugalitas, & *Laërt. lib. 2. in Mened.*

Thuſcu digna libellis. *Iuuen. ſat. 13.*

O heroica tempora, cùm regnantes & legati inuicem certabant, illi benignitate, hi continentia. Sed nunc circa haſce virtutes magna hercule ſolitudo. Summa rei hæc eſt, vt legati deformitatem ſui aut principis, aut Reipub. non velent vitijs ſpecioſis, ſed veris virtutibus excuſent.

CAPVT LXXIIII.

An perduellionis rectè legato dies dici poſſit. Quædam obiter de falſo legato.

AN pœnales actiones competant in legatum, quæſtio eſt ſanè anxia & nodoſa, cuiuſque non eſt expedita ſententia. Nam ſi in eum vindicatur, violatur ius legationis in perſona ſancta, quæ dicetur facta piaculum iræ alienæ. Sin minus, ſceleſtis dum impune erit, ij de illorum facilitate quos circumſcripſerunt, triumphabunt. Vtrinque Reipub. ſic deceptæ inſtat magnum periculum. Nodum hunc vt ſoluam, ordiar à crimine proditionis, ſcelerum columine. Si enim legatus ijs, apud quos legatione fungitur, inſidiatus fuerit, illud quęritur, An loco hoſtis habendus ſit. Equidem loquor dę vero legato, non de ſubdito,

eoque qui falſa mandata attulit. Quippe hic lædit maieſtatem publicam. Lex, inquit Demoſthenes, illi mortem indicit, qui non miſſus tamen ſe fert legatum. Idem paulò poſt ait, falſum legatum capitis damnari. Tales hic ipſe dicit fuiſſe legatos Philippi. Tanta impudentia verſutiaque homines ab ijs ad quos ſe miſſos mentiuntur, ſicuti ſpeculatores plerunque infenſiſſimè exturbantur. Legatus aut caduceator, inquit Plato, ſi falſa nuntiauerit, ſi falſam legationem aliqua ratione obierit, ea tacendo quæ dici debuerunt, aut referendo falſa, ſiue aliter hunc præuaricatum eſſe probatum fuerit, ſiue apud hoſtes, ſiue apud amicos, aduerſus hunc eadem ratione agatur, vt in eum ſolet fieri, qui Mercurij Iouiſque legationes & mandata impiè ac nefariè fuerit transgreſſus. Et pro iudicum arbitrio plectatur. Circumſpectè tamen, ne non ſceleſtum puniri, ſed iura mundi violari, & impias manus ſacro muneri admoueri quiſpiam meritò queri poſſit. Superior Africanus cùm onuſtam multis, & illuſtribus Carthaginienſium viris nauem in ſuam poteſtatē redegiſſet, inuiolatam dimiſit, quia ſe legatos ad eū miſſos dicebāt. *tametſi manifeſtū erat, illos vitandi præſentis periculi gratia falſum legationis nomen amplecti. Vt Romani imperatoris potiùs decepta fides, quàm fruſtra implorata iudicaretur.* Quòd ſi is, qui iuſtè pieque legatus venit, coijt, coniurauitque quo labefactari imperium, quod adijt, poſſit, hic verò fidem rupit, à iure gentium longè receſſit, publicæ maieſtatis reus eſt. Huius immanitatis peritiſſimos artifices produxit hæc ætas. Nam quocunque te vertas, intendere potes oculos in ingenia ſæua, inquieta, Punicæ fraudis fœta; quæ iuri gentium inludere, fœdera temerare, fidem iuriſiurandi vtilitate metiri, periurijs, & perfidijs gloriari, nempe has, tanquam e ſuis virtutibus maximas diligunt & oſtentant. At, inquiunt, haud ſanè refert, qua tandem ratione hoſtem opprimas. Fateor hoſtem. Nam cùm in æquum deſ-

Demoſth. de fal. legat. 216.

Demoſth. in orat. de Halon. 31.

Plato lib. 12. de leg. to. 3. 941.

Val. Max. lib. 6. cap. 6.

cenſum eſt, non quæro cæſim vulneres, an punctim, pugnator ſis an inſidiator, cautior an fortior. Triumphus eſt in victoria; in hac decus indelebile. Sed quorum ſancita fœdera nulla adhuc hoſtili denunciatione rupta ſunt, horum ſi quis ſacroſancto munere legationis abutitur ad ſæuum miniſterium proditionis, ferro & igne perſequendus eſt. Nam cur quiſquam miſereatur illius, apud quem nihil eſt neque veri, neque ſancti? Quin potiùs tantam noxam protinus conſequatur pœna, ſingulare crimen ſingulari ſupplicio vindicetur; Apertus hoſtis humanitatis conſpirantibus omnium ſtudijs exturbetur. Quod iudicium etſi par eſt eſſe inflexibile, tamen hunc rigorem, vt cœpi dicere, prudentia quandoque inclinat. Semper enim verendum eſt, ne legatum, licet reum maieſtatis, externæ gentes præcipitatis ſtudijs condemnatum putent; ac proinde non conuictum, ſed oppreſſum ab illo, qui idem eſt accuſator, ſubſcriptor, teſtis, ſcriba, cognitor, iudex. Quid enim ſi falſò metuiſti? ſi pertinaciter illum odiſti? Quid ſi diu talem vltionem meditatus es? Num veriſimile eſt, opinionem præiudicatam dubia à compertis, obſcura à liquidis, falſa à veris diſcernere? Verendum & illud eſt, ne videantur vim pati etiam illi quibus probatum eſt. Priſcis patribus conſcriptis legati Tarquinij viſi ſunt commiſiſſe vt hoſtium loco eſſent. Nihilominus tamen apud illos ipſos ius gentium valuit. *Lin. lib. 2.* Sic Poſthumius Dictator depulit incurſum vulgi à ſpeculatoribus Volſcorum, qui ſe legatos dicebant. Ne, inquit, Volſcis detur honeſta occaſio belli, dum diſſeminabunt legatos eſſe cæſos contra ius gentium. *Dion. Halic. lib. 6.* Et quanquam qui cum Sylla erant exiſtimabant manu vindicandum in Volucem, à quo ſe proditos, & inſidijs circumuentos videbant, & eadem Sylla exiſtimabat, tamen ab iniuria Maurum prohibuit, quia à patre eius ad ſe Quæſtorem miſſus fuerat; eumque caſtris abire iuſſit. *Salluſt. in Iug.* Enimuero nihil magis intereſt vniuerſæ mortalitatis, quàm

aliquam eſſe in mūdo æquitatem, quæ iuſta cuiuſque noſcat. Ipſi Dij ſua iurgia ad Areopagitas detuliſſe dicuntur. Quî minùs idem vſurpent reges? Philippus Amyntæ filius, & Alexander qui è ſtemmate regum Macedoniæ, vt omnium opulentiſſimi, excerpi poſſunt, facilè paſſi ſunt, quibus de rebus inter ipſos & extraneos ambigeretur, de ijs non in Macedonia, ſed ab Amphictyonibus cognoſci. Si hic mos eualuerit, vt ſibi quiſque ius dicat, quid miſeris non deſperandum? quid promptiſſimo cuique non audendum? Ecquis erit portus, in quem naufraga innocentia enatet? Quid aliud ſit hoc omne, quo ſumus circūfuſi, ſi non moles indigeſta; inuolucrum inexplicabile, bellum interminum, noctis nigror occæcans, cui nullus ſol illuceſcat? Quocirca rerumpublicarum moderatores id ſummopere, ſemperque cauere debent, ne pœna vnius legati improbi omnes bonos læſiſſe videantur. Quòd ſi quis quandoque ab hac moderatione receſſit, nunc, opinor, non tam ius protegit, quàm neceſſitas excuſat. Quanquam & ipſa humanitas, cuius, re tali, habita ratio eſt, proditorem ſatis oſtendit haud multùm differre à damnato, qui non eximitur noxæ, ſed ſubtrahitur pœnæ; liberatur ſupplicio, peccato non abſoluitur; eripitur laudi, traditur ignominiæ. Equidem ſedulò moneo legatum mente tam lymphata vt ponat iſtam prauitatem, propriæque innocentiæ laudem adipiſci malit, quàm fieri exemplum alienæ clementiæ. Et adhuc ita loquor, tanquam mihi auſcultent illi, à quibus, in hoc æſtu, exigo moderationem. Sed magnitudine periculi vel ipſa mitiſſima pectora aſperari ſatis cōſtat, eoque decurrere non quò ratio ducit, ſed quò cupido vltionis impellit. Adeò & duram patientiam euincit dolor pius. Sic enim putant, legationi hactenus honorem habendum, tibi, qui eſt primus ſapientiæ gradus, vti ne noceas. Equidem nunquam dubitem ſceleratam cōiurationem detegere, diſijcere, opprimere intercipiendis

Ammian. Marcell. lib. 9.

Pauſan. lib. 7.

piendis literis, deprehendendis cœtibus clandeſtinis, qui fortè habentur apud legatum, vincienda & aſſeruanda familia eius talibuſque vſurpandis, quorum ductu ad rem perueniri poteſt. Exemplum Pelopidæ ſupra memoratum huic quoque loco conuenit. *Is cùm Theſſaliam in poteſtatem Thebanorum cuperet redigere, legationiſque iure tutum ſe arbitraretur, quod apud omnes gentes ſanctum eſſe conſueſſet, à tyranno Alexandro Pheræo ſimul cùm Iſmenia comprehenſus in vincula coniectus eſt.* Hæc videlicet, non dicuntur committi contra ius gentium, ſed fieri ex æquo, & bono, vt de Bomilcare memorat Salluſtius. In ſeruando iure gentium ſtultè religioſus is mihi eſt, qui eodem eſt facilis in ſuam perniciem. Ius gentium & naturale, quia implexis principijs ſunt conſortia, minimè vereor ne in illud peccet quiſquis hoc tutus eſt. At nihil eſt tam naturale, quàm vnumquemque tegere ſuam ſalutem aduerſus externam vim, nequitiam, fraudem. Quapropter equidem communis iuris ita propugnator ero, vt non ſim proditor mei. Hæc fuit animoſa prudentia priſcorum Conſulum, *qui ad deprehendendos legatos Tarquinij coniuratoſque profecti domo, ſine tumultu rem omnem oppreſſere. Literarum in primis habita cura, ne interciderent.* Certe ferox ille Attila, nec tamen vſquam blennus aut fatuus, Bigilam nomine interpretem, re ſicarium, nam Maximino legato comes additus fuerat, ad hoc tantùm vt Attilam trucidaret, in ipſo ſcelere deprehenſum his verbis inſectatus eſt, Non potes mihi imponere homo nequiſſime. Nec tu quidem vlla ſpecie pœnam ſubterfugies. Multo plus tibi eſt pecuniæ quàm quanta opus habes ſiue ad ſumptus neceſſarios, ſiue ad coëmendos equos & id genus animalia veterinaria, & ad redimendos captiuos, id quod ne fiat, Maximino, qui ad me legatus fuit, edixi. Hæc fatus filium Bigilæ, qui in eam legationem cum patre venerat, gladio transfigi iuſſit, nî properè pater fateretur, cui nam pecunias, & quod ad

Æmil. Prob. Pelop.

Salluſt. in Iug.

Liu. lib. 2.

Priſc. ecl. legat. 56.

facinus attuliſſet. Bigilas vt vidit filium ſub ictu, in lachrymas queſtuſque effuſus orare inſtitit vt ſibi ictus non innocenti filio infligeretur. Nihilque cunctatus aperuit ea omnia quæ ſibi & Edeconi, & Eunucho, & imperatori meditata fuerant; orabatque in ſe verti ferrum, dimitti filium. Attila ſatis comperto ex ijs quæ ab Edecone cognouerat, nihil mentitum eſſe, hominem, in vincula duci iuſſit; Interminatus non priùs exſolutum iri, quàm miſſo ad hoc filio, aliæ ſibi centum auri libræ ſuper cæteras penderentur. Et hac quidem lege Bigilas in vinculis habitus. Subiectarum imperio gentium legati, ſi talia moliantur, ſine vlla
Liu. lib. 25. heſitatione puniuntur. Et verò Phileas Tarentinus, qui per ſpeciem legationis Romæ cùm eſſet, aditum ſibi ad obſides Tarentinos inuenit, eoſque crebris colloquijs ſollicitatos, corruptis duobus æditius, cuſtodia eduxit, ipſe comes itineris factus profugit, ab itinere vnà cum illis retractus, deductus in comitium, virgiſque adprobante populo, cæſus, de ſaxo deiectus eſt. Id quod eò iuſtius videri poteſt quòd tunc temporis Tarentini dici poterant eſſe in ditione Romana, cùm ea vrbs præſidio Romano teneretur. Et verò
Liu. lib. 23. ſi hoſtium legati conduntur in vincula, & comites eorum ſub haſta venduntur, multò æquius eſt hoc iuris obſeruari aduerſus proditores, qui ſunt hoſtibus multò deteriores. Qui contra ſentit, neque ad hæc præſidia, in vltimo rerum ſuarum diſcrimine, properè confugit huius ſanequàm vereor ne poſtea magnus aculeus pectus pungat, cùm hoſtem, & inſidiatorem ſuum videbit ſuis criminibus felicem & ferocem incedere. Ideo hæ proditiones ſimulatque deprehenſę ſunt, legatus palam eſt conuincendus. Conuictus aut ea ratione excipiendus, qua Attila Bigilam, aut ad ſuos remittendus; eique diſertim denunciandum, vt properè faceſſat ab oculis conſpectuque hominum; ne parum tutus ſit iure legationis, quo minimè æquum eſt proditiones protegi. In malam rem

abire iuſſus publico præſidio educitur, non honoris gratia ſed tutelæ. Quæ ratio aduerſus legatos minorum principum licentiùs vſurpari poteſt, tanquam odium ſimul & contemptum meritos. Legati Campanorum ad hunc modum ex vrbe ſunt emiſſi. Priſco more dedebantur. Ad quod exemplum Galli petierunt tres Fabios ſibi dedi, à quibus adſe legatis arma contra ius gentium aduerſus ipſos capta. Cæterùm priùs quàm legatus proditor amittatur, expiſcandum ab eo eſt, iuſſu an iniuſſu legationem polluerit tanto ſcelere. Ibi legati partes erunt (hoc enim dabo non homini nequam, ſed honori legationis) palam teſtari Deos & homines, ſibi vim fieri, qui ex eminente loco ab aduerſarijs deturbetur ad ſubſellia reorum. Hæc palam teſtatus nihil quicquam, ſi ſapiet, ab ſe extundi patietur, quo crimen adgnitum dici poſſit. Si ita deprehenſus erit, vt rem fateri neceſſe habeat, ſe autorem agnoſcet, aut illum, cuius eſt. Si ſe, aut, quod dixi, eijciendus eſt, aut poſtulandum vt dedatur. Si eum, cuius legatio eſt, tunc ſedulò agendum, vt, quò is ab ſe ſcelus amoueat, illi aſſignet, id ipſum ſcriptis mandatis confirmet. Si nullus mandata proferet, iubendus eſt ſubſcribere ſuæ confeſſioni. Et res omnis auribus & oculis primorum, quorum teſtimonia ne exteris quidem ſuſpecta eſſe poſſint, aut etiam communibus amicis credenda. Hæc ſic acta, ſcripta, obſignata arcis conduntur, vt animo iniuria, quoad proferri in occaſione poſſint. Nimirum, hinc conflantur vltionum cauſæ, & quidem iuſtiſſimæ, ſi ij, quorum legatio eſt, praua indulgentia, & apertè danda proditori impunitate, crimen agnoſcunt. Nam hinc ipſis occludi os, manifeſtum. Porrò ſi nituntur ſua innocentia, eius hinc fidem facient, ſi eò promptiùs decurrent ad pœnam illius, qui legationem operuit dedecore, per quem vtrinque ventum prope eſt in certamen virium, & in diſcrimen ſalutis. Denique è ſupplicio hominis tam ſceleroſi orietur non ſolùm

Liu. lib. 13.

Liu. l. b. 25.

decus illius, cuius temerata legatio eſt, ſed & ſecuritas vtriuſque imperij, cùm publica mala non luentur publicis cladibus, ſed pœna vnius facinoroſi. Hæc de legatis proditoribus.

CAPVT LXXV.

An aliæ actiones pœnales competant in legatum.

VIx illi quæſtioni locus relinquitur, An vulgaris criminis ea ſit vis, vt ei⁹ pœna à legato expetatur, cum ne perduellionis quidem rectè dies dicitur. Nec ideo eſt quod vereare ſic ſcelera fore impunita, quæ ſemper congenitam & ingenitam conſcientiam excarnificant. Huc accedit infamia, quæ nō modò morte nō extinguitur, ſed diuturnitate valeſcit. Quid immanius verbis Theodahadi? Is cùm impulſu perfidiæ legatos Iuſtiniani ludos faceret, eique Petrus alter legatorum robore animi reſiſteret, hęc tinnire non dubitauit, Magnam quidem & inclytam eſſe dignitatem oratorum, quamque omnes mortales ſingulariter venerantur. Sed, videlicet, hac prærogatiua tutos eſſe, quoad ipſi ab officio non recedunt. Nam legatū, inquit, licet occidere, ſi in regem cōtumelioſus fuit, aut ſi pudicitiam alienæ vxoris contrectauit. Qua de re etſi in vtramque partem diſputari ſcio, tamen Petro tali viro tunc quidem, talique re in os dicta, & exprobrata, veluti ſi is quidpiam tale admiſiſſet, vt falſa, & impudentia reijci, & pro abſurdiſſimis haberi debent. Similis ferè locus eſt apud Plutarchum de Tribunis plebis. Tribunus, inquit, ſacer eſt & inuiolabilis, quia populo [Romano] eſt conſecratus, eique præeſt. Quod ſi immutatus inſurgat in populum, eius vi intercedat, eique adimat ſuffragia, ſe ipſe eo magiſtratu abdicauit, cùm nullam earum rerū præſtet, quarū intuitu ea poteſtate donatus eſt.

Procop. lib. 1. belli Goth.

Plutarch. Tib. & C. Gracch. 1524.

Ego ſic puto, ſi legatus ob atrox aliquod commiſſum infortunio donatus eſt, id factum magis excuſari, quàm probari, aut laudari. Et de priori quidem nempe admiſſo in perſona regis, aut earum perſonarum quæ cognatione regi ſunt proximæ, non hîc repeto quæ ſupra dixi. Ne poſterius, nempe ſtupra, adulteria, cædes, taliaque legatus audeat, aut poſſit, ſumma cura eſt aſſeruandus. Neque enim illi ſcelus aſſignare potes, quin eâdem fateare & ſocordiam, & negligentiam tuam; ſi illum vltus es, etiam infelicitatem agnoſcas, cuius homines miſereri magis, quàm laudatores eſſe poterunt. Quædam facta, vt ſæpiùs dicendum eſt, ius protegit, quæ ne fiant ſumma ope cauendum. Neque verò Totila verior aut mitior, cùm Pelagio legato Romano in os dixit, Honorem haberi legato illi, qui, ſi vera prompſit, remittitur ad ſuos. ſed illi ignominiam addi qui commentitia loquitur. Falſum hoc, & commentitium & impudens dictum eſt. Nam quî ſcis legatum loqui mendacia? Inſpexiſti, credo, mandata; ſcelus feciſti. Si homini publicè legato non credis, quis tibi Mercurius verus futurus eſt? Apud Euripidem prudenter chorus monet Demophonem, ne violet præconem Euryſthæi.

Procop. li. 3. belli Goth.

† Μὴ πρὸς θεῶν κήρυκα τολμήσῃς θένειν.
Δη. Εἰ μή γ' ὁ κῆρυξ σωφρονεῖν μαθήσεται.
Χορ. Ἄπελθε, καὶ σὺ τοῦδε μὴ θίγῃς ἄναξ.

† Ne per Deos committas vt præconem verberes. De. Niſi præco modeſtiùs agere didicerit. Chor Abi. Et tu, ô Rex ne hunc attigeris.

Euripid. Heracl. actu 1. sce. 1.

Ergo ab hac legatione faceſſat illud quicquid eſt, quo iura muneris ſacroſancti temerari poſſunt. Vt lux eſt ſolis, calor ignis, ſiccitas terræ, ita legationis propria eſt ſecuritas. Qua dempta, dirimuntur commercia imperiorum, tam ſociorum, quàm hoſtilium. Certè homines, ritu ferarum, nunquam deſinant ſe incurſare, nullo prohibiti aut montium obiectu, aut fluminum decurſu, aut maris iniectu, gurgitumúe tractu, nedum humanitatis monitu. Hæc eadem ſecuritas comites amplectitur. Hoc liquet ex verbis

Vlpian. l. 7. ad l. Iul. de vi publ.

Vlpiani, *Quod ad oratores*, inquit, *comiteſue attinebit, ſi quis eorum quem pulſaſſe, ſiue iniuriam feciſſe arguetur, lege Iulia de vi publica teneatur.* In hanc ſententiam, vt ſupra dicebam, Salluſtius fatetur, Bomilcarem comitem Iugurthæ, factum eſſe reum magis ex æquo & bono, quàm ex iure gentium. Id quod eò magis firmo, cùm in ijs comites deliquerunt, quibus ius ciuile, & inſtituta huius, aut illius ciuitatis violata ſunt. Nam quæ ciuem ſcientem magni criminis reum peragũt, ob eadem ſi non cuilibet peregrino, at certè illi qui fide publica tutus eſt, ignoſci æquum eſt. Quòd ſi crimen omnem atrocitatem ſupergreſſum eſt, autor ſum magiſtratui, vt noxio capiti neutiquam pœnam, quam meritum eſt, irroget, ſed legato palam faciat, homine nocente abſtineri ſolo intuitu iuris gentium. Ac proinde minimè ab ſe indultum crimini, ſed ipſi honorem habitum. Si legatus crimini caput eſt, miſſuſque eſt ab eo imperio, qui cum nobis intercedunt magna iura fœderum, & ſocietatis, quæ ne leui quidẽ ſuſpitione aſpergi poſſunt ſine euidente periculo, tunc certè cautiùs agendum ac circumſpectiùs. Cenſeo de ipſo querendum apud ipſum, hoc eſt, de homine nequam apud illum, qui legatione fungitur. Inſuper omnis res illi indicanda, cuius legatio eſt, petendumque vt in vltionem rei atrocis ſeuerus vindex inſurgat. Hæc tam grauis expoſtulatio ſolenni ritu ad ipſum mittenda eſt, vt hinc magnitudo delicti, atrocitas iniuriæ, & acerbitas doloris æſtimari poſſit. Comiti aut familiari non temerè inijcienda manus, ne ius, quod hinc ſtat, transferatur in aduerſarium; Qui ſibi occaſionem inimicitiarum diu fortaſſis expectatam, tunc & oblatam, id verò triumphet. Ad poſtremum, in id omni ope nitendum eſt, vt is, cuius legatio eſt, intelligat non modò à nobis captari occaſionem dirimendæ ſocietatis, ſed fortè oblatam enixè vitari. Quæ ſanè modeſtia efficaciſſimè petit, vt cuius culpa ventum eſt

in diſcrimen rumpendi fœderis, in eum ſeueriſſimè vindicetur. Si legatus is, qui arrogãtia & crimine iras noſtras irritauit, ab illo miſſus eſt, cuius maximè intereſt iugi veneratione beneuolentiam noſtram demereri, ſeque modeſtia nobis, & innocentia probare, abſque vllo reſpectu iubendus eſt intra breue tempus manere extra fines noſtros edicto ne redeat, niſi malit plecti vt improbus. Comiti, aut familiari non magis ignoſcendum, quàm fauendum crimini. Ignoſcentia ius gentium manet inlæſum. Pœna it in exemplum ſalutare. Si iniuſſu legati ſcelus apud ipſum ortum eſt, quam expoſtulationem dixi mittendam illi cuius legatio eſt, hac eâdem ipſe eſt adeundus. Tunc ad eius officium maximè pertinet, iuſtæ magiſtratus querelæ obuium ſe, facilemque præbere, & nocenti manu iniecta, tradere eum in publicam cuſtodiam, eiuſque adeò ſupplicium vrgere. Hac flagrante tamque iuſta ſeueritate emet ſibi famam bonam, magnam, perennem. Neque enim tam magiſtratus, quàm ipſe pœnæ autor cluebit; eóque vniuerſi emicabunt in laudes legati acris criminum oſoris, iuſtitiæ amatoris. Si magiſtratus reo ignoſcet, erit quo legatus intimè lætetur, noua & inuſitata ratione impetratam reo impunitatem, nimirum ſua obſtinata ſeueritate. Quæ quoque magiſtratui cedet in emolumentum honoris. Ab quo, re tali, deſidero hanc, quam dico, moderationem, qua remunerandus videtur legatus non modò non impudens deprecator pœnæ, ſed acerrimus exactor ſupplicij. O honeſtum certamen, hinc expediri ſeueritatem & iuſtitiam, illhinc moderationem & reſpectum. Vtrinque inuidiam aboleri, & è medijs difficultatibus laudem, decuſque acquiri. Hinc, ne quis erret, excludo legatos municipales & prouinciales; Qui ex delictis in legatione commiſſis coguntur iudicium Romæ pati, ſiue ipſi admiſerunt, ſiue ſerui eorum. Legatum quoque prouincialem, inquit

Paul. in lib. 24. D. de iudic.

Iuriſconſultus, accuſare licet eius duntaxat criminis quod ante commiſerit, quàm in legationem venerit.

CAPVT LXXVI.

An legatus habeat iuriſdictionem in ſuam familiam.

NOn ſum neſcius haud paruam manum legatorum ſic exiſtimare, vnà cum legatione datam ſibi eſſe iuriſdictionem in ſuam familiam; idque iuris tam proprium eſſe ſui muneris, quàm autoritas eſt ſenatus, & poteſtas principis. Quod quærere verumne ſit, vt non infructuoſum, ita arduum eſſe, mecum fatebuntur illi, qui mecum operam dabunt huic executioni; ad quam validiores, puto, rationes aduocabo, quàm quæ in eius veſtibulo excubant. Dominatus, vt docet Ariſtoteles in Politicis, tria genera conſtitui poſſunt, regale, politicum, Oeconomicum. Diſpiciendum ecquod horum legato datum ſit. Non, opinor, regale. Neque enim is agit vicarium imperij aut regni in his quæ ſunt poteſtatis, ſed in ijs tantùm quæ ſunt curæ. Neque item dominium dici par fuerit munus, & curationem nullo iure coërcendi, aut cogendi quemquam; quod accipi à non habente in aliena ditione minimè poteſt. Niſi fortè eam poteſtatem legatus vſurpet conceſſu & beneficio illius, apud quem fungitur hoc munere. Ea conceſſio tacita eſt, aut expreſſa. Tacita, ſi ea legati duorum imperiorum vtuntur, eique conſuetudini neutrubi interceditur. Expreſſa, ſi vtrinque pacto comprehenſum eſt, vt vtriuſque legationes, vbi ſunt, iuriſdictionem habeant. Si nihil huius eſt, ac dominium legati, ſi eſt vt dominium habeat (id enim quæro) iam docui non eſſe regale, fortaſſe eſt politicum, hoc eſt, ciuile, quale habent pauci, aut multitudo. Quod ipſum

ipſum ſola forma differt à regali, non autoritate ac poteſtate. Nam & hoc continetur ſummum imperium. At ne hoc quidem dominio legatum præditum eſſe, quia liquet, manus dandum. Ergo reſtat vt ſit œconomicum. Huius item duplex eſt ratio. Nam œconomum habere iuriſdictionem, tam liberè negari quàm firmari poteſt. Neque enim ad rem pertinēt eæ partes œconomiæ, quæ Ariſtoteli ſunt ciuilis & regalis; tanquam illa ſit in vxorem, hæc in liberos. Quæ neque vſquequaque vera ſunt; Atque vt vera quandoque fuerint, hodie vſu & conſuetudine vſque adeò ſunt abolita, vt ciuile imperium non alibi ſit quàm in publica libertate, & regale in principatu, & monarchia. Et quidem œconomo non dari dominium, diſſeri poteſt ad hanc formam. Dominatus continetur duabus functionibus, iuſſis, ſiue edictis, & pœna. Neutrum facit œconomus. Ergo nullum fateare neceſſe eſt eſſe eius dominium. Mendosè colligis, inquis, quia falſum eſt quod adſumis. Quippe liquet, vtroq; munere œconomum fungi. Vide quàm non agam obſtinatè, imò quàm benignè. Huius ſententiæ partiarius ero, hoc eſt, partem concedam tibi, vt partem concedas mihi. Sic, ſcilicet, gratuita benignitate non erit quod querare te duriùs obligari. Dominium verum & primæuum aufero œconomo; Illius imaginem largior. Vnus eſt in mundo ſol, tamen & is, quem ſpeculi purificus orbis reiectat, ſolem dicimus. Sic dominium etſi totum eſt publici iuris, non priuati, tamen & in lare cuiuſque familiari exſcriptū legimus, exſcriptū inquam non primæuum. Nam iam inde à priſco æuo vbique poſita eſt feritas Lotophagorum, & ſi qui Lotophagis ſimiles ſunt, qui

Ariſtot. lib. 1. polit. ca. 8.

Nec commune bonum poterant ſpectare, neque vllis
Moribus inter ſe ſcibant, nec legibus vti.
Quod cuique obtulerat præda fortuna ferebat.
Sponte ſua ſibi quiſque valere, & viuere doctus,
Miſſilibus ſaxis & magno pondere clauæ.

Lucret. lib. 5.

Ergo iſti cùm neque in commune conſulerent, neque viuerent in ciuitate, quiſque domi ſuæ iuriſdictionem habuit,

Ex Homero citat Ariſt. in Polit.

— † θεμιστεύει δ' ἕκαστος
παίδων ἠδ' ἀλόχων.

† Iura dat quiſque liberis & vxoribus.

At hodie nulla domus ita ab alijs ſegrex eſt, vt non ei ſint & ſacra & iura communia cum cæteris. Nempe, omnes viuimus in ciuitate, hoc eſt inter multas vicinias, quæ conſtant è pluribus familijs. Quarum ſingulis moderatur is, cui ère nomen inditum, paterfamiliæ, vt verus pater, ſic dominus adumbratus. Cæterùm huius œconomiæ formam, modumque definiunt eius cauſæ. Vt regi cauſam dedit ſecuritas publica, ſic patrifamilias cupido liberorum, & vitę commoda. Ergo iuſſa eius & edicta non aliud vtique ſpectant quàm educationem prolis, & auctum rei familiaris. Neque verò publica iuriſdictio, ſummumque imperium alij rei ſunt inuenta, niſi priuato huic iuri tuendo. Nimirum, qui patrifamiliæ ſunt filij, ijdem Reipub ſunt ciues. At beneficium collatum in familiam cùm non egrediatur priuatos parietes, neutiquam æquari ijs, quæ Reipub. præſtantur, poteſt. Per quem item res domeſtica curtata eſt, nequaquam eadem ſeueritate punitur, qua vindicantur publica crimina. Ergo neque ab œconomo magna præmia ſunt expectanda; neq; item graues animaduerſiones metuendæ; Cui, videlicet, relicta eſt modica quędam beneficentia, & coërcitio, verius vmbra, aut imago imperij, quàm imperium. Certè illi haud abſimilis quam Plato concedit iudicibus, quos non planè, ſed quodammodo fatetur eſſe magiſtratus, & illo tãtum tempore quo iudicia exercẽt. Eam potiùs nominem autoritatem, quàm poteſtatem, regimen quàm iuriſdictionem, quæ non egreditur verbera, minas, taliaque. Quippe abolitum eſt trux illud herile imperium in tergum, vitámque, & illo non minùs atrox patria poteſtas. Porrò ſi licet legato, non alio impe-

Ariſtot. li. 1. politic. cap. 1. & 2.

Plato lib. 6. de leg. vol. 3. 877.

L. vnica C. de emend. ſeru.

rio ſe iactare quàm œconomico, ne illud quidem poteſt eſſe dubium quàm anguſtis terminis iuriſdictio eius contineatur. Ac proinde manifeſtum eſt, neque ergaſtula ei, neque vincula & compedes, multoque minùs carnificem & laqueum permitti. Sed quicquid illud eſt iuris, quod habet in ſuos, modeſtè agitãdum nullis ſæuitijs. Quæ præter hæc ſint; quicquid ex his vſurpetur, eo minui iuriſdictionem magiſtratus, temerari publica iura, lædi maieſtatem principis, cui vni leges porrigũt vltorem gladium. Aduerſus hęc dici poteſt, œconomia contineri dominium, atque adeò omnem iuriſdictionem ne illa quidem excepta, quæ gladium diſtringit. Hinc ſtat antiquitas, & quidem ſubnixa validis rationibus, quarum eminent hæ, vt priuata animaduerſione auerteretur dedecus à nobiliſſimis familijs; ac ne noxia capita multitudini fierent ludibria, & poſteritati exempla. Datur enim virtuti, meritiſque priorum, ne vulgentur ſupplicia probroſæ poſteritatis. Id quoque actum, vt celeritate pœnæ obuiam iretur periculo tam publico, quàm priuato, vt accidit Publiciæ, quæ Poſthumium Albinum Conſulem, item Liciniæ, quæ Claudium Aſellum viros ſuos veneno necauerant. Nam vtraque propinquorum decreto ſtrangulata eſt; ne in tam euidente ſcelere longum publicæ quæſtionis tempus expectaretur. Ergo permiſſu magiſtratuum iniuria Reipub. facta, cui hæreret labes familiæ, intra ſepta domorum capitali ſupplicio expiatá. Ideo mariti priſco inſtituto adhibitis cognatis, de violata pudicitia cognoſcebañt, aut ſi vxor vinum bibiſſet. Et adulterij præſens pœna apud Germanos ipſis erat permiſſa, vt quoque patribus. P. Attilius Philiſcus filiam ſuam, eò quod ſtupri ſe crimine coinquinauerat, interemit. Cuius rei extat quoque apud Græcos exemplum ab Æſchine relatum. Quidam, inquit, deprehenſo filiæ ſuæ ſtupro, cũm puella

L. vnica C. de emend. propinq.

Val. Max. lib. 6. ca. 48. Et Epit. Liu. lib. 48.

Dionyſ. Halic. lib. 2. Tertull. in Apolog. Cæſ. lib. 6. belli Gall. & Tacit. de morib. Ger. Æſchin. in Tim. 195.

ætatem ſuam vſque ad nuptias indiligenter cuſtodiſſet, eam vnà cum equo in deſertam domum incluſit, à quo in illo carcere haud dubiè fame efferato, futurum erat vti diſcerperetur. Solum illius domus etiam nunc in veſtra vrbe extat. Et locus ille ad equum & puellam vocatur. Iidem patres, quod magis mirandum eſt, cognoſcebant de læſa publica maieſtate, vt Torquatus ille, qui, vt ait Cicero, *filium ſuum vita priuauit, vt in cæteris firmaret imperium.* A. Fuluius *filium ſuum in caſtra Catilinæ proficiſcentem, ab itinere retractum ſupplicio mortis affecit.* & *Sp. Caſſius, cognita domi cauſa, filium verberauit ac necauit, peculiumque filij Cereri conſecrauit.* Adeò qui inſontium acerrimi defenſores futuri fuerant, ijdem ſontium ſeueri vindices erant. Hoc exemplo Pauſaniam proditorem patriæ pater Ageſilaus media conſumpſit; mater inſepultum proiecit. Quid, quòd hoc imperium domeſticum publicam rem interdum periculo exemit? C. Flaminio, qui inuito & repugnante Senatu, nulloque metu exercitus contra ſe conſcripti legem agrariam pro roſtris referebat, pater manum iniecit. Is priuato fractus imperio deſcendit è roſtris, & autoritati patriæ ceſſit. De parricidio erat quoque eorumdem patrum domeſtica cognitio. Quippe qui odiſſe non poterant ij iuſtiſſimè iudicare credebantur. Ad hanc cognitionem acceſſurus † Tarius (nam filium in parricidio deprehenderat) *aduocauit in conſilium Cæſarem Auguſtum, qui eius rei gratia venit in priuatos Tarij penates.* De peculatu ijdem parentes cognoſcebant. Quod ob crimen T. Manlius Torquatus his verbis Syllanum filium ſuum condemnauit, *Cùm Syllanum filium meum pecunias à ſocijs accepiſſe mihi probatum ſit, & Repub. & domo mea indignum iudico; protinuſque è conſpectu meo abire iubeo.* Quandoque non tam cognitio & iudicium, quàm executio.

Saluſt. in Cat. & Val. Max. lib. 6. cap. 1.

Cic. pro P. Sylla & lib. 1. de finib.

Val. Max. lib. 5 cap. 8.

Liu. lib. 2. et Val. Max. lib. 5. cap. 8. & Plutarch. in Parall.

Plin. lib. 34. cap. 4.

Plutarch. in Parall.

Val. Max. lib. 5. cap. 4.

Senec. lib. 1. de clem. c. 15.

† f. legendū *T. Arrius.*

Val. Max. lib. 5. cap 8.

iudicij rei cognatis permiſſa, vltioni ſimul & ſolatio. Beſſum proditorem Darij Alexander fratribus eius, reliquiſque conſanguineis, vt pro arbitrio ſupplicium de eo ſumerent, conceſſit. *Et nobiliſſimi Pœnorum captiui liberis Reguli à Senatu dediti ſunt; & ab ijs in armario muricibus præfixo deſtituti, & inſomnia excruciati interierunt. Et Senatus Conſulibus mandauit, vt de ijs, quæ ſacris Bacchanalium inceſtu viſæ fuerant, inquirerent. A quibus cùm multæ eſſent damnatæ, in omnes cognati intra domos animaduerterunt.* Id quod ſexus quoque verecundiæ datum eſſe docet Liuius, qui mulieres damnatas cognatis, aut in quorum manu eſſent, tradi ſolitas firmat, vt ipſi in priuato animaduerterent in eas. *Si nemo erat idoneus ſupplicij exactor, in publico animaduertebatur.* Id quod interdum & ſub ipſis principibus vſurpatum conſtat. *Nam Tiberius Apuleiam lege maieſtatis liberatam, poſtquam ei adulterij grauiorem pœnam deprecatus eſt, vt exemplo maiorum propinquis ſuis vltra ducenteſimum lapidem remoueretur, ſuaſit. Et Pomponia Græcina ſuperſtitionis externæ rea mariti iudicio permiſſa. Iſque priſco inſtituto propinquis coram de capite, famaque coniugis cognouit, & inſontem nunciauit.* Quid, quod de re ſua interdum viris inſignibus permiſſum vti cognoſcerent? Obſeruauit Septimius, referente Quintiliano, Ciceronem tali cauſæ affuiſſe. *Et ego*, ait Quintilianus, *pro Regina Berenice apud ipſam cauſam dixi.* Quid, quòd domeſtica hæc iuriſdictio ſæpe eſt ſeruis mandata? *Maiores*, inquit Seneca, *ſeruis vtique honores in domo gerere, ius dicere permiſerunt, & domum puſillam Rempub. eſſe indicauerunt.* Hiſce, ac ſimilibus, quæ quiſque hiſce inſerere poteſt, illud conficitur, œconomicum dominatum, ſiue imperium ſæpiſſime inſtar regalis & politici exercitum fuiſſe; ſed propter eas cauſas, quas ſupra memoraui. Vt veriſſimè dictum ſit à Plutarcho, † τὴν οἰκονομικὴν ἐν ἀψύχοις χρηματιστικὴν εἶναι, ἐν ἀνθρώποις πολιτικὴν γιγνομένην. Hæc tamen omnia

Diodor. Sic. lib. 17. bibl. & Iuſt. lib. 12.

Gell. lib. 6. cap. 4.

Max. Val. lib. 6. cap. 3.

Liu. lib. 29.

Tacit. lib. 2. Annal.

Quintil. lib. 4. Inſtit. cap. 1.

Sen. ep. 47.

Plutarch. Craſſo 999.

† œconomicam in inanimis eſſe quæſtuariam, quæ eâdem in hominibus facta ſit ciuilis, id eſt eadem ratione exerceatur, qua ciuilis iuriſdictio haberi ſolet.

vſque eò hodie ſunt deſueta, ac legibus prohibita, vt ne priuatos quidem carceres cuiquam habere liceat. Credo, cum tantùm à priſcorum virtute receſſerimus, indignum viſum eſſe rectoribus rerumpublicarum, legumque & iuris conditoribus, ea nobis permitti, quæ ſæculo virtutum feraciſſimo, & hominibus ea probitate concedi poterant. Nam præcipitatis moribus, vt ſunt, per ſpeciem domeſticæ iuriſdictionis primò ſinguli, mox familiæ, poſtremò vniuerſi euerterentur. Ea re nulla manus ferrum tractat niſi illa ipſa quæ ſceptrum, aut quicquid eſt loco ſceptri. Id quod vt ſtrictè obſeruandum eſt in plebeijs, ita ijs quos aut magna fortuna, aut ſummæ curæ ſuper alios extulerunt, in his legato aliquid videtur extra ordinem tribui æquum eſſe, ſaltem vt priſco iure œconomico vti poſſit. Quippe iniurium eſt, vt ait Ariſtoteles, quorum virtus eminens eſt, hoſce cogi in ordinem vnà cum aceruo ignobili, & exlege. Certè quiſquis alijs antiſtat & meritis, & inſignijs tam auitæ quàm propriæ virtutis, huic inſita eſt vis & maieſtas legum. Quapropter etſi fatendum eſt legato nullam dari iuriſdictionem, niſi œconomicam hodiernam, qualis mihi ſupra dicta eſt, tamen dignitati muneris ſacroſancti concedendum puto, vt eius vis intendatur vſque eò, vt æquetur priſcæ illi, quæ fuit ciuili, ac regali imperio prædita. Non tamen cuiuis legato tantum iuris tribuo, ſed ſolùm eximijs. Vt enim ſupra legatorum cauſam, conditionemque diſtinxi, ita quoque hîc maximè. Ergo ab hoc priuilegio excludo legationes puſillorum principum. Illorum dignitati, quod ad hanc rem pertinet, hac ratione conſuli poteſt, vt duo, pluresue reges comparent inter ſe, paciſcanturque vt ab cuius legatis hoc ius vſurpari contigerit, ei facto nullus ipſorum intercedat. Nempe talium imperiorum magnitudo, forteque interuallum quo diſſita ſunt, obterit illud, quicquid eſt ſuſpitionis, quo inualidiores ſæpe prehenduntur, queruntúrque

Ariſt. lib. 3. polit. cap. 9.

ſua iura, iuriſdictionemque violari. Neque etiam inter opulētos & validos veriſimile eſt, temeritate vſurpari eum morem, ſed neceſſitate. Legati Gallici, qui ſunt Byzantij, itemque Veneti, quibus nomen Bailis ſiue Lipailis an hoc iure vtantur, nimirum ipſi ſciunt. Si iſtis permittuntur graues animaduerſiones, multò minori inuidia conceditur cognitio & iudicatio eorum iurgiorum, litiumque quæ oriuntur domi ſuæ. Ergo ad eam rem ſicuti cognitores, & iudices, habent ſuos actuarios, ſcribas, notarios, quorum tabulis haud minor eſt fides, quàm ſi ſint publicæ; ne talia eliminentur; atque vt illud, quicquid eſt quod ſcriptis mandatur, in patria recognoſci ab illis, quorum intereſt, poſſit. Quæ iuriſdictio ſi præfectis illorum permiſſa eſt, quos priuatus quæſtus illexit ad tranſmarinas prouincias, quantò eſt æquiùs concedi illis, quos negotium magni imperij exciuit tam procul à patria? Hæc, taliaque vt legatis licere debent, ita improbo eum, qui apud pleroſque adoleuit, morem, vt domus legatorum ſint aſyla improborum. Id quod cui rei inuentum dicam? tuendo decori legationis? Ridiculè. Potiùs ad proponendam, & verò præſtandam ſceleribus impunitatem, quæ vtique prouocantur hoc perfugio; vbi homini ſceleſto non ſolùm tuto eſſe, ſed & magiſtratus cohortem inridere, eiue probra iacere, & minas manuſque intendere licet, oppoſito nomine, & autoritate legati. Res eſt, ſi verum fateri licet, peſſimi exempli. Rectè Auguſtus, cùm aſyla, quæ vſquam erant, aboleuit. nempe, ne in locorum ſanctitate, ſed in ſua cuique innocentia præſidium eſſet. Nam antea qui legibus pœnas dare debebant, eo ſubſidio vtebantur ad flagitia, vt hodie eccleſijs, conceſſu Bonifacij Quinti. Ipſi legati cur talium tam acres cupitores ſint, equidem non video. Annon illud reputare debent, ſecum agi perhumaniter, quorum perſonæ ſunt † ἄσυλοι, vt ſupra mihi dictum? *Sic ſentio*, inquit M. Tullius, *ius legatorum cùm hominum præſidio, tum*

Sueton. in Aug.

Cic. de aruſp. reſp. orat. 31. 478.

† in tuto, ſiue inuiolabiles.

etiam diuino iure eſſe vallatum. Quanti item & illud eſt, quod domeſtica iuriſdictio eis permittitur, niſi inſuper illa abutantur ad protegenda aliena ſcelera, & impediendam iuriſdictionem magiſtratus? Quo ſe loco ponunt cùm tuentur improbos? Annon polluunt legationem tam obuiam, tamque promptam nequitiæ? An eo ſe amant quod domui ſuæ carceris nomen indunt? Nam vbicunque facinoroſi receptantur, carcer eſt. Imo honeſtior carcer. Ibi enim ſceleſti aſſeruantur ad pœnam. At legatorum tectis excipiuntur vt eis delicta impune ſint. Hoc loco audiendus Euripides, qui facinoroſos ne aris quidem Deorum protegi vult.

† Τοὺς μὲν γὰρ ἀδίκους βωμὸν οὐχ ἵζειν ἐχρῆν,
Ἀλλ' ἐξελαύνειν. οὐδὲ γὰρ ψαύειν καλὸν
Θεῶν πονηρὰν χεῖρα. Τοῖσι δ' ἐνδίκοις
Ἱερὰ καθίζειν ὅστις ἠδικεῖτο ἐχρῆν,
Καὶ μὴ 'πὶ ταυτὸ τοῦτ' ἰόντ' ἔχειν ἴσον
Τόν τ' ἐσθλὸν ὄντα, τόν τε μὴ θεῶν πάρα.

† Sceleroſos enim ad aras ſedere non oportuit, Sed abigi. neq; enim nocétem manum decet contrectare Deos, ſed innoxios. Quibus vis fieret ad ſacras confugere par erat. Neq; paria à Dijs contingere & iuſto & iniuſto, qui ad eundem hũc locum confugerunt.

Hoc ego negotium ſic definio, Principi & magiſtratui omnes ædes patere æquum eſſe nullis exceptis. Sed quòd par eſt & honorem haberi & ſecuritatem præſtari legato, comitibus & familiæ eius quocunque loco ſint, moneo magiſtratum vt omni abſtineat ſubita vi & impetu; habeatque ſeptum domus legati pro ſacroſancto, & inuiolabili. Reum, qui legati ædibus exceptus eſt, ante omnium ora, palam, inquam, & ſolenni ratione ſibi dedi poſtulet; eademque opera omnia effugia extra ædes legati ita occupet, ac ſtipet, reus vt ſeſe inde clam ſubducere nulla ratiône poſſit. Si ſemel & iteratò poſtulatus non dedetur, legato impudenti violatori iuris gentium, qui auſu temerario & obſtinatè obluctatur iuriſdictioni & autoritati publicæ, eum qui poſtulatur nullo cuiuſquam reſpectu vi eripiat, nequicquam clamitante & queritante ipſo, perruptis ſuis foribus, ius gentium violari. Nam quo ore, quibus verbis aut rationibus ſuam inſolentem

audaciam

audaciam tueatur is, qui prior & rupit & ſceleráuit omnia iura? An tu putas tibi datam eſſe legationem, vt facinus illud audeas, quod ſine ſummo ſcelere nullus mortalium audeat? Si tua iura tibi cupis manere illæſa, cur illi apud quem es, ſua eripuiſti & rupiſti? Plura exempla aſſerendæ huic ſententiæ meæ promere poſſem, quibus vt luctuoſis & atrocioribus, quandoque tamen neceſſarijs abſtineo. Certè talia exempla toties edita fuiſſe conſtat quoties is qui poſtulatur publicæ maieſtatis, aut atrociſſimi criminis reus eſt. Extra talia tamque periculoſa crimina fateor præcipua quadam prærogatiua eſſe ædes legatorum, quò nunquam intrandum, niſi reuerenter, ac permiſſu domini. Quem reſpectum vſque eò porrigi æquũ eſt, vt, ſi quis calamitoſus, aut iniqua vi oppreſſus legati ædibus vtatur vt perfugio, ne hunc inde domeſtica inhumanitas extrahat, quò eum peregrina humanitas excepit. Quò furoris prolapſa eſt multitudo Achæorum, cùm quoſdam Lacedæmonios vi extraxit è diuerſorio legatorum Romanorum, nequicquam legatis vociferantibus eo ſe facto, iuſque gentium violari. *Pauſ. lib. 7.*

CAPVT LXXVII.

De ijs legationibus quas vocant ordinarias.

EArum legationum frequentia, quibus nomen eſt ordinarijs, aut reſidentibus, propemodum vmbramur. Noua res eſt, quod ſciam, & infelicis huius ætatis infelix partus. Quibus oculi publica caligine obtorpuerunt, huic generi legationum firmant hos eſſe natales, tanquam animi regnantium crebritate talium officiorum coaleſcant, mutua hinc inde beneuolentia gliſcat. Hinc oriri ſecuritatem vniuerſorum; hinc ſtabiliri pacem gentium: Quæ vtinam

tam verè dicerentur, quàm ſpecioſè. Ego quidem ne quid diſſimulem, ab iſtis ſeorſim ſentio. Nimirum, effœta virtutis, fœcunda fraudis hæc ſecula video peperiſſe ſpiſſata hæc imperia, ſiue ſummas poteſtates, vnde, vt è vomitarijs, hæ legationes vndatim ſe fundunt. Res ita ſe habet, His tot dominis nũquam ſatis multos eſſe ſeruos. Ideo tædio ſuæ mediocritatis, ex qua erumpere conantur, proximum quemque ſemper acie figunt, vt eum, ſtatim vt commodum fuerit, deijciant. Neque enim vna prouincia duobus, pluribuſue ſatis eſt; haud ſanè magis quàm vni equo, vt aiunt, duo inſidere poſſunt. Iſti ergo neceſſe eſt vt ſæpe arietent.

Lucr. lib. 5. *Anguſtum per iter luctantes ambitionis.*

Sed mutua formidine vim premunt, cæciſque artibus graſſantur; quarum miniſtræ & quidem ceruſſatæ, ſunt hæ legationes. Sic aconitum hoſtilitatis linitur melle ſubdolæ charitatis. Hinc tot officia mitiſſimorum verborum, tegentia ſæuos animos prauarum cogitationum turbine glomeratos. Cùm interim horum bona pars hæc intimè precetur,

Horat. epod. 1.

——pulchra Lauerna

Da mihi fallere, da iuſtum ſanctumque videri,

Noctem peccatis, & fraudibus obijce nubem.

Neque verò mihi vſquam lectum, aut fando auditum, vbi tam frequenter vſurpata fuerint tot nugamenta, quibus inuicem ſibi ora batuant iſti, quibus fauces arent imperij perpetua ſiti. Has artes Acherunte eiectas mortalibus inſinuarunt geſtores feralis huius ſecuris, qua, iam tot ſecula, cæditur ingens vis mortalium cæcis ictibus. Imperia, inquam, ne vnquam coaleſcant, minutatim conciduntur. Sciunt enim hi orbis diuiſores, faſcem Siluri ne illũ quidem frangere poſſe † Scytaloſagittipelligerum; At ſingulas ſagittas vel pueri vim vacillantem. Sic anciſa paribus prope hinc inde ponderibus librantur, ne vllum ſic emineat, vt non deprimi, ſimulatque

† Epithetum Herculis apud Tertul. in l. de pallio.

viſum fuerit, poſſit. Ergo quid cuiuſque velint eſſe cuique aſſignant, vnum veriti conſenſum, aut vnitatem, qua ſe iam diu collidi potuiſſe intelligunt. Quia verò dubia bellorum perhorreſcunt; atque interim inter tot clientes nutibus imperant, niſi cùm expedit, rem ferro geri prohibent, non parſimonia ſanguinis humani, cuius ſunt perpetui ſititores, ſed metu alienæ potentiæ. Ideo pro virtute prauitatem expediunt, ipſorumque exemplo cætera manus tot dominorum, iam diu ſpecioſæ huic ſeruituti ſueta. Virtutis tamen, & ſimplicitatis cupidè retentæ ſunt notæ, quibus aſperſa fraus magnificè ſeſe infert, cùm illa ipſa tamen nihil ſit intimè obſcurius, nihil minus euitabile. Ex hac, inquam, tam peſtilente matrice haſce legationes ortas aio. Non tamen hac mente à pleriſque mitti puto, vt quemquam circumſcribant, ſed hac mente inuentas, mihi quidem eſt perſuaſum; idemque illi liquere poteſt, cui magis placet nuda veritas, quàm mendacia fucata. Satis ſcimus quemque arcano quodam naturæ præſidio niti, quod ſi prodatur, eâdem cuiuis iniuriæ ſit intectus. Vir nunquam vſque eò vxorius eſt, vt non intimè quidpiam ſepoſitum habeat, quo ſe, vel ab ea deſertus, tueatur tamen. Ne pater quidem filio, neque dominus ſeruo, neque princeps inter populares quamuis ipſius amantiſſimos, pateſcit ad ſubitos ictus. Eadem eſt naturæ benignitas erga eos cœtus, qui conſtant è ſingulis. Nullaque adeò ciuitas eſt, nullum regnum, quod non aliquo arcano fultum ſit, in quo vniuerſorum præſidium poſitum eſt; quod premere ſolertis curæ eſt. Id ipſum quoties principis, aut Senatus conſcientiam egreditur, negotium, ſcilicet, eſt periculoſæ aleæ plenum. Neque enim mea tam intereſt, ſcire me quid tu voluas, quàm neſcire te quid ego agitem; vnde ſagaciter odoreris, quid meæ vires ferre va-

leant, quid non. Porrò hoc arcanum conſiſtit in ingenio regionum, & hominum, in poſitu vrbium, in opibus; quæ ſunt aut ab vbere ſoli, aut à mercatura, aut à multitudine incolarum, induſtria artificum, robore copiarum, aut ab omnibus ſimul. Nimirum hoc eſt illud, quod hæ legationes tam artificioſè rimantur. Nihil eſt tam clauſum quod non iſti legati recludant, nihil tam abditum, aut mœnitum, quò non tandem perrumpant; nihil tam inuium, quod non ipſis fiat peruium. Habent ſuos inſpectores, qui, vt muſcæ, vbique ſunt, omnia arbitrantur, omnia reſciunt, omnes rumorum ventos colligunt. Aduertunt quid vſpiam ægrum, quæ pars imperij labaſcat; quæ quamuis firma, quati poſſit, quantum habeas opulentiæ, domi quam præſtes prudentiam, militiæ quam virtutem. Proinde cognitum habent timendus ſis an contemnendus, laudandus an vituperandus, calcandus an extollendus. Priſci moris fuit, teſte Procopio, ſpecie honoris ſic obſeruare legatos, vt ne frigidam quidem guſtare niſi interuentu eorum cuſtodum, qui eis adpoſiti erant, poſſent. Atque adeò accepto reſponſo, continuò ad ſuos remeare iubebantur. Et verò quàm ſæpe ſit pernicioſa legati mora ijs quos adijt, docuit Theramenes, qui qua mente tres totos menſes apud Lyſandrum commoratus ſit, tradit Xenophon in Græcis hiſtorijs. Quapropter C. Aquilius, autore Plutarcho, prodiens in Senatum increpauit magiſtratus quòd iam diu ſine vllo effectu maneret legatio Græcorum Philoſophorum in vrbe, qui de omni re quam velint facilè quemlibet perſuadere poſſint. Statim itaque decernendum de ea legatione, vt hi ad ſcholas reuerſi diſſerant pueris Græcorum. At filij Romanorum audiant leges & magiſtratus vt antea. Quandoque ipſi legati perfida mora nequaquam principi aut Rei-

Procop. lib. 1. belli Goth.

Xenoph. hiſtor. Græc. lib. 2. 358.

Plutarch. M. Cat. 2. 640.

pub. ſuæ dant operam, ſed me-Hercule patriam produnt, & illi vni commodant ad quem miſſi ſunt. Qua de re videndus Demoſthenes, vbi memorat, ſubdolam moram legatorum Philippo præbuiſſe ſpatium occupandæ Thraciæ. Parum, inquit, ſolliciti fuerunt boni iſti legati tres totos menſes, donec Philippus è Thracia redijſſet, omnibus illic euerſis. Tamen poterant ſpatio decem dierum, vel etiam triduo aut quatriduo in Helleſpontum proficiſci. Quibus verbis Demoſthenes arguit Reipub. inſidiatricem legatorum ſimulatam negligentiam, ac proinde animum proditorem patriæ. Deinde addit, Philippum à legatis emiſſe ne abirent è Macedonia, donec expeditionem contra Phocenſes ſuſceptam inſtruxiſſet. Alibi hic ipſe Demoſthenes ait, legatos Athenienſium miſſos ad Philippum ſua mora rem Athenienſem afflixiſſe. Et hæc quidem quod attinet ad moram legatorum à priſcis animaduerſa ſunt. At nunc, ſi Dijs placet, propè eſt, vt iſti, quos dico, habeantur intimi regnantibus, quorum in aulis agunt. propemodum ibi perpetuò degunt, propemodum in ſinu geſtantur, adeò omnia occulta eis pateſcunt; indeque quicquid & quantum libuerit ſibi ſumit enormis curioſitas. Vocati & inuocati interſunt ſolennijs, ritibus, ſacris, ſpectaculis, ludis, ludicris, quorum ductu indagatrix ſagacitas penetrat ad ſeria, ſecreta, intima. Virtutes noſtras diligenter aduertit excubitor dolus, vt ipſe ſeſe aduerſus eas maturè muniat, ijſúe malignè inludat, aut ſubdolè eas declinet. Vitijs item noſtris, & ineptijs artificioſè plaudunt, vt ficta ſimilitudine ingeniorum faciliùs ſeſe hominum ſenſibus inſinuent; atque vt dum nobis ſubblandiūtur, nos ipſa illa vitiorum veluti indagine irretitos capiant, noſtroque ingenio, noſtriſque moribus abutantur in noſtram perniciem. Ingenuitate inducitur calliditas, quoad fraudi locus adſit. Nullus Protheus quamlibet cal-

Demoſth. de fal. leg. 220.

Demoſth. de cor. 317.

In argum. orat. Demoſth. de fal. leg. 199.

lidos, & exploratores oculos plus fruſtratur. Omnia electant, vt inde excerpant illa quæ ſcire intendunt. Ea duorum fermè ſunt generum; Prioris quæ Græcis ſunt βȣλεύματα, nobis conſilia, ipſis trito vocabulo deliberationes. Alterius, publica fama. Ad notitiam conſiliorum perducuntur à perfidia miniſtrorum principatus, eorumue magiſtratuum, apud quos fas cedit pretio. Vt enim Cyrus dixit legatis Indorum, quibus ſpeculatoribus apud Aſſyrium vſus eſt. Exploratorum eadem ferè quæ ſeruorum ſors eſt. Neutri aliud ferè ſciunt, quàm quod eſt cuiuis de plebe notum. At homines veſtri loci illa quoque reſciſcunt de quibus etiam conſulitur. Iſti ergo illi ſunt qui pecunia alienam fidem pulſant, atque operam tam verſutam prę ſtant ijs quorum ſunt, de quibus ſupra dixi. Enimuero illi quoque primores, hoc eſt, qui ſunt multa apud principem remue publicam potentia, numquam contenti ſanis muneribus, hoc eſt, legitimis & ſtipendijs & laborum præmijs, quæ accipiunt à principe, aut à Repub. illos multo argento emungere ſolent, quorum largitionibus & muneribus ſemel labefacta fides diſſectatur. Famæ verò murmura, quamlibet incertæ, aucupantur. Quia rumor ſæpe eſt nuntius veri. Hic ergo excipitur à rumigerulis, qui linguas geſtant venditarias; quique cibo perduci poſſunt ad ea deblateranda quę ſciunt, quæ neſciunt, quæ audiuerunt, quæ ſomniarunt. Quippe iſti legati corruptrice lautitia apud captatricem menſam deligant roſtra aulicorum manduconum. Quibus ipſis ſæpe dantur munera mellita, & ſtrenæ vncinatæ, quibus capientes capiuntur. Denique quid quiſque ab ſe hinc inde limatum congeſſerit apud hoſce datores, ipſi, videlicet, referunt in diurna, & arcanum volumen commentariorum. Hinc concinnantur literæ ad principem paucis rebus, plurimis verbis, pari vanitate. Nam malunt peccare in ęam partem vt vana ſcribant, dummodo

Xenoph. lib. 6. Cyrop.

multa, quàm vt non inefficacem diligentiam principi probent. Aduocatur & ſubſidium ſtuprorum priùs libidini explendæ, mox curioſitati. Quippe, expugnata huius aut illius aulicę matronæ pudicitia, rectà irrumpitur ad ſecreta viri. Simiæ Cyneæ, qui multa inlicia matronarum Romam tulit, quibus corrumperet animos, quos expertus eſt incorruptos. Anxiam hanc legatorum ſedulitatem regnantes intendunt ſubmittendis nuntijs & renuntijs ad quoſdam, quibuſcum, inſcijs legatis, habent arcanam teſſeram. Nam ex iſtis ſæpe exploratiora cognoſcunt, quàm ab ſuis legatis. Quas tamen latebroſas itiones, & reditiones odorantur ij legati, quibus, vt ait ille, eſt naſus ſagax. Hi quia ſunt ad hoc apertè miſſi, ne ſocordes & incurioſos arguat aliena diligentia, imo perfidia illorum, qui hanc operam corruptori ſuo ſurripiunt, nihil parcunt labori, vt explorent licita, illicita, plana, ardua, lubrica, ſolida. Hoc quicquid eſt improbarum artium, præter eas, quas ego neque ſuſpicari poſſum, neque ſcire admodum deſidero, pro licito vſurpatur, quia protegitur hoc nomine legationis. Et quiſquam etiam miratur, ſi priſca illa virtus Europæ iamdiu infracta eſt, ſi ingenuitas detrita, ſi quantum vitiorum cuiuſque gentis proprium fuit, id vbique diſpalatum, & ita cùm alijs communicatum eſt, vt iam omnes ferè gentes viuant moribus permixtis? Non eſt ſingulorum maior virtus. Quotuſquiſque non ab alio accipit affectus? non ſuum vultum comparat ex vultu amici potentioris? Nam *mores & vitia regis imitari genus obſequij iudicatur.* Omitto geſtus aulicos. Hîc enim ecquid aſpicias non fucatum & ementitum? vbi audias verba maſcula? vbi non putidiuſcula? Quis non ſubmittitur in aſſentationem? non hanc dico gnatonicam natam in comitio, ſed illam exquiſitam, ad quam diuturna ſeruitute peruentum eſt. Vnde, inquis, hæc corruptela? Ab aſtutiſſimarum gentium moribus,

Lactant. lib. 5. cap. 6.

quos admiramur, cupidè ſectamur & affectamus, dum noſtros faſtidimus,& dediſcimus. Sic,dum exotica vituperia captamus, proprias laudes amittimus; dum vitiorum venena haurimus, germen propriæ virtutis extinguimus. Experimur quanta ſit æquitas in iudicijs,fides in negotijs,virtus in bellis,quæ verius latrocinia dixeris. Nonam ætatem exceſſimus,ac decima, ſi mala noſtra circumſpicimus, viuimus eaque inuiſa Deis. Quæ mala vt quoque aliunde ſint, tamen ex magna parte coaceruata firmo ab harum legationum commercijs, quæ gentium ſimplicitatem mutarunt in verſutiam, dum vitia externa vbi ſunt, effundunt, virtutes, ſi quas habent, comparcunt. Equidem laudo pacem, cuius hæ legationes dicuntur eſſe cuſtodes. Sed vt inter priuatos conuerſatio parit contemptum, raritas admirationem, abſentia deſiderium, ita cunctam hanc non dico ſocietatem qua connectimur, ſed miſturam qua implicamur, & confuſionem qua inuoluimur, haud magis probo, quàm mala quæ ſunt ex ea. Atqui, inquiunt, hæc eſt inuenta ratio, & quidem percommoda rebus gerendis, & negotijs terminandis. Imò ſerendis. Nam vnde hic inexplicabilis nexus tot rerum, & inſuperabilis aceruus tot negotiorum, ſi non ab æſtu feruidæ ambitionis, & libidine latiùs imperitandi, cui & alimenta & fomenta nunquam non ſubminiſtrat inquies inuidia? Quibus dicam diris iſtos exagitari, qui ſuis bonis otioſe frui minimè poſſunt? qui ideo ſectantur aliena, quia ipſis ſua nunquam ſatisfaciunt? Ne te teneam, exemplum fuerunt Gallicæ clades, quàm ſint harum legationum portentoſi fœtus. Vtinam iſta non dico neſcire, ſed ne ſuſpicari quidem liceret. Cui bono ſit illi qui graui & periculoſo morbo attinetur, ſi norit quàm proſpera, aut quàm improſpera valetudine vtatur hic aut ille? At is qui de induſtria explorat ſingula momēta ægrotantis, haud dubiè ſua deſtinata ſuſtinet, mutat, promouet,

prout

prout ſibi compertum eſt remiſſiorem aut intentiorem decumbentis eſſe morbum. Hic ego more illorum loquor, qui magis prodeſſe cupiunt, quàm placere. Sopitos, ſiqui ſunt, excito; oſcitantes moneo ne prolabantur in ſomnum peſtilentem. Huic libertati vt venia deprecanda, ſic opinor danda. Neque enim loquor de hominibus, ſed de inſtituto; nullam gentem noto, omnes caſtigo; Neminem odi, multorum me miſeret, vſque eò, vt pro virili, ac pleno gradu eam ad extinguendum hoc incendium, quod omnia laudabilia latè populatur. Neque ſanè vereor ne quis eorum qui obeunt haſce legationes, in quas tam fidenter inuehor, hæc à me in ſeſe inclementiùs dicta putet. Mihi certè ipſi ſim infenſus, qui iam ſeptennium hac tam ſpinoſa Rhætica legatione fungor. Nemo item poteſt ob hæc palā iraſci, qui nō ea priùs agnoſcat, ac de ſe ſatis fateatur. Sed diſpliceam ſanè paucis, dū proſim ſi non omnibus vt cupio, at multis, at paucis, at vni alicui. Vt vt eſt, tempore tam luctuoſo, probabitur, opinor, pietas mea; & ſi non auxilium, at conſilium. Nam cenſeri me inter eos, qui ſolo iuuandi ſtudio cenſentur, non modò non abnuerim, ſed in his profiteor nomen meum. Quo pertinent tam multæ ſcriptiones adulatoriæ, & peſtiferæ? An non præſtat condere ſtylum, quàm falſiloquijs paginas inquinare? Ergo ſeruiat gratiæ qui volet, ego malo conſcientiæ. Equidem vt non ſum antiquarius in ijs, quæ meliùs apud noſtros reperta ſunt, ſic perlubens redeo ad priſcam ingenuitatem, in quibus ab ea malè receſſimus. Inter ea fateor improbari mihi harum legationum triſte inſtitutum. Demoſthenes, ſat ſcio, meminit cuiuſdam legationis quæ fuit quadriennalis. Legatio Romana, fateor, apud Antiochum, durante bello Macedonico, commorata eſt; ſed cauſa & exemplo ſingulari. Equidem ſic puto, ea amplitudine rerum, quanta fuit patrato tertio bello Punico, dein Cimbrico, Liguſtico,

Zonar. de bello Maced. lib. 2.

Gallico, & ciuibus vſque ad occiduum imperium, vix vllum tempus fuiſſe, quo non gentium, regumque legationes Romam mitterentur, nempe tertij illius generis, quod ſupra deſcripſi. Quæ vt miſſæ ab externis habebantur præcipuo cultu. Harum ſingulæ, peractis ad quæ venerant, domum, ſcilicet, remeabant. Sed hodiernas, quas dico neque vnum aliquod negotium ciet, ſed cupiditas rimandi auras naribus patulis inquietas trudit; neque vllum tempus circumſcribit, ſed perennant. Mutatur enim legatus; at legatio manet. Poteſt tamen exquiſita prudentia è publico hoc blandoque malo excerpere nonnihil compendij. Quippe & factis, & rebus noſtris florentibus, hæ legationes tolerari poſſunt, propemodum ad eam formam, qua ſpeculationes, ſicuti certiſſimæ teſtes potentiæ noſtræ, contemnuntur magis ac ridentur, quàm aut timentur, aut puniuntur. Hic fuit animus maſculus Pompeij, *qui legatum Mithridatis ad ſe miſſum, quem alij ſpeculatorem dicebant, legatum iudicauit.* Nempe potentia ſua vi nixa malignis inſpectionibus illorum, quibus vt res eſt anguſta, ſic animus liuidus, attollitur & illuſtratur. Nam quicquid rimatores iſti ſuis renuntiabunt, id ipſum quanto metu eos vexabit tantundem nobis conciliabit externæ venerationis. At opibus fractis, & in Repub. ægra & labante, haud magis haſce legationes ferri oportere puto, quàm vt illi, quem febris intimè vrit, aſſideat is, qui largiendo quicquid aridæ fauces poſtulant, omnem vim medicamentorum peruertat, ægrumque impellat ad certiſſimam mortem. Memorat Liuius *Phileam Tarentinum, cùm iamdiu per ſpeciem legationis Romæ eſſet, virum inquieti animi, & minimè otium, quo tum diutino ſeneſcere videbatur, patientis, aditum ſibi ad obſides Tarentinos inueniſſe. Hos crebris colloquijs ſollicitatos, corruptis æditui duobus, cum primis tenebris, cuſtodia eduxiſſe; ipſum comitem occulti itineris factum profugiſſe.* Patuit ergo tandem quidnam ſpe-

Cic. pro l. Man.

Liu. lib. 25.

ctaret mora legati, videlicet, proditionem. Minoribus quoque imperijs minimè expedit haſce legationes morari apud ſe. Conſtat enim, quicquid propter ſuam paruitatem contemni, & conteri à ſciente poteſt, propiore intuitu, ac certiore cõſciẽtia tenuitatis deſpectius fieri. Quocirca neſcio an miſerear, an rideam illos qui ambitioſè id agunt, vt regum legationes morentur apud ſe, tanquam ea ſpecie aſſeratur magnitudo ſua. Iſti in aliena calliditate ſibi decus eunt quæſitum, cùm poſtremo res agatur in foro ipſorum. Nam dum ſe maximis annumerant, reperiuntur inter ſtultiſſimos. Equidem minoribus huiſce imperijs, ſiue puſillis rebuſpublicis ſuadeo potiùs, vt à validioribus impetrent veniam ſuis legationibus commorandi apud ipſos. Quippe honeſta hac ſpecie officij, ac venerationis obſeruari poſſunt ea, quæ ibi ſocordiùs aguntur, aut ſuccedunt infeliciùs; & hinc rapi occaſiones auctandi rem, tribuendique ſibi id quod illis decedit. Latens tamen, ac ſerpens hæc ratio eſſe debet. Nam ſemper verendum eſt, ne vnde ſera compendia captãtur, indidem matura pernicies oriatur. Itaque talibus occaſionibus non tam inſidiandum eſt, quàm oblatæ & repertæ non ſunt poſthabendæ. Inter latebroſa hæc artificia nihil magis obuiũ, quàm error ſi non is ductu iudicij diſcutitur. Quæ res magno documento eſt, non minori prudentia anguſta imperia gubernari, quàm lata & valida; atque haud ſcio an maiori. Quia illorum firmitas in ipſis eſt. Ideoque ſi non peccãt excuſatiùs, at certè impuniùs ac minori diſcrimine. Sed ſocordiam imbecilliorum è veſtigio conſequuntur inexpectatæ clades. Opulentis etiam, & validioribus ſumma ope cauendum, ne ſubdola hac ſpecie venerationis ducantur, dum inualidos & minores pluſquam par eſt, contemnunt. Nam & in illa ipſa quæ firmiſſima ſunt, iactantur ſemina aliquando venturæ perniciei. Sæpe inde letifer ictus eſt, vnde minimè ſperatũ eſt. Porrò

quæ contemnuntur non cauentur; quæ non cauentur ſunt ineuitabilia. Hodie quidem & dominatores Italiæ, ac præter hos pauculi magnis & quæſitiſſimis artibus, & nunc huic, nunc illi adhærendo ſuis rebus ita proſpiciunt, aliena ſic librant, omnia ita implicãt, vt vix vlli potentiſſimorum regum licitum ſit emergere ad noua, inſperata, maiora. Mutuæ hinc inde fraudes, mutuus metus, tum fatalis & fœderata quædam ſæculi ignauia vtique magnis auſibus intercedunt, dum præoptat quiſque præſentia, qualiacunque ſunt, retinere, quàm dubia ſectando venire in diſcrimen ſuæ poſſeſſionis.

CAPVT LXXVIII.

Quædam monetur is, cui ordinaria legatio datur.

ETſi ordinaria legatio ob eas cauſas quas memoraui, exturbanda potiùs quàm admittenda eſt, tamen mihi ipſe vim faciam, & communem errorem ſententia mea potiorem ducam. Neque committam vt receptiſſimum inſtitutum pertinaciùs improbãdo plus mihi ipſe quàm vniuerſis tribuere videar. Itaque tẽtabo, quoad eius facere potero, vt rem à prauis natalibus ad bonum exitum proſperis auſpicijs perducam; vt quibus ſubruendis inuenta eſt, horum commodis ancillari cogam. Qua de re commodùm venerunt in manus meas quædam præcepta, quibus nihil neq; verius, neq; ad rem accõmodatius proferri poteſt. Hæc ſcripſit clariſſimus mihiq; amiciſſimus vir Triumuir ærarij Stephanus Pugetus Pomoſij dominus, cuius polituło iudicio cùm ipſe priùs tantùm tribuerem, quantum ipſius ſingularis virtus, & propenſus in me animus poſtulare videbatur, tum verò perlecta hac ſcriptione, hominis & acumen & ingenium impenſiùs admirari & amare cœpi. Ergo hic

profero illa quæ ex magna parte ſunt illius cuius beneficio facta ſunt mea, & nunc me ſcriptore publici iuris.

Primo loco monetur is qui in ordinariam legationẽ electus eſt, vt ſui aduẽtus nuntiam famam eò præmittat quò ipſe deſtinatur. Id confeſtim & facile aſſequetur, ſi illinc legatum, qui fortè agit in aula, ipſe conueniet, & quibus verbis efficaciſſimè poterit, ſibi ad ipſius amicitiam aditum inueniet. Hac, nimirum comitate & beneuolentiæ ſignificatione, illius animum ſibi deuinciet, cuius opera futurum eſt, vt quamprimùm innoteſcat illis quos aditurus eſt.

Nullum obuiam itionis, eiuſque quæ ad exceptionem pertinet, celebritatis officium aut honorem recuſet. Nam vt ſua remittere poteſt, ita illis quæ magnitudo ac dignitas principis, aut Reipub. ſuæ poſtulat, detrahere nihil debet. Ad ſacros ſermones admiſſus eam orationem inſtituat, quæ fidem faciat ſe ab illo miſſum, qui plurimi faciat beneuolentiam & amicitiam illius ad quem deſtinata legatio eſt. Hîc verò omnia ſyncerè & candidè, atque vt inter bonos moris eſt, agi conſtet. Mox ſummatim delibet potiſſima capita eorum mandatorum, quibus tota legatio nititur. Ex his ſi quid eſt quod vni principi dici oporteat, vnus vni expromat. Quæ longiorem ac difficiliorem tractationem deſiderant, ea ſe, ne principi obſtrepat, differre in aliud tempus; aut de his, volente principe, apud Senatum acturum dicat.

De ſe nonniſi in omnem & geſtuum & verborum modeſtiam compoſitus loquatur. Illum apud quem legatione fungitur, multa obſeruantia, parique verborum honore colat. In primis apud animum eius teſtatum relinquat, ſe, quod nullo ſui muneris detrimento facere poſſit, eius & virtuti & felicitati tam fauere quàm qui maxime.

Sequentibus diebus eos ipſe legatos, qui in eâdem aula degunt, officioſè viſitet. Cum ſingulis ita agat, vt

appareat eum & ſuæ, & vniuſcuiuſque illorum dignitatis rationem habere.

Eius & in publico & in priuato cultus, totiuſque adeò familiæ inceſſus, ornatus, mores teſtentur eſſe homines modeſtos; ipſum præcipuè legatum oſtendant pium & iuſtum, non ferum & implacidum; nec magis ſui principis aut Reipub. imaginem, quàm omnis honeſtatis exemplar vnicum.

His dotibus annectat induſtriam. Hæc eò referatur, vt ne neſciat quibus rationibus penetret ad notitiam earum rerum quæ ibi aguntur. Hìc verò nihil omittat eorum quibus & ſuæ fidei fides fiat, & ſuæ efficacis diligentiæ efficacia documenta apud principem ſuum relinquat. Nunquam non ſit peruigil, ſagax, attentus; in hoc præcipuè cautus, vt omnem ab ſe amoueat ſuſpitionem improbæ curioſitatis. Singillatim tamen ea pernoſcat quibus imperia continentur. De his quòd infra in relatione vbertim ago, illhinc ea quæ huc pertinent lectorem ſibi ſumere æquum eſt. Tanti eſt hæc notitia, vt quo ſe ei pauciora ſubtrahent, hoc magis legatum factura ſit compotem eorum quæ talium ignaro ne ſperanda quidem ſunt. In hoc æſtu rerum humanarum quantum quiſque ſcit, tantum poſſe cenſetur.

Palam commendet ea quæ ibi conſtat eſſe commendabilia. Quibus adoreis cenſetur princeps, eas nec malignè premat, nec turpi adulatione deuenuſtet. Vbique ingenuus appareat. De ſuo principe ſiue Repub. ſtrictim, verè, modeſtè attingat ea quorum mentione ab illis apud quos degit plura quàm ipſe nouit, elici poſſint.

Vbicunque fuerit occaſio, pronus ſit in laudes eius qui miſſu illius apud quem ipſe eſt, apud ſuos legatione fungitur.

Quàm eſt frequens tam ſit modeſta, amabilis, optabilis conuerſatio ſiue conſuetudo eius cum omnibus aliorum principum legatis & nuntijs.

Nunquam edictet nomen illius à quo quidpiam reſciuit.

Si qua re cuipiam rogatus commodare poteſt, facilem ſe in eo promptumque præbeat.

Munuſcula raritate magis quàm pretio commendabilia ijs mittat, quos beneuolentia mittentis veriùs quàm ipſa res deuincire poteſt.

Quamplurium familiaritatem expetat quò plura quaſi aliud agens explorare poſſit. Nam illos hoc aut illud ſciſcitari qui negotijs aulicis præſunt, eſt hominis impudenter impudentis.

Huc omni ope nitatur primùm vt ſit, deinde vt hominum exiſtimatione ſui ſiue principis, ſiue Reipub. miniſter cenſeatur fide præcipua, tum prudentia eximia, & candore notabili.

Quæ ipſe hinc inde, vt fit, libauit, his illos apud quos legationem obit, participet, dũmodo talia ſint quæ nec legationi obeſſe, nec illis diſplicere, ſed potiùs prodeſſe poſſint apud quos expromuntur.

Si quid vero minus maiuſue dici audiet, taleque cui contradici oportet, id dexterè non contentioſè eludat, adhibito lumine rationis, & omni amota peruicacitate. Si quod dicitur, id fortè mordet principem, Remuepub. ſuam, tunc verò ne ſit dilator aut cunctator, ſed illico inſurgat in confutationem rei mendacis. Mordacitatem mordacibus ſalibus commordeat, calumniam rerum fide conuincat, maledictum acritate contundat.

Si quid ſibi promiſſum eſt, eius rei det operam vt aliqua, licet leuis, inſeratur mentio ſcriptis illis, quæ cùm alia fortaſſe de cauſa concinnentur, tamen eius, quicquid eſt, veluti quædam veſtigia dici poſſunt, è quibus loco ac tempore promiſſum teſtatius & confirmatius fieri poteſt.

Quicquid ipſe publicæ rei præter mandata, aut etiam contra præſcriptum mandatorum adminiſtrauerit, eius rei vbertim & accuratè ſingulas rationes,

ita principi reddat, vt eâdem & fidem & induſtriam ſuam ei abundè probet & luculenter commendet. Vt hoc eſt ſapientis, ita anxiè perſequi cauſas eorum quæ mandatis continentur, iam, ſcilicet, in mente principis libratas, eſt hominis præpoſterè diligentis. Quòd multiplex & varia eſt negotiorum facies, iam monui legatum vt promptam expediat prudentiam, cuius ſuaſu hîc leuitatem, ibi acritatem, quandoque tolerantiam, ſæpe conſtantiam & fortitudinem, ſæpe manſuetudinem attemperatè promat. Quæ cùm ſit totius huius operis materia, de his hoc loco plura dicere ſuperſedeo. Hoc tantùm addo, legatos principum mandatis inſtrui, ſed nequicquam, niſi ipſis adſit illud quod noſtris eſt ſapere, quod eſt munus vnius Dei, & ſanè multo pluris quàm vllæ aut opes, aut potentia & illa omnia quorum in admirationem vniuerſa mortalitas cõſurgit. Principes quid ſit ſibi mẽtis ſuper vniuerſo negotio ſuis mandatis complectũtur. Sed quid contra deſtinata ſua euenturum ſit, nec ipſi vllo prouiſu aſſequi, nec legatis poſſunt prædicere. Hinc fit, vt quid quiſque locus, quid vnaquæque res, quid occaſiones, quid ſubita & improuiſa deſiderent nonniſi ex vno pectore ſuo legatus promere poſſit.

Omnia diligenter, perſpicuè, ingenuè principi perſcribat. Sic putet, bonum principem veritate loco prompta nunquam offendi. Cum alijs ei interdum licet diſſimulanter agere, &, dummodo nullum ſuæ probitati inde præiudicium oriatur, accerſito fuco. Cum principe abſurda ea ratio & improba eſt.

Hæc ijs cumulari poſſunt quæ ſibi quiſque in hoc itinere vitæ collecta ſepoſuit.

CAP

CAPVT LXXIX.

De reditu legati ad ſuos.

Legati arbitrio relinquitur quamdiu manendum, & quando iter ei ad ſuos retexendum. Ei tamen non prius cogendum eſt agmen , & redeundum quàm re geſta, ad quam miſſus eſt. Geſta & conſummata res dicitur, cùm nihil intentatum relictum eſt, quo exprimeretur quidpiam certi quod domum referri poſſet, vnde conſtaret fructuoſus euentus legationis. Non tamen quæro an legato deſit ſucceſſus, dum ei non deſit fides. Hæc eſt in manu cuiuſque. Felicitas cœlo demittitur. Ergo legatos liquet mitti ad tentandum arbitrium alienum, &, ſi fieri poteſt, flectendum non ad cogendum. Cæterùm redire præproperè eſt legationem deſerere. Ob quod delictum ſi legatus municipalis mouetur ordine, quia rem priuatam præuortit præ publica, quantò eſt æquius duplicari pœnam illius, quem tędium, leuitas, impatientia fecit deſertorem muneris tam ardui? Tunc celeritate reditus totam legationem commendari conſtat, cùm legato compertum , agitari hoſtilia, vnà cum fraudibus expediri vim; bellum nondum oſtendi, ſed parari. Quæ omnia ſi non à ſuis propediem reſcita fuerint, his vndique pericula ſurgant. Nempe, qui talia agitant aſtutè ducunt legatum, qualibet ſpecie reſponſum differentes, ac proinde reditum eius. Denique toti legationi callide inludunt, vt ſine vllo bono euentu ſit fruſtratio veriùs quàm legatio. Sic Cæſar ludos fecit legatos Heluetiorum, dein Pharnacis; & Philippus Macedo legatos Ætolorum. hæ artes ſimulatque legato ſunt compertæ, enimuero is ſeſe erigere ac reſpõſum tanta ſedulitate, conſtantiaque petere debet, vt etiam ab inuitis illud prope dixerim ex-

Vlp. lib. 1. D. de leg.

Cæſ. lib. 1. belli Gall.

Appian. ciu. 2.

Front. lib. 1. ſtratag.

torqueat; potiſſimùm ſi miſſus eſt à magno validoque imperio. Vulgatus magis eſt, quàm ſatis laudatus M. Popilij, ſimili re, feruor. Is miſſus ad Antiochum obſidentem Ptolemæum regem Ægypti, cùm ei mandata expoſuiſſet, aut, vt autor Plutarchus, ne rege quidem ſalutato, ſed redditis ei Senatus literis, quibus iubebatur vt à rege ſocio populi Rom. abſtineret, regem cunctãtem, reſponſumque differentem virgula circumſcripſit; ac priuſquam hoc circulo excedas, inquit, redde reſponſum Senatui quod referam. Quo facto tam animoſo Rex torpentem ſubito terrore mentem vix colligens, eodem loci veſtigio reſpondit ſe facturum quod Senatus cenſebat, & in populi Romani poteſtate fore. Hîc ſi Romanus pauido ingenio fuiſſet, non Romano, ad ſuos redijſſet inritus, & maieſtas Senatus regis calliditate eluſa foret, ſaluſque Ptolemæi deſperata. Haud minùs firmè Ageſilaus. Is cum per nuntios tranſitum petijſſet ab rege Macedonum, iſque ſe deliberaturum dixiſſet, Ergo deliberet, inquit; Sed nos interim tranſeamus. Sic M. Æmilius aliorum legatorum conſenſu cùm veniſſet ad Philippum obſidentem Abydum; eique rex ab Attalo & Rhodijs vltro ſe bello laceſſitum diceret, num Abydeni, inquit, vltro tibi intulerunt arma? Iſtis prope ſublatior Cornelius centurio, qui Octauio conſulatum petebat. Is iam labantia illa columina Romana vehementiùs pepulit, cùm, reiecto ſagulo, oſtendens gladij capulum, præcipiti confidentia non dubitauit in curia dicere, Hic faciet ſi vos non feceritis. *Ad Attilam armorum potentem Aetius cum filio Carpilionis legationis eſt officio non irritè deſtinatus. Vidit intrepidus quem timebat imperium. facies illas terribiles & minaces fretus autoritate deſpexit. Nec dubitauit eius altercationibus obuiare, qui furore neſcio quo raptatus mundi dominatum videbatur expetere. Inuenit regem ſuperbum; ſed reliquit placatum. Et calumnioſas eius altercationes tanta virtute deſtruxit, vt voluiſſet gratiam quærere, ſui expe-*

Liu. lib. 35. *Plutarch. in Apophth.* *Zonar. in Antiocho.* *Polyb. ecleg. legat. 154.*

Plutarch. in Apophth.

Liu. lib. 31.

Sueton. in Aug. cap. 26.

Caſſiod. var. 1. ep. 4.

diebat pacem cum regno ditiſſimo non habere. Erigebat conſtantia ſua partes timentes. Nec inbelles ſunt crediti qui legatis talibus videbantur armati. Pacem retulit deſperatam. Cuius legatio quid profecerit, datur intelligi, quæ tantùm eſt gratanter excepta, quantum & videbatur optata. Cæterùm quorum manus perpetua ſerie victoriarum & felicitatis etiam feruent, huius tam odioſæ cunctationis palam ſunt intolerãtes. Meritò. Num enim ij, quibus nulla vis obſiſtere poteſt, patiantur ſibi inludi fraude barbara? Atqui hi ſunt regnantibus familiares doli, quos viribus comites addunt. Choſroes proximo vere Iuſtinianum bello aggreſſurus neque literis eius reſpondebat; neque ad eum permittebat regredi Anaſtaſium legatum eius; vt Surena haud multò poſt à ſe capta belli principium ſimul eſſet & nuntia. Nam tum denique barbaro inriſu Anaſtaſium remiſit, qui Imperatori nuntiaret vbi regem reliquiſſet. Quem aſtum ſibi ſemel placitum geminauit Perſa, cùm apud ſe detinuit Magnum Epiſcopum Berrhoeæ legatum Antiochienſium. Hæc, taliáque ſimulatque deprehenduntur, circumſpectandum legato eſt quà ad ſuos redire poſſit. Siquidem anxia hæc diligentia vtique eſt magnum ſpecimen ſolertis fidei, quo tota propemodum legatio cenſetur. Et clandeſtino ſanè effugiô ſe inde ſubduxiſſent Anaſtaſius & Magnus, ſi occulti reditus facultatem habuiſſent. Ego Mercurium puto fingi alatum, quòd quoties eundum, quoties redeundum eſt, nulla re compeditur. Ergo quod apud Euripidem caduceatori præcipitur ſiue præconi, id ipſum ſibi legatus dici putet. *Proc. lib. 2. belli Perſ.*

† —— Τὸν ἄγγελον χρεὼν
λέξανθ', ὅσ' ἂν τάξῃ τις, ὡς τάχος πόλιν
χωρεῖν. *Eurip. Suppl. 286.*

† Nuntium decet mandatis expoſitis quamprimum recedere.

Expedit interdum illi apud quem legatio eſt, properè remitti legatos, ne ex ipſorum diuturna mora quidpiam emânet quod neſciri ipſius magnopere intereſt.

Liu. lib. 19. 563. Hæc fuit ſagacia Africani. Nimirum Syphax Numida Romanis auxilia ſpoponderat. Sed paulò poſt illigatus affinitate Aſdrubalis per legatos diſſuaſit Scipioni ne ſuorum auxiliorum fiducia in Africam tranſmitteret. Hac legatione accepta Scipio magna ſpe deſtitutus legatos properè priuſquam res vulgaretur remiſit in Africam. Certè diuturna mora legati, vt dixi, ijs ſemper eſt ſuſpecta cum quibus ei ſunt negotia talia, quæ facilè, & intra breue tẽpus confici poſſunt. Cæterùm modus temporis quo concludenda legatio eſt, relinquitur arbitrio legati, vt illud is & contrahat & proferat, prout viſum fuerit. Quod ſi in mora nihil eſt periculi, clam redire, atque ex oculis hominum furto ſe ſubducere, fatendum eſt dedecere quemlibet ingenuum, nedum illum qui tantũ munus obit. Præſtat publicari diſceſſum, vt & produci legatus & illis honoribus coli poſſit, quorum ſupra mentionem habui. Sic Themiſtocles à trecentis Lacedæmonijs vſque ad fines Tegietarũ deductus eſt, non ſolùm honoris cauſa, ſed & præſidij & ſecuritatis. *Herodot. lib. 8.*

CAPVT LXXX.

Quædam quæ pertinent ad reditum legati.

Legato, ſi non obiecta ſunt ea impedimenta quæ dixi, non priùs remetiendũ eſt iter ad ſuos, quàm reſponſum abſtulerit & quidem ſcriptum; vt documẽtum rei cumulatum teſtimonio exterorũ ad quos itum eſt, fidem, & ſolertiam eius luculenter cõmendet. Minoris alicuius imperij legato mos eſt dari literas, quibus inditum reſpõſum, nec præterea quicquã. At ſi is miſſus eſt à maiori & validiori, vereor vt reſcripſiſſe ſatis ſit; Vlteriùs extendenda ea cura. Nam literis inijcienda eſt multa mentio noſtræ obſeruantiæ, & officij ad hunc modum, Etſi è N. legato tuo

viro ſtrenuo rem omnem, ad quam is huc abs te miſſus eſt, vbertim cognoſces, tamen noſtri quoque officij eſſe duximus, ſuper hac ipſa re ad te deſtinare noſtram legationem, quæ tuam propediem conſequetur. Senatus reſpondit Porſenæ, non ſolùm per legatos eius, verùm & per ſuos ad regem miſſos. Et cùm Syphax, miſſis priùs legatis in Hiſpaniam ad Cn. & P. Cornelios Scipiones, per alios Romam miſſos, velut ab ipſo fonte Romanam amicitiam petijſſet, *Senatus non legatis modò benignè reſpondit, ſed & ipſe legatos cum donis ad regem miſit L. Genutium, P. Petellium, P. Popilium.* Iuſtinus legatos Cabadis cùm in Perſidem remitteret, promiſit ſe ſuos haud multò poſt illos miſſurum, quorum opera & interuentu pax firmaretur. Decem legati Athenienſes miſſi ad Philippum ad hoc vt reuera ſcirent an is ad pacem inclinaret, cùm Athenas reuerterentur (in his fuit Demoſthenes) adduxerunt ab rege tres legatos Antipatrum, Parmenionem, Eurylochum, exacturos ſuper ea pace iuſiurandum. Et Elpidius miſſus legatus ad Chaganum petit mitti ſecum legatum qui ad Imperatorem proficiſcatur. Et Theodibaldus Rex Francorum cùm legatis Iuſtiniani reſponſum dediſſet, firmauit ſe propediem de illo ipſo negotio legatos miſſurum Conſtantinopolim. Ergo legatis redeuntibus adduntur legati de eadem re euntes. Ptolemæus Philopator, licet latè victor, pacem per legatos petenti Antiocho non ſolùm conceſſit, ſed & Soſibium, vnà cum legatis eius, qui ei ſuam ſententiam planiùs enarraret, ad eum miſit. Sic Sylla vnà cum legatis Senatus, qui ad eum miſſi fuerant, miſit ſuos, qui poſtulata ſua patribus exponerent. Quippe efficaciùs petituros ſuos, quàm quempiam alium, ei veriſimile fuit. Sciendum quoque hac ratione quandoque ſcribi de alio negotio ad eos quorum legatio eſt, quàm ſuper quo ab legato ventum eſt; exemplo Conſtantini Magni, qui legatis Perſicis ad regem

Dionyſ. Halic. lib. 5.
Liu. lib. 17.
Proc. lib. 1. belli Perſ.
Demoſth. de fal. legat. 198.
Theophyl. de leg. Rom. ad gen. cap. 2.
Procop. li. 3. belli Goth.
Polyb. lib. 5.
Appian. ciu. 1.
Niceph. lib. 8. cap. 38.

redeuntibus dedit epiſtolam qua ab eo ſecuritatem Chriſtianis petijt. Hoc loco ſcio quæri, An legatus rediens ad ſuos, ſuper reſponſum, mandata illius quem adijt, in patriam perferenda licitè accipiat. Diſtinguit Conradus Brunus. Ab inimicis non accipi poſſe dicit, neque item ab ijs, à quibus legati repulſi diſcedunt. Itaque M. Tullius in legatos ad Antonium miſſos inuehi non dubitauit, quòd eius qui Senatui parere dedignatus fuiſſet, mandata ad Senatum ſuſcepiſſent. Addit Cicero. *Qui Reipub. non paret non ab eo mandata accipienda ſunt. ſed ipſe eſt totus repudiandus.* Alibi quoque hoc factum acerrimè exagitat. *Nihil*, inquit, *fœdius Philippo & Piſone legatis, nihil flagitioſius. Qui cum eſſent miſſi vt Antonio ex ſenatus ſententia certas res nuntiarent, cùm ille earum rerum nulli paruiſſet, vltro ab illo ad nos intolerabilia poſtulata retulerunt.* Contra, ab amicis talia mandata rectè accipiuntur. Sic Latinus rex apud Virgilium.

Cic. Philip. 8. — *Cic. Philip. 8. orat. 51. 454.* — *Cic. epiſt. fam. lib. 12. ep. 4. 354.*

Vos contra regi mea nunc mandata referte:
Eſt mihi nata, &c.

Virgil. li. 7. Æneid.

Ego inſuper addo, poſſe accipi ob commune negotium iam cœptum, nondum peractum; quod cõfieri non minùs intereſt accipientis quàm dantis. Sic Cæſar *per L. Cæſarem, & Roſcium prætorem, idoneos nactus homines, per quos ea quæ vellet ad Pompeium perferrentur, petit ab vtroque, quoniam Pompey mandata ad ſe detulerint, ne grauentur ſua quoque ad eum poſtulata deferre.* Sed præſtat ſanè id fieri, vt ferè fit, per adiectionem propriæ legationis, ne negotium aut neglectum, aut deſertum dici poſſit. Ad hoc exemplum Corbulo venientes Tiridatis Vologeſiſque de pace legatos haud aſpernatus, *adiunxit ijs centuriones cum mandatis*, vt Tacitus ait, *non immitibus.* Et Theodahadus Petro legato Iuſtiniani redeunti Conſtantinopolim addidit ſuum. Et cùm Irene Imperatrix miſiſſet ſuum legatum Leonem Spatarium ad Carolum magnum de ſancienda pace inter Græcos & Francos,

Cæſ. lib. 1. belli ciu. — *Tacit. li. 15.* — *Procop. li. 1. belli Goth.* — *Annon li. 4. cap. 89.*

viciſſim imperator in hoc ipſum miſit ſuos legatos Ieſſe Epiſcopum Ambianenſem, & Helingandum comitem. Ad hanc formam, hic ipſe Carolus, abſoluto Arſaphio Spatario legato Nicephori Imperatoris, cum quo pax facta erat, eiuſdem pacis ſanciendæ gratia legationem ſuam Conſtantinopolim miſit, cuius principes fuerunt Haidus Epiſcopus Baſſenſis, & Hugo comes Ruronicus. Hæc ratio deſtinandi propriam legationem tunc potiſſimùm ſeruanda eſt, cùm cuipiam munera mittuntur. Ea, ſcilicet, eſt dignitas muneris, & gloria donantis, vt non permixtim & per quemlibet, ſed eorum manibus, quorum miniſterio honeſtetur, perferendum & offerendum ſit. Senatus, reddito reſponſo legatis Syphacis, dona regi decreta non dedit iiſdem eius legatis, ſed Romanis ad id ipſum miſſis. Quid, quod Xenocrati ab Alexandro magno quinquaginta talenta per legatos ſunt miſſa?

Annon. li. 4. cap. 97.

Liu. lib. 17.

Cic. Tuſc. quæſt. lib. 5.

CAPVT LXXXI.

De muneribus quæ dantur legatis diſcedentibus.

VT legato, ſimulatque aduenit, lautia, alioſque ſumptus mitti dixi, ſic diſcedenti mittuntur munera, ſicuti manſura quædam pignora hoſpitalitatis. Hic mos quàm ſit vetuſtus, diſcimus ex Homero apud quem præter cætera pretioſa quæ Priamus profert è ſuis ſcrinijs, eſt poculum † περικαλλές, quod ei Thraces dederāt † ἐξεσίην ἐλθόντι μέγα κτέρας. Talia legatis Carthaginienſium, qui ad fœdus tertiò renouandum Romam venerant, miſſa ſunt. Ac præter ea munera, quæ ab Senatu Maſſaniſſæ decreta fuerant, legatis eius Prætor mittere iuſſus in ſingulos dona ne minùs quinum millium;. comitibus eorum

Iliad. lib. vlt. 887.

† perpulchrum.

† in legatione profecto magnum donum.

datis millibus æris: & veſtimenta bina legatis; cætera comitibus. Ita quoque legatis Ptolemæi & Cleopatræ *gratulantibus quod M. Attilius Conſul Antiochum Græcia expuliſſet, ac reges Aegypti ad ea, quæ Senatus cenſuiſſet, paratos fore promittentibus munera dari iuſſa in ſingulos quaternûm millium æris.* Sic Polyxenus quidam ex primoribus Reipub. Taurominitanæ, legatus ad Nicomedem, ſuper alia munera, calice Thericleo donatus redijt. *Eſt videre apud Germanos* (inquit Tacitus) *argentea vaſa legatis & principibus eorum muneri data. Chalcidenſium legatis*, inquit Liuius, *munera miſſa binûm millium æris, & vehicula Miccioni* [principi legationis pedibus capto] *publicè locata, quæ eum Brundiſium commodè perueherent.* Ne ipſe quidem Attila vſque eò humanitatis iuriſque gentium immemor perhibetur, vt non aliquando legatis Romanis hoc more múnera miſerit. Certè Anatolium & Nõnum illuſtres in imperio Romano homines, qui ad ipſum miſſi fuerant, dimiſit cum donis. Dona fuerunt equi & pelles eius generis, quibus vti ſolent reges, aut regiæ proſapiæ homines. Nec ipſe tantùm legatos donis proſequutus eſt; ſed & hoc ipſum à primoribus Scytharum fieri voluit. Hæc munera pertinet ad fidem legati, ſimulatque redierit, publicè reddi, ne corruptelæ dici poſſint. Huic tam inſigni continentiæ ſcriptorum vberrima præconia certatim militant, plauduntque magnis illis nominibus Xenocratis, Lyſandri, Phocionis, Fabricij, Pompeij; preterea Q. Fabij Gurgitis, C. Numerij, Fabij Pictoris, Q. Vgolini. Iſti enim *legati ad Ptolemæum regem miſſi munera quæ ab eo priuatim acceperant, in ærarium prius, quàm ad Senatum legationem referrent, detulerunt, ne quicquam ex publico miniſterio præter laudem bene adminiſtrati officij ad ipſos accederet.* Quãnquam hanc laudẽ non modò paucorum hominum, ſed & ſeculorum, aliter commendat Iuſtinus, qui ingentia Ptolemæi munera ab ijs ſpreta dicit. Et cùm interiectis diebus ad

Liu. lib. 27.
Athen. li. 11.
Tacit. de morib. Germ. 528.
Liu. lib. 33. 115.
Priſc. ecl. legat. 54. & 55.
Val. Max. lib. 4. & Zonar. li. 2.
Iuſt. lib. 18.

ad cœnam inuitatis Rex coronas miſiſſet, has illos honoris cauſâ receptas, hoc eſt, ne liberalitatem Regis aſpernari viderentur, poſtera die ſtatuis eius impoſuiſſe. Hinc liquet, munera regnantium modeſtè accipi poſſe, dū & hæc ipſa publice reddātur. Quippe maioris animi eſt ea reddere quàm meruiſſe. At prōptè reijcienda cùm in hoc dantur, vt ijs accipientium animi labefiant. Huius moderationis inſigne documentum dedit Hyſtaſpis ex interiori amicitia Cyri. Nimirum, is miſſus ad contrahendam quàm maximā poſſet vim pecuniæ, cùm regi ſignificaſſet quantum auri collatitij apud ſe, atque vnde eſſet, hæc addidit; Me quoque Rex vtere, ijſque donis, quæ in hoc ipſo itinere, quòd abs te miſſus ſum, tuiſque literis commendatus, in me vndique congeſta ſunt. Enimuero priſca ſeueritas huc potiùs inclinabat, ne vlla munera legati acciperent, imitatione eius ſtatuæ quæ Soloni erecta fuit. Hæc ſtatua manum intra veſtem condebat, non ſanè quæ accepta celaret, ſed Hercule, ne quid caperet. Non concio habenda eſt manu in ſinu condita, inquit Æſchini Demoſthenes, ſed obiri legatio debet manu in ſinu condita. Hinc eximo legatos municipales ac prouinciales. Nam iſti à principe, & ab Senatu licitè accipiunt munus, & quicquid eſt loco muneris. Idque fit illius proprium, cui dono datum eſt. Et verò vt ab externis corrumpi ſordidum eſt & infame, ſic iudicio principis honeſtari pulcherrimum. Ideo Verritus & Malorigeſ legati Friſiorum ciuitate Romana, qua vtrumque Nero donauit, conſpicui domum remearunt. *Vno ſolatio*, inquit alicubi Apuleius, *freta eſt vrbs exempli tui, quod qui legatus mittitur, proconſul ad nos cito reuerſus es.* At munera externa quò ſunt maiora, hoc prōptiùs fides faciēda animi deſpectoris earum rerum quibus imbecilli ſubruuntur. In primis ante oculos habendum illud de Xenijs inſertū elegātiſſimo reſcripto D.D. Seueri, & Antonini † οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων.

Xenoph. l. 8. Cyrop.

Demoſth. de fal. legat. 233.

Tacit. li. 13.

Vlp. lib. 6. §. 3. D. de off. Proc. & leg.

† nec omnia, nec vndecumque, nec ab omnibus.

Denique ſciendum, longè aliam eſſe dignitatem legationis, atq; aduocationis & patrocinij. Hæc enim venalia proſtant. At hercule legatio ſimilis eſt iudicij, quod non magis vendere licet, quàm rapere publicum, aut ſacro manus admoliri. Neque verò miror, ſi Corinthia lex qua cautum fuit ne legati dona acciperēt, Dionyſio ſeniori cor perfrigefecit. Quippe faſſus eſt quod vnicum bonum tyrannis haberet, ſuſtuliſſe Corinthios; qui eo decreto palam feciſſent, quàm liberis hominibus formidabilia ſint munera tyrannorum. Non ſolùm iudicibus ſed & tibi, quicunque publicæ rei præfectus es, Deus dixit, *Non capias donum. Nam donum cæcat prudentes, & innertit verba iuſtorum.* Vide ſi lubet apud Appianum Alexandrinum in Syriaca; quàm ex dignitate imperij, & probitate ſua Scipiones reſponderint Heraclidi Byzantio, quem Antiochus legatum ad ipſos miſerat, vt palam de dirimendo bello multa loqueretur; At reuera & ſecretò vti magnam vim pecuniæ apud ipſos effunderet. Ergo meritò Democritus apud Athenæum mirari ſe dicit, Athenienſes iudicio non vltos eſſe os Epicratis neſcio cuius, qui captus donis Artaxerxis, quò fœditatem ſuam ſordibus Reipub. inſuper contegeret, profeſſus eſt, ſe rogationem laturum, vt loco nouem † Ἀρχόντων quotannis capite cenſi ad regem legati deſtinarentur, quorum egeſtatem regia munera ſubleuarent. Cæterùm hoc ſpecimine moderationis tam raræ, támque ſolitum excedētis princeps, aut Senatus is cuius legatio eſt, motus pari quoque benignitate talem legatū remunerari debet; ne ipſe ex alieno labore quæſtus aucupari, externíſque opibus artificioſè inſidiari videatur. Ego quidem, ſi mei arbitrij res ſit, iubeam munera manere apud illum cui data ſunt. Quatuor illis legatis, quorum nomina memoraui, non ſolùm decreto patrum, ſed & populi iuſſu, ea quæ in ærarium repoſuerant Quæſtores diſtribuerunt. Hæc quoque ſolet eſſe & humanitas & -

Plutarch. in Apophth.

Exodi cap. 23. 8.

Athen. li. 6. Plutarch. in Pelopida.

† magiſtratuum.

benignitas hodiernorum regnantium, vt talia dona iubeant manere apud illos quibus data ſunt. Sic dubites quid primùm, magiſue admirere in hoc tam illuſtri eminentium virtutum certamine; An benignitatem illorum, vnde munus primò profectum eſt, an continentiam legati, an æquitatem illius, cuius eſt legatio. Certè hinc princeps apiſcitur compendia honoris; & legatus ſuper honorem, pretium ſuæ moderationis. Quanquam ridicule illud; quicquid eſt, dicitur pretium muneris tam ardui, & laborum ingentium; quæ verius dici debet acceſſio eorum, quæ verè ſunt præmia, de quibus infra dico. Sed tamen vſque eò non ſpernendum aio, vt quoties beneficium accipitur à ſummo viro, vis eius quàm latiſſimè fieri poteſt, extendi debeat. Catè Lyſander Lacedæmonius, qui ab ciuitate legatus ad Dionyſiũ tyrannum, oblatis ab illo ſibi ſtolis duabus, cumque iuberetur vtra placuiſſet, hanc accipere, filiæque ſuæ ferre; Imò ipſa, inquit, eligat; abſtulitque vtrãque. Haud minùs ingenioſè Ariſtippus, cui cùm Dionyſius ternionem ſcortorum in cõſpectum dari iuſſiſſet, eique permiſiſſet ex eis delectam quam vellet mulierculam ſibi habere, abduxit omnes. Neq; enim Paridi, inquit, tutũ fuit vnam prætuliſſe cæteris. Sed facetiam, videlicet, terminauit moderatio. Nam fœminas ductas vſque ad veſtibulum dimiſit. Vt talis virtus præmiis eſt extollenda, & laudibus inſuper cumulanda, ita quoque in illos ſeueriſſimè vindicandum, qui plus æquo muneribus obnoxij ſunt. Athenienſes Timagoram legãtum ſuum, quem Artaxerxes magnitudine munerũ corruperat, damnatum necauerunt. Nam præter vim auri, & argenti, lectum quoque pretioſum, & ſeruos lectiſterniatores, rudibus tunc etiam ad talia Græcis, accipere non erubuerat; præter boues fœminas octoginta cum bubulcis. Et ſuper hæc, lectica ad mare portari ſe paſſus erat. Qui ſanè cùm mores patrios inquinaſſet, cuius in perſona elucere debuit

Plutarch. in Lyſandro.

Diog. Laert. in Ariſtip.

Plutarch. in Pelop.

ingenuitas libertatis longè diuerſa à luxu regio, tam bene morata ciuitas autorem exempli tam peſtilẽtis ferre non debuit, non potuit. Legati diſcedentes non ſolùm muneribus coluntur & honorarijs, quæ ſupra dixi, verùm & ſingulari gratiarum actione, præſertim ſi legatio reſpicit compendia illius ad quem miſſa eſt. Cyrus legatos Indicos, qui ipſi ab ſuo rege mutuum attulerant, ſeorſim coluit multo honore verborũ, ob labores longi itineris; cùm alias etiã gratias ampliſſimis verbis regi ipſorum ageret, ob illud impetratum.

Xenoph. lib. 6. Cyrop.

CAPVT LXXXII.

De reſponſis quæ dantur legatis, eorumque formis.

RESponſorum ſupra facta mentio deſiderat vberiorem executionem. Eius eſt reſponſa dare legationibus qui eas admiſit, excepit, audiuit. Nempe hinc quoq; exteri intelligũt penes quem in Repub. ſit ſummũ ius. Verba ſunt Theſei alloquẽtis Adraſtum,

Euripid. Supplic. actu 2. 287.

——† σῖγ᾽ Ἄδραστ᾽, ἔχε στόμα,
Καὶ μὴ ᾽πιπροσθεὶς τῶν ἐμῶν τοὺς σοὺς λόγους
Θησ. οὐ γὰρ ἥκει πρός σε κηρύσσων ὅδε,
Ἀλλ᾽ ὡς ἔμ᾽· ἡμᾶς κ᾽ ἀποκρίνασθαι χρεών.

† Tace Adraſte, os reprime, Nec meum tuo ſermone anteuerteris. Non enim hic quidem venit ad te vt nuntiet iuſſa principis Thebani, ſed ad me. Vnde & nos reſpondere par eſt.

His dictis ipſe reſpondet nuntio. Nec Cyrus priùs reſponſum dedit legatis Indici regis, quàm id faceret permiſſu Cyaxaris ad quem miſſi fuerant. Hoc munus & princeps & Senatus ſæpe delegant primoribus. Quo more, principe Auguſto, legationibus tres ſenatores reſponſa dabant. Quod eſt argumentum, oppreſſa libertate, patribus conſcriptis liberum fuiſſe decernere de quauis re, priùs, ſcilicet conſulto principe; quomodo in libertate *mos traditus erat à patribus, poteſtatem eſſe interrogandi ſi quis quid vellet legatos.* Certè légimus Ætolorum legatos ab vno ſenatore his verbis interrogatos, *permitterentne*

Xenoph. de inſtit. Cy. hiſtor. lib. 2. 46.

Dio lib. 56.

Liu. lib. 20.

Liu. lib. 27. 348.

arbitrium de ſe populo Romano? deinde ab altero, *Habituri ne eoſdem quos populus Romanus ſocios & hoſtes eſſent?* Pluribus legationibus non indiſcriminatim, ſed eo ordine reſponſa dãtur, quo admittendas dixi. Cæterùm vt legationibus non temerè credendum, ita non præcipitanter eſt reſpondendum. Non vt nuntius ab itinere reuocari, ita reſponſa in integrum reſtitui poſſunt. Legatis Thebanis inſtanter petentibus ab Ageſilao vt ſibi reſponſum redderet, An non ſcitis, inquit, cùm ſeria res agitur, in mora multum eſſe conſilij? Caluitius Rex Argiuorum neque bellum cœptaſſe, nec leges tuliſſe, neque legationibus reſponſa dediſſe dicitur, niſi priùs facta re diuina Deorum conſilia ſciſcitatus eſſet. Ergo audita legatione, Conſus propitius aduocandus; tempus deliberationi ſumendum; omnis res excutienda; dicta legati componenda cum factis illius, cuius negotium agit. Vtraque ponderantur, & æſtimantur ab ijs quibus prolixa ætas, & multa experimenta dederunt vſum bene ſuadendi, & monendi vtiliter. Quibus tunc maximè intendendum ingenium, & expedienda prudentia, vt cauta, vt tuta, vt vera ſuadere poſſint. Nam huius ætatis Suffenos haud dubiè læuum numen exitio reſeruat; qui quæ apud ſe deſtinarunt, de his per ludibrium conſulunt eos, quorum ſapientiam, ſimulatque abierunt è conſpectu, ſibi habent facetiæ. Quid? de finibus, de mutuo, de re cuiuſque priuata itur in conſilium, litigator preſſius auditur, lis non priùs dirimitur, quàm iudicum ſententijs perrogatis, numeratis, ponderatis. At negotium vniuerſorum incuria deſeritur, leuitate euertitur, temeritate præceps datur. Cùm tamen vnam eſſe regulam, normamque regnantium, fidele conſilium amicorum, ſciri voluerit magnus Iuppiter, qui ipſus nunquam dubitauit aduocare in conſilium cætera numina. Ea re probè dictum eſt, præmium multorum meritorum vnũ dare poſſe; ſed ad perſoluendam mercedem boni conſilij omniũ

In vita M. Antonini.

Deorum concurſum fieri oportere. Alij peccant in aliam partem. Nam ſemper conſulunt, ſemper hebent, nunquam ſe extricant, dum tempora rerum conſumunt conſultationibus; denique nulla vnquam eſt eis parata gutta certa conſilij. Ergo conſilia mature ſunt inueſtiganda, reperta diſcernenda, è diſcretis periculoſa abijci, ſpecioſa etiam introſpici, cauta & vtilia ſeponi debent. Ex his ipſis nondum tempeſtiua differuntur, rudia expoliuntur, matura peraguntur. Vt ſapientia eſt ſal conſilij, ſic breuitas decus. Ergo verba reſponſorum ſuccingenda ſunt ad eum propemodum, quo libelli ſubnotantur. Inter encomia Theoderici regis Gothorum illud eſt, quod intromiſſis gentium legationibus, audiebat plurima, reſpondebat pauca. Sic Gelon Siciliæ Rex legatis Græciæ petentibus auxilia contra Xerxem, poſtquam multum verborum hinc inde factum eſt, reſpondit, Renuntiate Græciæ, vernum tempus ſibi anno exemptum. Huius reſponſi vim interpretatur Herodotus. Vt enim ver eſt anni decor intractatus, ſic rex ſignificare voluit, ſuas copias futuras fuiſſe robur vniuerſi exercitus. Legatis Antiochi Romam exploratum miſſis non aliud reſponſum quàm hoc, Si per Antiochum Græcis manebit ſua libertas, iſque abſtinebit Europa, tum vt volet induat ſocietatem Romanā. Talia reſpōſa, ſicuti illa quæ Demetrius legatis dabat, meritò vocantur oracula. Etſi enim audientibus quandoque ſunt ingrata, tamen occulta quadam autoritate percellunt conſcientiam. Omnino ſciendum eſt, reſponſum, quod datur legatis, eſſe puriſſimum ſpeculum intimarum cogitationum illius cuius eſt. In reſponſo perlucet ſocordia aut nequitia reſpondentis; aut elucet ſapientia imperij. Id quod huc ſpectat, vt quod commodo noſtro fieri, ac ſalua dignitate concedi poteſt, fiat, & petenti concedatur. Ea item quæ non concedi poſſunt, ita denegentur vt id, quicquid eſt, ſumma ratione factum illi ipſi, quibus

Sid. Apoll. lib. 1. ep. 2.
Herodot. lib. 7.
Appian. in Syr.
Plutarch. de fort. aut virt. Alex.

de ea re negatum eſt, fateantur. Talium reſponſorum vt plurima extent apud priſcos exempla, tamen vnum profero ad cuius normam cætera æſtimari poterunt. *Legati regis Attali expoſitis in Senatu meritis regis erga Romanos, vereri ſe dixerunt, ne idem præſtare ei per Antiochum regem vltra non liceret. Itaque orare P.C. mitterent ipſi præſidium ad regnum eius tutandum. Si id nollent, ipſum ad ſua defendenda cum claſſe, ac reliquis copijs redire paterentur. Senatus legatis ita reſponderi iuſsit. Quod rex Attalus claſſe, copijſque alijs duces Romanos iuuiſſet, id gratum Senatui eſſe. Auxilia nec ipſos miſſuros Attalo aduerſus Antiochum ſocium & amicum populi Romani. Nec Attali auxilia retenturos vltra quàm regi commodum eſſet. Semper populum Rom. alienis rebus arbitrio alieno vſum. Et principium & finem in poteſtate ipſorum qui ope ſua velint adiutos Romanos eſſe. Legatos ad Antiochum miſſuros qui nuntient, Attali, nauiumque eius, & militum opera aduerſus Philippum communem hoſtem vti populum Romanum. Gratum eum facturum Senatui, ſi regno Attali abſtineat, belloque abſiſtat. Æquum eſſe ſocios & amicos populi Romani reges inter ſe quoque ipſos pacem ſeruare.* In hoc reſponſo aduertendum quàm omnia ſint dilucida, probeque diſtincta. Nempe ita precibus Attali Senatus annuit, vt ne eàdem Antiochum meritò offendat. Præterea ſibi rebuſque ſuis proſpicit; idque agit vt diſcordes reges conciliet. Liu. lib. 22. 71.

CAPVT LXXXIII.

Quænam præter iam dictas ſint potiſſima laudes reſponſorum. Quædam obiter de nuntijs.

LAudes quibus reſponſum effulgere par eſt, has potiſſimùm aduerti, acritatem, ſublimitatem, conſtantiam, dignitatem, argutiam, breuitatem. Talium reſponſorum aliquot exempla hîc recenſebo, vt

quilibet pro arbitrio quid in ſingulis aduertendum patet, obſeruet, ſibique hinc quid ſumat, quid omittat, ſuggerat. Et primò quidem memorabo illa, quæ voco aeria, ardua, ſublimia, ſummæ potentiæ, pariſque dignitatis argumenta perilluſtria. In his illud eſt quod ſupra memoraui datum fuiſſe à Sapore legatis Denathi. Quis, inquit, eſt iſte veſter, & vnde hæc ei fiducia vt ad proprium dominum literas dare audeat? Nunc ſi leuiori pœna defungi vult, manibus poſt terga reuinctis, procumbat in conſpectu meo. Si non faciet, ſciat à me ſibi inſtare perniciem, tum generi & patriæ. Tale reſponſum, & quidem peracre, valdeque ſublime dedit Iuſtinus legatis Abarorum. Neque inquit, veſtra adulatione ductabor, nec minis terrebor. Neque hinc quicquam auferetis, niſi quantum collubitum fuerit animo meo. Et hoc quoque ſicuti veſtræ ſeruitutis autoramentum, non, vt exiſtimatis, veluti vllam collationem tributi. Huius reſponſi auſteritate legati vehementer dicuntur fuiſſe perculſi. Simile propemodum eſt illud quod Vitalianus dedit Targitæ Abaro. Non qui legationem obires huc veniſti, ſed qui fidem faceres quales ſint Abarorum mores. Simile illud Galerij datum legatis Perſicis, in quo ſunt hæc verba, Se maiorum veſtigijs inſiſtentem ſcire *Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos.* Tale illud quod Valerianus dedit ſuperbæ & inſolenti Iuthungorum legationi. Vos quidem iſta commodè narraſtis; res tamē aliud loquitur. Nam interdum iniecta mentione pacis bellum nihilominus protrahitis, dum vtrumque remiſcetis. Ergo nos quoque incertos reddidiſtis quonam reſponſo vobis reddito, rebus noſtris potiſſimùm conſulamus. Argiui legatis Lacedæmoniorum petentibus quoſdam ſuorum exulum ad ſupplicium, reſponderunt, Niſi ante ſolis occaſum abieritis, vt hoſtibus dabitur vobis malum. Menophilus dux Mœſiæ, de quo ſupra dixi, auditis legatis Carporum, ſolutus eſt in riſum; cumque eos haberet

Petr. Patr. ecl. legat. 20.

Menand. ecl. legat. 82.

Menand. ecl. legat. 130.

Petr. Patr. ecl. legat. 17.

Dexipp. ecl. legat. 4.

Demoſth. de Rhod. libert. 80.

Petr. Patr. ecl. legat. 16.

haberet ludificatum dixit, Et ſuper his conſulam imperatorem. Ergo poſt quartum menſem redite in hunc ipſum locum. Inter præcipuas dotes illuſtrium virorum illa eſt, quod in medijs difficultatibus conſtanter, fortiter, acriter hoſtibus reſponderunt. Huius generis fuerunt reſponſa Periclis data Peloponeſijs, quæ miris laudibus extulit diſertiſſimus Ariſtides. Talia reſponſa ij potiſſimùm quibus data ſunt quàm ſæpiſſime cum pauore admirantur. Sic Sylla legatis Mithridatis, Quid dicitis? inquit. De Paphlagonia fatetur Mithridates, de nauibus negat? Cui ſi ego relinquerem illam dexteram interfectricem tot ciuium Romanorum, eum ad genua mea æquum fuit procumbere. Et Alexander legatis Darij, Nuntiate, inquit, Dario gratiarum actionem apud hoſtem ſuperuacaneam eſſe. meque quæ clementer & benignè fecerim non amicitiæ eius tribuiſſe, ſed naturæ meæ. Nec aduerſus calamitates, ſed aduerſus hoſtium vires contendere. Inter laudes Stilichonis diſertiſſimus poëta Claudianus memorat hanc,

Ariſtid. ὑπὲρ τῶν τεττ. & in Themiſt. 38. 6.

Quod nil in tanto rerum terrore locutus
Indignum Latio; Reſponſa quòd ardua ſemper
Eois dederis, quæ mox effecta probaſti
Securus.

Claudian. de laud. Stilich. lib. 1. 55.

& alibi

Ardua quæ late terris reſponſa dedère. *Lib. 3.*

Huius, inquam, generis reſponſa fidem faciunt acritatis & generoſitatis illius, cuius ab ore proficiſcuntur, nec niſi ad ipſius inſignem laudem referri poſſunt. His ſimile illud eſt datum à Mandane Indo nuntijs Alexandri. Hi enim cùm Mandanem ad Iouis filium vocarent; ac ſi veniret ei dona, ſin minùs malum pollicerentur, ita Indus reſpondit, Nec Alexander Iouis filius eſt, nec magnæ parti terrarum imperat; nec ego illius donis permoueor, cui nulla eſt ſatietas. Nec item minas timeo, Mihi enim viuo quicquid India ſuppeditat abundè eſt; Si moriar, hac carne iam

Strabo. lib. 15.

ſenio attrita liberabor in meliorem puriore mque vitam mutatus. His reſponſis proxima ſed longè diſſimilia ſunt illa, in quibus aduertitur & ſuperbia & ſocordia loquentis. Nempe, quæ tumidiùs & ferociùs, verbiſque ſorti loquentis parum conuenientibus enunciantur. Huius illud eſt quod à Dalmatis Fannio legato Romano datum fuiſſe autor eſt Polybius, cum dixerunt, Nihil ſibi & Romanis eſſe commune. Huc refero illud quod ab Heluetijs datum fuiſſe Cæſari ſupra memoraui. Cùm enim ipſis imperarentur obſides & pecuniæ, reſponderunt & quidem apud Romanas aures, ſatis audacter, ſe talia accipere ſolitos. Enimuero in reſponſis inter pares, multoque magis ſi dantur à minori & infirmiori imperio, vitanda eſt ferocia verborum, qua animi aſperantur, & negotia retardantur. Atrox reſponſum datum legatis Carthaginienſium paci impedimẽto fuiſſe memorat Polybius. Atrocitati affinis eſt faſtus, qui vel in ipſis magnis imperijs omnem gratiam conceſſæ & impetratæ rei elidit. Nam fucata & ampullata commemoratio beneficij eadem eſt exprobratrix. Amantur ergo reſponſa ingenuè enuntiata, & verbis contexta temperatis: denique talia, vt, ſi qua in ipſo negotio amarities eſt, hanc mitis oratio condiat. Aliud eſt reſponſa dare ardua, ſublimia, generoſitatis illuſtria documenta, & aliud, ea concipere ijs ſenſibus, & ea atrocitate aut aſperitate verborum, quæ dedecet os & pudorem ſummæ dignitati plerunque congenitum. Certè vt ſemper anguſtiora imperia modeſta, ſic maxima & opulentiſſima ſublimior oratio decet. Non mirum ergo ſi non ſolùm talium imperiorum domini ac regnatorum maximi, ſed & ipſi talium legati & præfecti hac verborum granditate ſæpe cum illis, quos conueniunt, vtuntur. Certè Cæſar præter Syllam & alios quos ſupra nominaui, hac verborum ſublimitate legatis Pharnacis regem apud ipſum excuſantibus reſpondit. Et Cyaxares legatis Indicis, qui dixerant, re-

Polyb. ecl. legat. 202.

Appian. Alex. παρϑικ.

Polyb. lib. 1.

Hirc. lib. 1. belli Alex.

gem ſcire cupere quæ cauſæ ipſum regemque Aſſyriorum commiſiſſent; verbiſque eius denuntiare, futurum ſe in partibus illius cui fiat iniuria; Renuntiate, inquit, regi veſtro, neque in regem Aſſyriorum, neque in eius imperium quicquam iniuriæ à me profectum, qui iure & innocentia tutus ſum. Cæterùm quiſquis me aggredietur virum ſentiet. Talia, inquam, reſpõſa decent maieſtatẽ magnorũ regũ & felicitatem victorum, quorum iura quia ſunt indiſputabilia, non eſt vtique mirum ſi eorum reſponſa terribilia ſunt & minacia. Ad hanc prope formam Conſul Romanus Ætolorum legato, qui dixerat eum imprudentia labi, qui ea imperaret quæ non eſſent moris Græcorum; *Nec hercle, inquit, magnopere nunc curo quid Aetoli ſatis ex more Græcorum factum cenſeant, dum ego more Romano imperium habeam in deditos modò decreto ſuo, ante armis victos. Itaque ni propere fit quod impero, vinciri vos iam iubeo. Afferrique catenas, & circumſiſtere lictores iuſſit.* Et quidem hæc habeo quæ dicam de reſponſis acribus, arduis, ſublimibus, conſtantibus, imperij maieſtatem, & illius à quo manant, dignitatem aſſerentibus.

Xenoph. l. Cyrop. & Zonar. in actis Cyri lib. 1.

Liu. lib. 26.

CAPVT LXXXIIII.

Perſequor eas laudes quibus cenſentur ea reſponſa quæ legatis dantur.

SEquitur argutia non minima inter laudes reſponſorum, cui conuenit illud Helenæ verbum quod eſt apud Euripidem † Κάλλιον εἶπας ἢ σ᾽ ἀνηρόμην ἐγώ. Argutiam voco illud loquentis acumen quod ſæpiſſimè in vno verbo poſitum eſt, non ſolùm eius qui laceſſit, ſed potiſſimùm reſpondentis. Quo lepore res per ſe odioſa, quæque argumentis dilui vix poteſt, diſſoluitur. Argutiæ proxima eſt breuitas, de qua etſi

Euripid. Hel. 536.

† pulchriùs reſpondiſti quam ego interrogaui.

ſupra aliquid dixi, tamen hoc loco vt conuenienter; aio breuitatem ſiue concinnitatem ſæpe ita continere cauſas reſponſi, vt eas nihilominus excludat. Nempe ita ſtrictim ratio reſponſo inſeritur, vt veriùs monſtretur quàm enuntietur. Cùm Oſroes per legatos peteret à Traiano pacem, multis in eam ſententiam dictis, denique Traianus nihil reſpõdit niſi hoc, Amicitiam minimè verbis diiudicari. Ea ratio tã ſolers iis quibus reſpõſum datur, ſi sũt callidi rerũ, eſt loco cõſilij. Senatus legatis Bocchi, poſtquã erraſſe regẽ & Iugurthæ ſcelere lapſum deprecati ſunt, amicitiã & fœdus petẽtibus hoc modo reſpõdit; Senatus & populus Romanus beneficij & iniuriæ memor eſſe ſolet. Cæterùm Boccho, quoniã pœnitet, delicti gratiã facit. Fœdus & amicitia dabuntur cùm meruerit. Specta in hac paucitate verborũ duas cauſas reſponſi. Nã pœnitenti regi Senatus ignoſcit. Fœdus & amicitiã negat, quia nulla meruit; ac ſi dicat, faciundũ ei aliquid eſt quod Senatus magis, quàm ſua retuliſſe videatur, vt Sylla ipſi Boccho dixit. Callidè quãdoq; breuitati additur obſcuritas. Rebus, videlicet, dubijs, ac nondũ paratis, temporariũ pręſidiũ petitur à verbis perplexabilibus; cuiuſmodi fuit reſponſum ab Senatu datum legatis Mithridatis & Nicomedis; ac priùs Achæis & Lacedæmonijs, quod Liuius ait ita perplexum fuiſſe, *vt Achæi ſibi de Lacedæmone permiſſum acciperent, & Lacedæmonij non omnia conceſſa iis interpretarẽtur.* Talia reſponſa legatus petere debet vt ſcripto cõprehendantur; ne obſcuritas non ab exterorũ calliditate profecta, ſed in pectore ipſius nata videatur. Cui cautioni locus eſt quandocunque quidpiam infauſtum, & improſperè geſtum domum referri debet; ne ore legati noteſcant aduerſa. Id quod & legatis & nuntijs perſæpe in perniciem vertit; vt legatis Carthaginienſium, qui vltimum vrbis ſuæ fatum ſuis renuntiantes lapidibus à multitudine obruti ſunt. Eodem æſtu iracundiæ Sertorius nuntium interitus

Dio ecl. legat. 404.

Appian. in Mithr.

Liu. lib. 28.

Appian. Liby.

Frontin. ſtrat. lib. 2. cap. 7.

Herculeij pugione traiecit, Tigranes aduentantis Luculli ſuſpendio necauit; Orætes cladis Darij occidi iuſſit, Carreni mortis Iuliani coniectu lapidum obtriuerunt. Memorat Athenæus è Theopompo, Cotyn Thraciæ regem mancipium voluptatis & libidinum, apparato conuiuio, tanquam eſſet illi Minerua nuptura, ebrium expectaſſe deam in thalamo instructo ornatoque. Ea cùm nuſquam appareret, impotem mentis ex haſtatis ſatellitibus quemdam miſiſſe, qui proſpiceret an Dea ad thalamum acceſſiſſet. Reuerſum eum, ac renuntiantem neminem ibi eſſe, ſagittis confeciſſe. Id quod cùm alteri quoque accidiſſet, tertium, qui rem geſtam reſciuerat, cùm ad regem acceſſiſſet, renuntiaſſe deam illum iamdiu opperiri. Nec ſolùm ipſi nuntij talia ſunt paſſi, ſed ſi quis eos excipi oportere dixerit, vt ille quem Ariſtides à viris, vxorem eius à mulieribus obrutam memorat. Contra ij nuntij qui lęta afferebant, coronati incedebant, vt dixi in coronis; ijque quibus datæ fuerant † Ἐπινίκιοι. ἐπιστολαί. Meoquidem animo antiquitas nihil finxit effectius ære nuntiorum, quorum manibus inditæ ſunt Gratiæ. Et verò immane eſt quàm adlubeſcant nuntij, qui, re ancipiti, & ſuſpenſis hominum animis inter ſpem & metum, effundunt lætitiam, lubentiamque qua geſtant onuſtum pectus. Vt verba ordinata, & proſa, & vorſa facundia legati electant ſimile reſponſum, ita ſermo proletarius, & incompta loquentia prouocant reſponſum confuſum & amarum. Nam, vt ait vetus poeta,

Non malè reſpondet, malè enim prior ille rogarat.

Apud Euripidem Agamemnon ait Clytemneſtræ,

† σὺ δ' ἢν ἐρωτᾷς; εἰκότ', εἰκότα κλύεις.

Sæpe quoque ſiniſteritas legati mordaci reſponſo confutanda eſt. Quale fuit illud regis Abderitarum, qui legato locuto plurima, cùm is tandem deſtitiſſet, rogaretque quid ciuitati renuntiaturus eſſet, Te,

Appian. Mithrid. *Herodot. lib. 3.* *Zoſim. li. 3. & Niceph. lib. 10. c. 36.* *Athen. l. 12.* *Ariſtid. Themiſt. 143. 6.* *Quintil. Inſtit. lib. 5. cap. 13.* *Euripid. Iphig. in Aul. 333.* *Plutarch. in Apophth. Lac.*

† victrices epiſtolæ.

† Tu ſi quæ decent interrogaueris, ea quæ te decent audies.

ait, tacenti mihi tam diu obſtrepuiſſe, ac meam partem orationis exequutum eſſe. Homines tam inepti ſæpe dimittuntur abſque vllo reſponſo. *Garrulo reſpondere*, inquit Sidonius, *conuicium eſt*. Quandoque legatis nullum reſponſum datur impulſu iuſtæ indignationis. Quo, opinor, affectu prohibitus eſt Auguſtus quominus legatis Antonij poſt Actiacam victoriam ad ipſum iteratò miſſis quicquam reſponderet; cùm tamen idem Cleopatram reſponſo dignatus eſſet. Ne Lacedæmonij quidem tabellarijs Antiochi, eius qui apud ipſos regnum occupauerat, reſponderunt, ira, vt veriſimile eſt, præpediti. Vitellius quoque legatos Othonis dimiſit ſine reſponſo. Quæ ſilentij ſeueritas facilè excuſatur cùm ab iniurijs legatio miſſa eſt. Conſtantius quidem legatos Magnentij, licet Epiſcopos, nullo alloquio dignatus eſt; quia miſſi erant à victo, & meritò victo, qui æquas pacis conditiones priùs repudiaſſet. Et verò in tali taciturnitate ſæpe plus eſt virium, quàm in reſponſo meditato. huiuſmodi eſt illud

Sid. Apoll. lib. 2. ep. 7.

Zonar. in Aug.

Pauſ. lib. 4.

Zonar. in Oth.

Zonar. in Conſtantino, Conſtante et Conſtantio.

Frangitur in tacito fœmina ſæpe viro.

Propert. l. 2.

Liu. lib. 17.

Memorat Liuius, duodecim coloniarum, quæ, dum Annibal adhuc in Italia viribus floreret, detrectauerant imperium, mentionem fieri patres prohibuiſſe; cùm alias, quæ in fide manebant, honoratiſſimo decreto extuliſſent; neque illarum legatos dimitti, neque retineri, neque appellari à Conſulibus voluiſſe. Ea tacita caſtigatio (verba ſunt Liuij) maximè ex dignitate populi Rom. viſa eſt. Sæpe ſilentium eſt argumentum hæſitationis, metus, trepidationis. Metu obmutuerunt Lacedæmonij; quibus in acie conſiſtentibus cùm caduceator Mardonij mandata edidiſſet, reſponſo diu expectato, neque accepto, ad ſuos regreſſus eſt. Quoties quædam neceſſitate reſponderi debent, quæ eadem regius pudor coram dici prohibet, quia ſunt intimi laniatus audientium, tunc reſponſum non verbo legatis redditur, ſed per

Herodot. lib. 3.

literas aut deſtinata ad id ipſum legatione. Alexander legatis Darij, qui ad ſe cum literis miſſi fuerant, orantibus vti matrem, vxorem, & liberos dimitteret, verbo nullum reſponſum dedit; ſed Therſippum vnà cum literis, quibus reſponſum inditum, ad Perſam miſit. Hic ipſe Alexander Athenienſium legatis gratulantibus de numero, & magnitudine victoriarum eius humaniter reſpondiſſe contentus, ab ciuitate per literas petijt quoſdam ciues ſibi dedi, quibus ſe meritò infenſum putabat. Cùm in reſponſo tantum difficultatis eſt, vt quid reſpondendum ſit nondum conſtet, id tunc quoque conſultè differtur. Diciturque illud miſſum iri per propriam legationem. Antiochus, quia non ſatis in promptu erat quid Epirotarum perplexæ legationi reſponderet, dixit ſe ad eos propediem miſſurum eſſe legatos, qui de ijs quæ ad illos ſeque communiter pertinerent, agerent. Sæpe rebus arduis, reſponſo (qua de re ſupra dixi) additur legatio. *Nec reſponderi tantùm*, inquit Liuius, *ijs gentibus, ſed legatos mitti, duos ad regulum Cincibilem trans Alpeis, tres circa Carnos Iſtroſque & Iaſpidas placuit, qui indicarent quæ patrum ſententia eſſet.* Quandoque, quanquam legatis præſentibus, ſcripto reſponſum datur. Hac ratione à Perſeo dimiſſi ſunt Cn. Seruilius Cepio, Appius Claudius Cento, T. Annius Luſius legati Romani. Loco reſponſi quandoque res ipſæ promuntur. Nempe hac ratione & prudenter & ſcitè illuditur legationibus ineptis, & intempeſtiuis, qualis fuit illa de qua hæc Liuius, *Per id tempus parantibus vtriſque ſe ad prælium legati Tarentini interueniunt denuntiantes Samnitibus Romaniſque vt bellum omitterent. Per vtros ſtetiſſet quominus diſcederetur ab armis, aduerſus eos ſe pro alteris pugnaturos. Ea legatione Papyrius audita, perinde ac motus dictis eorum, cum collega ſe communicaturum reſpondit. Accitoque eo cùm tempus omne in apparatu conſumpſiſſet, colloquutus de re haud dubia, ſignum pugnæ propoſuit.*

Arian. l. 2.

Liu. lib. 36.

Liu. lib. 33. 111.

Liu. lib. 32.

Liu. lib. 9. 536.

Agentibus diuina humanaque quæ aſſolent cùm dimicandum eſt COSS. Tarentini legati occurſare reſponſum expectantes. Quibus Papyrius ait, Auſpicia ſecunda eſſe, Tarentini, pullarius nuntiat. Litatum præterea eſt egregiè. Autoribus Dijs, vt videtis, ad rem agendam proficiſcimur. Huc quoque pertinet illud reſponſum quod his verbis memorat hic ipſe Liuius. *Cùm ad mœnia Satrici admotus eſſet exercitus, legatiſque miſsis ad pacem cum precibus petendam triſte reſpõſum ab Conſule redditum eſſet, niſi præſidio Samnitium interfecto, aut tradito, ne ad ſe remearent, plus ea voce, quàm armis illatis terroris colonis iniectum. Itaque cùm ſubinde exequerentur quærendo à Conſule legati, Quonam ſe pacto paucos & infirmos crederet præſidio tam valido & armato vim allaturos? Ab iiſdem conſilium petere iuſsi quibus autoribus præſidium in vrbem accepiſſent, diſcedunt. Aegreque impetrato vt de ea re conſuli Senatum, reſponſaque ad ſe ferri ſineret, ad ſuos redeunt.* Simile propemodum fuit illud quod Senatus dedit Rhodijs ineptis pacificatoribus. *Tradidere quidam legatos Rhodios nondum miſſos poſt victoriam nuntiatam, velut ad ludibrium ſtolidæ ſuperbiæ in Senatum vocatos eſſe. Legatos ab Rhodijs ad pacem inter Romanos & Perſea faciendam, quòd id bellum graue, atque incommodum Græciæ omni, ſumptuoſum ac damnoſum ipſis Romanis eſſet. Fortunam perbene feciſſe, quando finito aliter bello, gratulandi ſibi de victoria egregia Romanis opportunitatem dediſſet. Reſponſum ab Senatu, Rhodios nec vtilitatum Græciæ, neque cura impenſarum populi Rom. ſed pro Perſeo legationem eam miſiſſe. Nam ſi ea fuiſſet cura quæ ſimularetur, tum mittendos legatos fuiſſe cùm Perſeus in Theſſalia exercitu inducto, per biennium Græcas vrbes alias obſideret, alias denuntiatione armorum terreret. tum nullam pacis ab Rhodijs mentionem factam. Poſtquam ſuperatos ſaltus, tranſgreſſoſque in Macedoniam Romanos audirent, & incluſum teneri Perſea, tunc Rhodios legationem miſiſſe, non ad vllam aliam rem quàm ad Perſea imminenti*

Liu. lib. 9. 539.

Liu. lib. 35. 185. & Polyb. ecl. legat. 154.

nenti periculo eripiendum. Cum hoc reſponſo legati dimiſſi. De hac ipſa inepta, quæque ſe magnis negotijs ridiculè interponit, legatióne alibi loquitur hic ipſe Liuius. *Sub idem tempus Rhody legati in caſtra venerunt cum yſdem de pace mandatis, quæ Romæ ingentem iram patrum excitauere. Multò iniquioribus animis à caſtrenſi conſilio auditi ſunt. Itaque cùm alij præcipites ſine reſponſo agendos caſtris* [locus hic eſt mutilus] *pronuntiauit poſt diem quintum decimum ſe reſponſum daturum. Interim vt appareret quantum pacificantium Rhodiorum autoritas valuiſſet, conſultare de ratione belli gerendi cœpit.* Hoc ipſum illi ipſi Rhodij in Senatu Romano verba facientes agnoſcunt. *Ex ſordido*, inquiunt, *diuerſorio vix mercede recepti, ac prope hoſtium more extra vrbem manere iuſſi, in hoc ſqualore venimus in curiam Romanam.* Et paulo poſt, *Hoc legatos vtroque de pace mittendo conſecuti ſumus, vt ne ab vtraque parte gratiam iniremus; ab altera etiam crimen & periculum eſſet.* Inprimis diligenter cauendum ne reſponſum ſit euidens argumentum alicuius ſiniſteritatis aut nequitiæ illius qui reſpondet. Talis reſponſi ſpecimen eſt apud Strabonem. Leucippus quidam ab Achæis miſſus eſt ad ciuitatem habitandam cum alijs. Is in vſum diei noctiſque locum à Tarentinis acceperat. Quem locum iſtis repoſcentibus, is reſpondebat, ſi ad ſequentem noctem repeterent, ſe redditurum. At noctu repetentes in diem ſequentem differebat, talis reſpõſi vaframento ijs illudens. Reſponſo quandoque additur munus fœdum & ſpurcum, quo lutulatur is cui mittitur. Cardamus dux Bulgarorum barbara temeritate ab Imperio Romano tributum ſibi per legatos petere, intentis minis, non erubuit. Enimuero Conſtantinus, literis ad hunc nebulonem è dignitate ſcriptis, addidit ſtercus equinum, quo tributo eum dignum cenſuit. Poſtremò, non omni reſponſo ſtatim credendum; multoque minus ea temeritas eſt adferenda, inden-

Liu. lib. 34. 168.

Liu. lib. 33. 204.

Strabo li. 6.

Zonar. in Irene & Conſt.

daque ſuis. Nã ſæpe hac techna in fraudem inducuntur improuidi; Quales fuerunt legati Chalcidenſes, *quibus apud Phormionem querentibus de agro ſuo depopulato, is benignè reſpondit. Et nocte qua eos dimiſſurus erat, ſubditis literis, quibus Athenas redire iubebatur, paulùm regreſſus, eos dimiſit. Quibus omnia tuta, & abyſſe Phormionem renuntiantibus, Chalcidenſes, remiſſa vrbis cuſtodia, repente reuerſo Phormione, prohibere inexpectatam vim non potuerunt.* Haud magis ſyncerè Corcyræi. Nam legatis Græciæ reſponderunt, ab ſe contra Xerxem auxilia miſſum iri, cùm tamen longè aliud deſtinarent. Nam claſſis ipſorum, vt fortunæ applicaret ſua conſilia, euentum prælij naualis expectauit. Legatis Carthaginienſium in ipſo exordio tertij belli Punici ab ſenatu reſponſum eſt, ſi trecentos illuſtres pueros obſides tradere intra triginta dies, & quædam alia imperata facere in animum inducere poſſent, & libertatem ciuitati, & quicquid in Africa ſuæ ditionis fecerat, relictum iri. Cùm tamen arcanò conſulibus mandatum eſſet, eam vti euerterent. Sic legati Eugenij miſſi ad Theodoſium comitate reſponſi, alijſque velamentis ſubdolæ humanitatis decepti ſunt. Nam poſt illorum abitum is ſummo conatu bellum geſſit aduerſus Eugenium decepto luctuoſum. E fucatis hiſce reſponſis prodeunt iliades malorum. Legati Romani contenti fallaci reſponſo Iugurthæ, *veluti per id bellum ſoluiſſent, continuò Aphrica exceſſere. Iugurtha vbi de illorum diſceſſu certior eſt factus, multò acriùs quàm antea renouat bellum.*

Frontin. ſtrat. lib. 3. cap. 11.

Herodot. lib. 7.

Appian. in Liby.

Zoſim. li. 4.

Saluſt. Iug.

CAPVT LXXXV.

De renuntiatione legationis.

VT neque magiſtratus ante ſuum annum, nec ſacerdos intra tempus ſacerdotio præfinitum, ſic legatus, niſi renuntiata legatione, deſinere non poteſt. Porrò non alij renuntianda quàm illi ipſi à quo accepta eſt. propemodum vt more militari non alij quàm imperatori nuntiatur factum eſſe quod imperauit. Vlyſſes ille Homericus quid Achilles iracunda mente reſponderit, vni regi retulit. Renuntianda ita eſt, vt ex nuda narratione vt res geſta eſt, ſciri poſſit, non ſicuti ex compoſita fabula ſuſpitiones excitari. Quid odioſius, quidue inflatius Athenione illo, qui cùm Athenienſibus renuntiaret legationem, quam obierat apud Mithridatem, intantum extulit felicitatem regis, inquantum Romani imperij fortunam extenuauit? Etſi enim illa relatio multa falſa multis veris remiſcuit, tamen verbis tam inſolentibus contexta eſt, vt tota pro vana accipi potuerit. Si fucata tam ſunt odioſa, quid merum mendacium quod germinat ex infidelitate? Perfidi legati, inquit Demoſthenes, ſuam Philippo operam locant, ac nihil veri ſuis renuntiant. Ergo hinc omnis oratio mendax excludenda eſt. niſi fortè eam excuſet miſeratio, vt pote ab legato inuentam tuendæ ſaluti ſuæ, aut ſuorum. Quidam cùm ciuitas peſtilentia laboraret, miſſuſque eſſet ad conſulendum oraculum, *reſponſum ei eſt, filium ipſius immolandum eſſe. Ille non aliud nuntiauit ciuitati, quàm ſacra deſiderari. neque alij quàm filio confeſſus eſt.* Credo, veritus exitum Thaſij illius, qui cùm Buſiridi monſtraſſet, immolato hoſpite, venturos imbres, promiſſorum

Quintil. decl. 366.
Tacit. lib. 1.
Iliad. 1.
Athen. lib. 5
Demoſth. de cor. 319.
Quintil. decl. 326.
Hygin. fab. 56.

fidem ipſe immolatus impleuit. Cùm renuntiatio eſt odioſa, & acerba illis quorum legatio eſt, cautè agendum, imitatione Punici aſtus, quo decem Pœnorum principes renuntiarunt Eliſſæ mandata
Iuſtin. li. 18. Hiarbæ regis Mauritanorum, quem memorat Iuſtinus, cuius verba hîc referre non piguit, quia cautæ ſolertiſque renuntiationis exemplum ob oculos ponunt. *Cùm*, inquit, *ſucceſſu rerum florentes Carthaginis opes eſſent, Rex Mauritanorum Hiarbas decem Pœnorum principibus ad ſe accerſitis, Eliſſæ nuptias ſub belli denuntiatione petijt. Quod legati reginæ referre metuentes, Punico cum ea ingenio egerunt, nuntiantes regem aliquem poſcere qui cultiores mores, victuſque eum Afros perdoceat. Sed quemquam inueniri non poſſe, qui ad barbaros & ferarum more viuentes tranſire à conſanguineis velit. Tunc à regina caſtigati, ſi pro ſalute patriæ aſperiorem vitam recuſarent, cui etiam ipſa vita, ſi res exigat, debeatur, regis mandata aperuere, dicentes, quæ præcipiat alijs ipſi facienda eſſe, ſi velit vrbi conſultum eſſe. Hoc dolo capta, diu Acerbæ viri nomine cum multis lachrymis, & lamentatione flebili inuocato, ad poſtremum ituram ſe quò ſua & vrbis fata vocarent, reſpondit. In hoc trium menſium ſumpto ſpatio, pyra in vltima parte vrbis extructa, velut placatura viri manes, inferiaſque ante nuptias miſſura, multas hoſtias cædit, & ſumpto gladio, pyram conſcendit. Atque ita ad populum reſpiciens, ituram ſe ad virum, ſicut præceperant, dixit, vitamque gladio finiuit.* Si negotium, ad quod legatus miſſus eſt, ei ſuccedit ſub manus, caueat ne geſtis in ſuam famam exultet. Potiùs eam laudem ſibi detractam gloriæ principis adponat; eius prouidentiam laudibus extollat; ad eius claritatem omnia referat. Et, ſi talia deſint, eius felicitati adſcribat omne decus rei bene geſtæ. Induſtriam, ex qua nata gloria eſt, conſequitur inuidia, ſi tumidiùs commemoratur. oderuntque merita regnantes, quibus remunerandis impares

exiſtimantur. Georgio, qui à Mauritio imperatore miſſus fuerat ad Choſroem, vitio verſum eſt, quòd quacunque ratione id euenisſet, rex ei plus tribuerat quàm ipſi imperatori, cùm dixit, Perſas id dare Georgio vt ſeruent fœdera, non imperatori Mauritio. Siue hoc, nam vtrumque reſponſum fuiſſe memoratur, Propter legati virtutem ſoluo bellum; Tanquam Perſa plus reponeret in fide legati, quàm in maieſtate principis. Id quod nullus regnantium, quamlibet ingenio modeſtiſſimo, æquo animo ferat. Tunc certè Mauritius, ea re cognita, ſuccenſuit Georgio, cui illa legatio parum proſperè ſucceſſit. Ergo, quod huc pertinet, Demoſthenes prudenter dixit, Neminem eſſe qui nauale prælium ad Salaminem dicat eſſe Themiſtoclis, ſed Athenienſium. Neque pugnam ad Marathonem eſſe Miltiadis, ſed ciuitatis. Nunc autem, inquit, multi hoc dicunt, quod Corcyram cœpit Timotheus, & legionem cecîdit Iphicrates, & ad Naxum nauali prælio victor fuit Chabrias. Nec Agricola, inquit Cornelius Tacitus, *vnquam in ſuam famam geſtis exultauit. Ad autorem & ducem vt miniſter fortunam referebat.* Huc illud referri oportet quod de Agrippa memoratur. Quippe is dicere ſolitus fuit, ſe pugnando non ſibi ſed Cæſari operam dare. Nam ſibi abundè ducebat hoſtes compreſſiſſe, id eſt, eius tanti facinoris conſcientia contentus omni prædicatione abſtinebat. Ratio eſt, quòd plerunq; illi, quorũ opes in excelſo ſunt, neminem volunt ſe ipſis haberi diciue præſtantiorem. Ergo quæcunque pariunt facilem victoriam, hæc ipſi vltro per ſe exequuntur. Difficiliora & ancipitia amicis iniungunt. Quòd ſi quando ſuis miniſtris præclariora coguntur mandare, hæc eorum gloriam fieri id verè ægrè ferunt, inuidiaque ipſos non parum ſollicitari conſtat. Itaque illis autor erat qui ſibi egregiè proſpectum cuperent, vt principem omni moleſtia difficultateque liberarent; ipſique vni omnis rei benè geſtæ laudem integram ſer-

Theophyl. hiſtor. lib. 18.38.

Theophyl. de legat. ad gent. cap. 6. 53.

Demoſth. de rep. ord. 70.

Tacit. Agric. 549.

Dio Auguſto. 52.

uarent. Hæc legatus eò magis memoriæ mandare debet, quo plures reperiuntur ſuarum rerum nimij & inſolentes oſtentatores. Quin potius ei ſum vehemens ſuaſor, vt nullam omittat occaſionem laudandi eius principis, cui ipſe operam præſtat. Ergo pudore, & verecundia autoris magna beneficia efficaciſſimè commendantur; eadem deuenuſtantur oſtentatrice prædicatione. Principi & primoribus ſpatium relinquendum eſt, ſingula in animo otioſè volutandi, donec meritorum magnitudo ſeſe inſerat ſenſibus eorum. Polycratidas quidam Spartanus cum alijs miſſus orator ad duces regios, quærentibus illis vtrum priuatim veniſſent, an publice miſſi? Si impetramus, inquit, publicè, ſin minùs priuatim. Vox hercule digna præclaro ciue, & plena charitatis patriæ. Nam decus rei confectæ ciuitati adſignabat, dedecus repulſæ ſibi. Hac modeſtia non ſolùm colendus eſt princeps, ſed & ipſi legati, ſi duo, pluresue ſunt, ipſi ſe inuicem anteponere debent, & pudore certare, vnde eſt vera gloria. Plutarcho adhuc iuniori, & alij cuipiam data eſt legatio ad Proconſulem. Plutarchus relicto alicubi collega, ſolus legationem obijt, & rem confecit. Domum reuerſus cùm legationem renuntiaturus eſſet, admonitus à patre eſt, vt profecti ſumus diceret, non profectus ſum; neque dixi, ſed diximus; aliáque ſic eloqui tanquam omnia communicantem cum ſuo collegato. Quod is ſibi detractum illi addidit, cumulatius accepit à republica, nempe, ſine vlla cuiuſquam inuidia, bonam famam, qui eſt cumulus magnorum meritorum. Accidit interdum vt vni è legatis datæ ſint partes diligenter obſeruandi quid quiſque è ſuis collegatis in legatione dixerit aut fecerit. Tali re, iſte ſeorſim ab alijs illa refert quæ ſibi ſunt mandata. Et hoc certè peruerſo & peſſimo more. Neque enim talis tantaque ſuſpitio, qua cæteri legati læduntur, aut nimia illa, quę huic in contumeliam aliorum habetur, fides tantum addit ipſi quantum detra-

Plutarch. in Apophth. Lac.

Plutarch. in polit.

Demoſth. de fal. leg.

ſit probitati illorum qui in eandem legationem fuerunt electi. Nam illo ipſo quod ſunt electi, ſatis ſpectata principi cenſetur eſſe ipſorum fides. Ergo princeps omnibus ijs quibus vnam eandemque legationem dat, æqualem ſe præbere debet; ſaltem in ijs quæ vniuſcuiuſque legati fidem & probitatem ſpectant. In renuntiatione apparere debet omnia angulatim & ſingillatim fuiſſe adnotata, non illa tantùm quæ legationi cauſam dederunt, ſed illud, quicquid eſt, in quo nonnullum quod res noſtras reſpiciat momentum eſt. Huius relationis, præter quamplurima quæ ſuis locis dixi, & huc congeri poſſent, exemplum extat apud Liuium. Legati Romani poſtquam redierunt è Macedonia, retulerunt P. C. *vidiſſe ſe per omnes vrbes Macedonum ſumma vi parari bellum. Cum ad regem perueniſſent, per multos dies conueniendi eius poteſtatem non factam. Poſtremò cùm deſperato iam colloquio profecti eſſent, tum demum ſe ex itinere reuocatos, & ad eum introductos eſſe. Et præter inclementiam reſponſi, regem accenſum ira denunciaſſe ſibi vt triduo regni ſui finibus decederent.* Ita ſe profectos, &c. Q. Fabius ab Senatu ad Æquos miſſus, ſicuti viſeret loca ſacra & publica, vt in officinis aduertit expediri machinas bellicas & arma, id quod ex Æquorum ſimulatis verbis ne odorari quidem potuerat, habuit pro comperto, Æquos accingi ad bellum. Et hæc fuit renuntiatio legationis. Cæterùm ipſiſſima verba, quæ plerunque referuntur in oſtentationem memoriæ, ſi non ſunt luculenta, & inſignia, hoc eſt, quæ ſignent res inſignes, & intimos ſenſus loquentis, quæque vt non temerè prolata apparet, ita quoque præ cæteris aduerti debet, ineptiam legati magis quàm curam produnt. Huius generis fuerunt illa quæ Alaricum iaculatum eſſe ſupra memoraui, Spiſſius fœnum faciliùs ſecatur. Huc quoque pertinent habitus, veſtitus, geſtus illorum, quos legatus adijt. Nam hæc omnia perſæpe ſunt magis viuidæ imagines ingeniorum, quàm vlla diligentia verborũ.

Liu. lib. 32. 60.

Dionyſ. lib. 9.

Deniquequà rebus, quà verbis, quà alijs quæ dixi, perducendus eſt princeps aut Senatus in medias res. Qui ab duce exercitus mittuntur ad res hoſtium explorandas, vallum, foſſam, murum, propugnacula, numerum & virtutem propugnatorum, alia munimina, ardua, & decliuia, plana, edita, lata, anguſta, locorum acceſſus & receſſus ex fide referunt. Ad eundem modum legatus, tanquam in tabula, totius negotij initia, proceſſus, exitus ſuis repræſentare debet tanta diligentia, vt nihil vſpiam lateat quod eam effugerit. Certe inter illa quorum Demoſthenes ait à legato rationem repoſci oportere, primo loco conſtituit renuntiationem legationis, hoc eſt diſpiciendum cuiuſmodi ſint illa quæ is renuntiat. Et hic obiter dico, in rebus publicis moris fuiſſe, vt legati è legatione reuerſi, ea expoſita, ſuis rationes redderent, nempe apud eos magiſtratus qui Athenis dicebantur Εὔθυνται. eàdem prope ratione qua duces exercituum prædam ex hoſtibus captam, & quicquid rem pecuniariã reſpiceret, bona fide repræſentare cogebantur. Neque tamen admiror ſuperuacuum laborem illorum, qui quos locos oculis, aut pedibus vſurparunt, & omnia opera artificis naturæ rimabundi minutiùs & ſcrupuloſius adnotarunt. Tenent nomina & culmina montium, lõgitudinem proſpectuum; miracula fontium, formas ferarum, ſpatia camporum, taliaque idonea ſcribendis libris, & oblectandis otioſis, & explendis curioſis; quæ nequaquam eſt finis relationis, ſed tantùm vt inſtruatur princeps, aut Senatus. Eam tamen diligentiam eatenus probo, ſi legatum non interpellat, aut auocat à ſuo munere, ſed inſuper ornat, negotia non retardat, ſed promouet; poſtremò, ſi legatum probat eſſe hominem politicum, non arguit ſcholaſticum. Atque adeò hæc gnaritas ad quaſdam occaſiones ſeponi poteſt. Legatos Arabum, & negotiatores Romanos affirmaſſe Alexandriam abeſſe à littore CXXM. paſſuum, memorat Plinius. Et longius ſita quandoque

Demoſth. de fal. legat. 199.

Plin. lib. 6. cap. 27.

quandoque venit tempus cùm ſcire qualia ſint, ad nos magnopere pertinet. Huius generis fuerunt illa † ὑπομνήματα τῆς ἀποδημίας conſcripta à Megaſthene legato ad Androcotum, & Deimachi ad Allitrochaden eius filium reges Indiæ. Talis propemodum illa relatio eorum legatorum qui renuntiarunt, Abiſarum regem Indicum alere duos angues inuſitatæ magnitudinis. Huc pertinet illa renuntiatio Priſci, quem Theodoſius iunior legauit ad Attilam. *Ingentia*, inquit, *flumina, id eſt Tyſiam, Tibiſiamque, & Driccam tranſeuntes, venimus in locum illum, vbi dudum Vidicula Gothorum fortiſſimus Sarmatarum dolo occubuit. Indeque non longè ad vicum, in quo Rex Attila morabatur, acceſſimus; vicum, inquam, ad inſtar ciuitatis ampliſſimæ. In quo lignea mœnia, ex tabulis nitentibus fabricata reperimus. Quarum compago ita ſolidum mentiebatur, vt vix ab intento poſſet iunctura tabularum comprehendi*, & quæ ſequuntur. Vrbium quoque poſitus, aliaque locorum & regionum deſcribere debēt ij, qui miſſi ſunt ad ea ſpeculanda, noſcendaque; Vt duodecim illi ſpeculatores Hebræi, quos Moſes per Chananæos alium aliâ diſparauit. Talis fuit ille, quem Auguſtus *ituro in Armeniam ad Parthicas, Arabicaſque res maiore filio, ad commentanda omnia in Orientem præmiſit.* Tales milites illi Prætoriani, qui cum Tribuno ab Nerone in Africam miſſi ſunt, inter reliqua bella & Æthiopicum cogitante. Omnino, ſi quis quærat, in qua potiſſimum parte legatum intendere vires ingenij, quid ad ſuos ex peregrinatione referre velim, præter quidē pedē & caput eius negotij, ad quod miſſus eſt, hoc àme auferat; Vt pernoſcat copias illiꝰ imperij, reiuepub. quā adijt, hoc eſt, equitatū, peditatū, robur animorū, vires corporū genꝰ armorū diſciplinā, ærariū, vber ſoli, annonā, opes, inopiā, interiora, exteriora, ingenia, virtutes, vitia; aditus ad prouinciam qui faciles, qui difficiles, vicinas, & conterminas gentes. Talia Araſpes retulit Cyro, omniaq; quæ viderat apud

† commentarij peregrinationis.

Strabo. lib. 2.65.

Strabo. lib. 15.668.

Iornand. de reb. Get.

Plin. lib. 6. cap. 27.

Plin. lib. 6. cap. 29.

Xenoph. lib. 6. Cyrop. & Zonar. in Cyro.

Plutarch. de fort. aut virt. Alex. Aſſyrios. Talia Alexãder adhuc puer, cùm peregre iſſet Philippus pater, ſciſcitatus eſt legatos Perſicos nõ pueriliter de aureo arbuſto, aut hortis penſilibus, aut veſte regia; ſed, nimirũ totus in ea verſus, quibus imperia cenſentur. Quantum copiarum eſſet apud ipſos. In quibus ordinibus Rex, acie inſtructa, prælia miſceret. Quæ viarum compendia eò à mari tendentibus. Quo ætatis admirabili tyrocinio Perſæ vehementer commoti, continuò exclamarunt, Noſtrum regem fatemur opulentum; Sed hic puer, Dij boni! quàm magnus iam ab hinc rex eſt. Hęc, taliaque quiſquis diligenter aduerterit, huic licet ſine vlla ſuſpitione ineptiæ, aut nota ſtultæ curioſitatis illa quæ dixi, perdiſcere, ſuiſque renuntiare, exemplo nõ paucorum legatorum. Ioannes Singellus miſſus à Theophilo Imperatore ad principem Saracenorum non *Zonar. in Theoph.* ob aliud operæpretium, quàm ad oſtentandas opes imperij Romani, poſteaquam ex ea legatione redijt, Imperatori enarrata inclyta magnificentia ædium principis Agarenorum, tantum in eo excitauit æmulæ cupiditatis, vt intra paucos dies par ædificium à ſolo excitatum, & abſolutum ſit. Nempe illa ſuis prudenter referuntur quæ alicubi conſpecta ſunt vt egregia & aduertenda, atque adeò in primis & ſcitu & relatu digna. E' quibus, videlicet, aliquod exemplum ſalutare in noſtra deriuari, & apud noſtros, honeſtiſſima accendi æmulatio poteſt. Huius generis *Plutarch. Pyrrho. 2. 722.* eſt relatio Cyneæ. Quippe cùm is Romæ primores conueniſſet, & in eorum vitas inſpexiſſet, præter cætera retulit Pyrrho, Senatum Romanum ſibi eſſe viſum conſeſſum Deorum. Etſi paulò aliter hoc negotium Eutropius memorat. *Cùm Pyrrhus*, inquit, *quæreret à Cynea legato ſuo, qualem Romam comperiſſet, dixit,* *Eutrop. lib. 2. 219.* *regum ſe patriam vidiſſe.* Scilicet illic omnes eſſe tales, qualis vnus Pyrrhus apud Epeirum & reliquam Græciam putaretur. Poſtremò ſciendum, Renuntiationem legationis, extremis Reipub. temporibus, ſæpe

eſſe ſicuti æquor ſpeculi, in quo perſpicuè licet intueri non ſolùm ingenium legati, ſed, id quod maximum eſt, fidem. Capuani, & Beneuentani cùm à Sultano graui obſidione premerentur, auxilia vterque populus miſit rogatum Conſtantinopolim. Ea cùm legatus à Baſilio imperatore impetraſſet, iterque ad ſuos retexeret, interceptus eſt à Sultano. Qui terrore ac minis extorſit ab legato promiſſum renuntiandi ſuis atrox mendacium, ſpem, ſcilicet, auxilij, qua ſuſtentuntur, eſſe deploratam. Is ergo perductus ad proxima muro loca, ſalute patriæ præſenti exitio prælata, ipſos propediem copias imperatoris ſub oculis habituros, alta & conſtanti voce ſuis firmauit. Ea vix fatus, ſtatim per iram à Saracenis confoſſus eſt. Gemino hoc, tamque euidente ſuæ ſalutis argumento confirmatis obſeſſis, Sultanus poſtridie, obſidione ſoluta, irritus abijt. Simile quiddam de milite quodam Romano Tacitus alicubi memorat. *Zonar. in Baſilio.*

CAPVT LXXXVI.

Quædam alia quæ pertinent ad renuntiationem.

NOn ſolùm hæc tam neceſſaria ſcitu legatus ad ſuos referre debet, ſed & quicquid hinc inde ab ſe libatum patriam iuuare poteſt exemplo, conſilijs, monitis. Legati exterarum gentium, qui Romæ erant tunc cùm agitata eſt honeſtiſſima illa lis inter principem & Rempub. de qua ſupra memoraui, ſeriem iudicij tam inclyti ſcriptis mandatāad ſuos detulerunt; Vt hinc gentes diſcerent, qua, vt ita dicam, intemperantia amãdus ſit bonus princeps. Simulque regnantes intelligerent, quàm pulchrum ſit, cum illis, à quibus ſic amãtur, mutua facere. Huc pertinet mos Romani Senatus, in quo dicitur fuiſſe liber, in quem exterorum præclara dicta referebantur. Huc quoque *In vita M. Antonini.* *M. Aurel.*

traho illa, quibus correctis opus eſt, quæ vel tranſeundo, ac veluti aliud agendo, ab oculo ſagace animaduerti poſſunt. *Legatorum noſtrorum ſuggeſtione comperimus* (verba ſunt regis Italiæ apud Caſſiodorum) *curſuales equos frequenti vſurpatione fatigari;& quos nos neceſſitatibus publicis cupimus cuſtodiri, in vſum cognouimus priuatæ voluntatis adſumi.* & quæ ſequuntur. Renuntiatione legationis etiam contineri debet mentio ſingularis aut humanitatis, quæ legato exhibita eſt, aut earum contumeliarum, quæ in perſona legati Reipub. factæ ſunt. Singula ſuis nominibus ſunt appellanda. Poſthumius & collegati poſtquam Tarento Romam ſunt regreſſi, cùm nullum reſponſum ſibi datum eſſet quod Senatui referrent, pro eo contumelias acceptas ordine iterarunt. In primis, veſtem Poſthumij, vt conſpurcata fuerat, protulerunt. Quanquam in hoc negotio diſcrepant Valerius & Dionyſius. Contra, ſi quid legatis à quopiam benignè factum eſt, nequaquam prætermittendum eſt. *Legati Rom. qui cra. terem aureum, donum Apollini Delphos ferebant, cum à pyratis intercepti Liparas deuecti eſſent, vbi velut publico latrocinio ciuitatis partam prædam diuidere mos erat, Timaſitheus quidam, qui eo anno in ſummo magiſtratu erat, Romanis vir ſimilior quàm ſuis, legatorum nomen, donumque & Deum, cui mitteretur, & doni cauſam veritus ipſe, multitudinem quoque religionis iuſtæ impleuit. Adductoſque in publicum hoſpitium legatos cum præſidio etiam nauium Delphos proſecutus, Romam inde ſoſpites reſtituit. Hoſpitium cum eo S.C. eſt factum; donaque publicè data.* Turpe eſt, plures ex longinqua legatione redeuntes, non modò non eadem, ſed ne ſimilia quidem domum referre. Eſtque argumentum aut ſocordiæ, aut negligentiæ, aut etiam perfidiæ, quoties legati diſſentiunt in ijs, quibus nititur momentum legationis. Hîc verò ſuæ conſcientiæ vulnera palam feciſſe Æſchinem

Caſſiod. Var. lib. 4. ep. 47.

Dionyſ. in excerpt.

Val. Max. lib. 2. cap. 1. Liu. lib. 5.

& Demoſthenem adnotauit Hermogenes, cùm ab vna eademque legatione redeuntes inuicem dona vtrique ab rege data exprobrare non ſunt veriti. Quippe Æſchines obijcit Demoſtheni ipſum ſcripſiſſe apologiam legationis malè obitæ; Demoſthenes Æſchini, ipſum deprehenſum fuiſſe dum aurum [acceptum] fodit. Tam proterua fuit renuntiatio illorum qui miſſu Moſis explorauerunt regiones Chananæorum; cùm duo ex iſtis referrent diuerſiſſima ab ijs quæ memorabantur ab alijs, qui numero erant decem. Et illi quidem duo vera ac diuinis oraculis congruentia loquebantur. Hi contra rerum fidem audaciſſimè pugnabant. Sed haud multò poſt peſtilentia conſumpti ſuæ audaciæ pœnas dederunt. Contra illis duobus veluti præmium ſeruatæ fidei; ſalus data. Liberius ab Iuſtiniano legatus ad Amalaſſuntham, cùm ſuper cæde reginæ rem, vt erat, imperatori retuliſſet, Opilio alter legatus culpam atrociſſimi ſceleris ab Theodahado amouere enixè cœpit, neſcio maiori impudentia an vecordia. Quippe dein de parricidio Iuſtiniano ſatis compertum. Inde enim bellum Gothicum. Cùm renuntiatur legatio, mentio fieri debet aliarum legationum, quas illò miſſas vnde itur, legatus vidit; atque adeò earum rerum, quoad eius fieri poteſt, ad quas miſſæ ſunt. Cæterùm multis legationibus ambiri, argumentum eſt felicitatis. Qua de re videndus Iſocrates in oratione panegyrica, vbi memorat quibus legationibus antiquitus adiri ſoliti eſſent Athenienſes; incipiens à filijs Herculis & ab Adraſto. Rerum ſcriptores adnotarunt, Auguſtum, pace parta, multis multarum gentium legationibus, ijſque maximis ſuper rebus adiri ſolitum, & coli. Eadem propemodum memorantur de Traiano, ac de Antonino Pio, ad quem Indi Bactri, Hircani ab orbe Romano remotiſſimæ gentes, iuſtitia tanti imperatoris comperta, legationes miſerunt. Vbi Xenophon dixit, res Perſarum

Hermog. π. τῶν ςάσ. 70.

Philo de vi. Moſis. 434.

Procop. li. 1. bell. Goth.

Dio. Aug. & Traia.

In excerpt.

Sex. Aug. Vict. in Ant. Pio. 191. 6.

Xenoph. in orat. de Ageſ. 519.

fuiſſe afflictas, Contra, inquit, Ageſilai firmari cœpere. Nam legati ad eum à cunctis nationibus mittebantur, nempe amicitiam eius expetentes. Alexandrum duarum gentium legati centum adierunt. De hac tanta Alexandri felicitate Q. Curt. agens. *Cùm nuntiaretur*, inquit, *legatos ex diuerſis terrarum orbis partibus vndique Babyloniam confluxiſſe, regiſque aduentum expectare, quamuis monentibus Chaldæis vatibus ne eam vrbem ingrederetur, is tamen quò deſtinauerat ire perrexit. Adeò totum orbem nominis eius terror inuaſerat, vt cunctæ gentes velut deſtinato ſibi regi adularentur. Igitur tanquam conuentum vniuerſi orbis acturus Babyloniam peruenire feſtinauit. Quò cùm veniſſet, legatos omnes benignè ſuſceptos domum remiſit.* Cæteris laudibus Stiliconis hæc adnumeratur,

Q. Curt. lib. 9. 163.

Q. Curt. lib. 10. 177.

Claud. de laud. Stil. lib. 2.

Vndique legati properant; generique ſub ore
In tua centenæ aptant præconia voces.

Vt coli frequentia legationum eſt certiſſimum argumentum proſperitatis & rerum ſecundarum, ita quoque principes & Reſpublicas à nemine frequentari, eſt euidentiſſimum ſignum infelicitatis. Nec mirum ſi ob hæc officia ab ijs omiſſa à quibus magna imperia hac ſe ratione coli æquum cenſent, magnopere excandeſcunt. Alexander ei bello quod in Arabas agitabat hanc cauſam prætexuit, quòd ij nullum ad ſe legatum miſiſſent. Nulla quoque legatione honorantur ij quorum eſt inſignis, totoque orbe celebrata improbitas & impuritas. In hanc fermè ſententiam M. Tullius Verri exprobrat, *vnam ſolam ciuitatem Mamertinam publicè legatos, qui eum laudarent, miſiſſe*. Poſtremò mihi monendus eſt legatus, vt ſe è longinqua peregrinatione locupletiorem ac modeſtiorem rediiſſe probet. Ageſilaus ex Aſia victor, pluримiſque rebus geſtis Lacedæmonem rediens omni cultu fidem fecit, ſe nequaquam immutaſſe mores patrios; ſed eâdem illa frugalitate vitam inſtituere qua prius vixerat. Hoc ego legatis etiam atque

Strabo l. 16. 30.

Cic. Verr. 4.

Plutarch. Ageſ. 2. 1107.

etiam imitandum propono. Quippe nimio plures video, quos non tam ſeria atque ardua negotia legationis erudierunt, quàm eius nomen, ſpecieſque infatuauit; tantum ipſis, poſtquam domum redierunt, ſuperbiæ, ſocordiæque adoleuit; ictis, videlicet, eo ſplendore, qui non ſuus, ſed legationis proprius fuit, haud minus ridendi quàm aſinus ille geſtor ſacrorum. Accedit moleſta vanitas, & improba dicacitas; cum hæc ſubinde vanidici homines, vel apud nolentes crebrò effutiunt, Cùm mihi Cæſar hæc dixiſſet; Cùm me Rex conuiuio adhibitum præ cæteris collaudaſſet. Quid multa? Vix iſti cullei memores ſuæ ſortis fieri, & in ordinem cogi poſſunt; adeò dictum ac factum emergunt. Nullos item alios vbique quam de ſe, ſuiſque rebus geſtis rumores ſpargi autumant. Horum ſtoliditatem de ſe loquens graphicè deſcripſit M. Tullius, cùm audiuit illum qui in Campania ſibi obuiam factus erat è Sicilia, vbi Quæſtor res geſſerat, aduenienti. Quippe is Ciceronem ſciſcitatus eſt his verbis, Vbi his diebus fuiſti Cicero? Hoc factum ipſe Cicero ſic memorat, *Verè me Hercules hoc quod dicam. Sic tum exiſtimabam, Nihil homines vnquam Romæ niſi de Quæſtura mea loqui. Frumenti in ſumma caritate maximum numerum miſeram, negotiatoribus comis, mercatoribus iuſtus, municipibus liberalis, ſocijs abſtinens, omnibus etiam viſus in omni officio diligentiſſimus. Excogitati quidam erant à Siculis honores inauditi. Itaque hac ſpe decedebam, vt mihi populum Romanum omnia vltro delaturum putarem. At ego cùm caſu diebus ijs itineris faciendi cauſa decederem è prouincia Puteolos fortè veniſſem, cùm pluriſsimi & lautiſsimi ſolent eſſe in ijs locis, concidi pene, Iudices, cùm ex me quidam quæſiſſet, Quo die Roma exiſſem, & numquid in ea eſſet noui. Cui cum reſpondiſſem, me è prouincia decedere, Etiam me Hercules, vt opinor, ex Africa. Huic ego iam ſtomachans faſtidioſè, Imo ex Sicilia, inquam. Tum quidam, quaſi qui omnia ſciret, Quid, tu neſcis,*

Plutarch. Cic. 3. 1582.

Cic. pro Cn. Plancio. 32.

inquit, hunc Syracuſis Quæſtorem fuiſſe? Quid multa? deſtiti stomachari; & me vnum ex ijs feci qui ad aquas veniſſent. Redeo ad rem, & aio, Quod quiſque dum legatione fungeretur, aut fando audiuit, aut quærẽdo comperit, aut experiendo cognouit, ita, dum narratur, pulchreſcere, & adlubeſcere, ſi non refertur in oſtentationem ingenij, ſed loco, & rogatu ſcire deſiderantium. Quiſquis ita loquitur effugit omnem ſuſpicionem tumoris; ac plura, & maiora ſcire, quàm illa ſunt quæ profert, creditur. Contra quiſquis intempeſtiuè commoda loquitur, huic illud Leonis dici poteſt; Non opportunè opportuno vteris. Poſtremò addo, Renunciationi legationis annumerari poſſe eas omnes literas, quas legatus dum legatione fungitur, dat ad eũ cuius eſt legatio. Itaq; quomodo & vera, & nonniſi prudẽtia legatus ore ſuo referre, ita ingenuè & circumſpectè, vt apud principem, ſingula & ſcribere & renuntiare debet; nec vlla ſtolida, aut verſuta diſſimulatione occultare ea, quæ qualia ſint ſcito opus eſt, etſi quandoque & amara & ingrata. Hippocrates Mindari legatus literas miſerat Lacedæmonem. Hæ cùm fuiſſent interceptæ, Athenas ſunt miſſæ; compertumque eas hoc exemplo fuiſſe ſcriptas, Actum eſt de rebus noſtris. Perijt Mindarus; eſuriunt milites. Quid agendum ſit, neſcimus. Tanta, ſcilicet, eſt talium epiſtolarum efficacitas, vt vel ipſos ignauos aliudque agentes principes à deſidia & voluptatibus ad curam & prouidentiam reuocare poſſit.

Plutarch. in Apophth. Lac.

Xenoph. hiſtor. Græc. lib. I. 335.

CAPVT LXXXVII.

De præmijs quæ reuerſis legatis dantur.

Plutarch. in Apophth.

PRæclarè Cato dixit, iuuentuti auferri ſtudium honoris quoties virtus præmijs viduatur. Quia ea

ea vulgo non habetur virtus, cui non emolumentum & honos ancillantur.

—— aut virtus nomen inane eſt, *Horat. ep. 2.*

Aut decus & pretium rectè petit experiens vir.

Huc accedit, quòd quæ hominibus virtute præſtantibus præmia ſunt, eadem cæteris ſunt exempla; Quæ etſi non faciunt bonos, tamen acuunt induſtrios, torpentes excitant, calefaciant frigidos. Non ergo mirum, ſi cuius rei in ciuitate præmia ſunt, ea nunquam non magnis auctibus creſcit. Cur cenſes Romam extuliſſe ingens caput? Nimirum, quia, pectora per ſe animoſa etiam animabat remuneratio; pariaque erant labor & merces, meritum & præmium. Ipſis bellorum ſimulachris, quòd erant experimenta virtutis, prudens antiquitas adiunxit niceteria. Quid non tribuendum cenſuit veræ? Si in Olympicis certaminibus palma victori datur; Si in Iſthmicis & pugiles, & pancratiaſtæ, & luctatores pinu coronantur, multò maiori merito qui ſtrenuè fortiterque in bello feciſſet, pro concione ab arbitro imperatore laudatus, & corona, nobiliſſimo inſigni, dónatus & adornatus enitebat, *Dio Chryſoſt. orat. 9.* *Ariſt. l b. 7. politic.*

Vt qui fortis erit ſit feliciſſimus idem

Et læti phaleris omnes, & torquibus omnes. *Iuuen. ſat. 16.*

Meritò Carthagine annulorum ornatus pro numero expeditionum, vbi quiſque militaſſet, accipiebatur. Meritò apud Hiſpanos quot quiſque hoſtes neci dediſſet, totidem circa eius ſepulchrum ſtatuebantur columellæ, monimenta toties expertæ, toties probatæ virtutis. Romanorum ducum maieſtati, ob res proſperè geſtas; obuius ſeſe effundebat triumphus ille, quo nihil vnquam mortales oculi viderunt auguſtius. Si virtuti, vt dixi, adumbratæ vera præmia, ſi bellicæ ſolidi honores, ſi imperatoriæ perpetua præconia, & cumulus omnium laudum eſt additus, quid non deberi fateamur fidei, induſtriæ, ſapientiæ legati, qui vniuerſis dormientibus, ea confecit quæ per

acies tentanda, & inſanienti Marti committenda fuerant? Hic deluctando ingentibus ærumnis, dum eius fortitudini nihil eſt inauſum, agmina terrorum excepit, vniuerſorum ſecuritati ſua pericula poſthabuit; regibus ipſis, alijſque ſummis poteſtatibus ingentium rerum aſſertor reſtitit; validiſſimas gentes in conſcientiam ſui perculit; externæ audaciæ oppoſuit ſuam conſtantiam, captionibus artificium, vanitati rem meram, fuco verum decus. Nam hi ſunt triumphi legationis. Quæ ideo verè dici poteſt ſpecimen ingenij, experimentum fidei, cos virtutis, documentum felicitatis. Talis cùm ſit legatio meritiſſimò, quod attinet ad præmia, ipſi conuenit illud ipſum quod de virtute dictum eſt, Nempe ipſam ſibi eſſe præmium. Verba ſunt Plinij ſcribentis Maximo, *Onerat te Quæſturæ tuæ fama, quam ex Bithynia optimam reuexiſti; onerat teſtimonium principis; Onerat tribunatus, præturaque, atque hæc ipſa legatio quaſi præmium data.* Itaque quos hoc munus egregijs dotibus locupletatos aſſerit, quique laudis compotes reuenerunt ad ſuos, horum prudentiam æquum eſt Rempub. ſibi ſeponere vt aureum partum experientiæ; atque adeò ex his oportet conſtare ſenatum, aut illud interius conſilium principis, qui eſt oculus imperij, & præſidium ſecuritatis publicæ. Enimuero parum eſt, lectæ virtutis miſiſſe legatos ad exteras gentes, ac legatione feliciter functos diligenter audiſſe, ſi non inſuper operosè quæſitis locus aſſignatur apud animum principis. Cui legati & alij miniſtri principatus ideo ſeruiunt, vt ipſi nihil deſit eorum, quibus continetur publica quies, & augeri vniuerſorum vtilitates poſſunt. Vt princeps hæc lumina locet in faſtigio rerum, non illis tantùm, ſed publicæ rei, ſed vniuerſis, ſed ſibi tribuat. Denique, cùm legationum is ſit exitus, vt imperium ſiſtant in tuto, eius diuturnitati proſpiciant, pacem ſtabiliant, per quem id Reſpub. conſecuta eſt, quo nihil maius ne voto

Plin. epiſt. lib. 8. ep. ad Max. 276.

quidem mortalitas complecti poteſt, ſi huic ſua virtus eſt amara & infelix, ipſa ſe odit, lacerat, conficit. Eſtque metuendum, ne tales præmia, quæ à ſuis non accipiũt, apud alios quærant; & fidem induſtriamq; ſuam aliò transferant. Quò magis miror non paucos, & quidem excellenti virtute homines, poſtquam è legatione redierunt, ſicuti ære dirutos, eſſe nûllo loco, etiam peiore quàm ſi domi torpuiſſent. Sed, fateor, erraui; qui dixerim mirari me. Quia non miror, cùm iſta ſic fiant, omnia ſic ire. Magis mirum eſſet, cùm homines naui & induſtrij in ſentina relinquantur, non tot naufragia fieri. Tales ego legatos haud ferè minùs maleuolente genio domo profectos dixerim, quàm illos qui ab Scythis ad Zamolxin dæmonem legabantur. Iſti manibus pedibuſque colligatis, in ſublime iactati ſi ſtatim exanimes cadebant, fœda gens numen ſibi propitium autumabat. Si eos Orcus nondum reciperet, in illos quæuis opprobria fingebant. Sic ſalute aut exitio nuntij æſtimabatur felicitas aut infelicitas publica. Cuiuſmodi fuit ſors illorum, qui catharmi, atque pharmaci ſunt dicti. Quibus, cùm immolarentur, hæc ſubinde dici ſolita, † περίψημα ἡμῶν γενοῦ, ἤτοι σωτηρία καὶ ἀπολύτρωσις. Bonorum principum alia ratio eſt, qui, quia non ſunt alienæ virtutis faſtidioſi æſtimatores, nunquam ſibi temperant in ijs honeſtandis, qui Reipub. aut ornamento fuerint, aut ſaluti. Alexander Seuerus, ſi quos ſciret vel nihil petijſſe, vel non tantum quo ſumptus ſuos tolerarent, his accitis, Quid eſt, inquibat, quamobrem nihil petis? An me tibi vis fieri debitorem? Pete, ne priuatus de me querare. Dent quoque hoc ſibi regnantes, vt ſuum iudicium remuneratione commendent. Ne, videlicet, meritò ipſis exprobrentur mala malignæ cuiuſdam cæcitatis, qui eos in honorem legationis elegerint, qui contemptu digni ſint. Cyrus ex iſtis edecumabat duces tam equitatus, quàm peditatus ſui. Ac præterea præſides prouin-

Herodot. lib. 4.

†purgamẽtum noſtrũ ſis, videlicet, ſalus & redemptio.

Lamprid. in Alex. Seu.

Xenoph. lib. 8. Cyrop.

Zonar. in Alex. ciarum, & Satrapas. Alexander Acaphin principem legationis eius, quæ ad ſe ab vrbibus obſeſſis miſſa fuit, regno dignum iudicauit. Triginta Sabinis, propter legationem ad ſuos feliciter obitam, ab Romulo & Tatio, ſupra multa, magnaque munera, perpetuus honor decretus eſt. Nam triginta curijs illarum nomina ſunt indita.

Dionyſ. lib. 2.

Etſi non ſum neſcius, Varronem aliud tradere, atque Dionyſium. Ob exoratum à matronis Coriolanum, *in tantæ rei honorem Senatus ordinem matronarum benigniſſimis decretis adornauit; ſanxitque vt feminis ſemita viri cederent; confeſſus plus ſalutis Reipub. in ſtola, quàm in armis fuiſſe.* eiſque alia præmia addidit, quæ memorat Valerius Maximus.

Val. Max. lib. 5. cap. 2.

Calliæ legato ſuo, ob legationem induſtrie ac feliciter obitam Athenienſes magnos honores habuerunt. Africanus cum alloquitur P. Cornelium Scipionem, *Cùm autem*, inquit, *Carthaginem deleueris, triumphum egeris, Cenſorque fueris, & obieris legatus Ægyptum, Syriam, Aſiam, Græciam, delegere iterum abſens Conſul bellumque maximum conficies, &c.* Inter Decemuiros creati ſunt Sp. Poſthumius Albus, A. Manlius, P. Sulpitius Camerinus, qui Athenas legati miſſi fuerant; vt pro legatione tam longinqua præmio eſſet honos. Id, nimirum, in tribuendis legato præmiis diſpicitur, quàm longinqua legatio fuerit. Nam qui redeunt è longinquis legationibus, inquit Ariſtides, ſunt clariſſimi, maximeque admirabiles. Ratio eſt, quòd hæ ſunt periculoſiores propinquis. E' pluribus legatis Indicis, teſte Strabone, qui miſſi fuerant ad Auguſtum, tres tantum fuerunt ſuperſtites. Et verò ij qui ibant in longinquam legationem antiquitus dicebantur proficiſci ad inferos, vt obſeruaui in coronis. Periculoſæ item legationes propinquis, ac tutis, & negotioſæ otioſis, aut non æquè occupatis antiſtant. Ideo Impp. Diocletianus & Maximianus reſcripſerunt; *tranſmarina legatione apud ſe perfunctos biennij vacationem & one-*

Plutarch. Cym. 2. 890.

Cic. ſomn. Scip.

Liu. lib. 30.

Ariſtid. π. τοῦ παραφθ.

Strabo lib. 15. 667.

L. 3. & 4. C. de legat.

rum habere; non eos qui de proximo obſequium Reipub. vi-
dentur exhibuiſſe. Et verò nihil eſt æquius, quàm mo- *Strabo lib.*
dum præmij reſpondere modo meriti. Selinuſiani *14.*
Artemidoro legato, & viuo auream effigiem in tem-
plo erexerunt, quòd is vectigalia lacus Selinuſij, &
ex eo maximos prouentus, optimique generis fru- *Plin. lib. 18.*
menta, ob craſſiſſimum calamum, vt ait Plinius, à pu- *cap. 7. Plutarch. in*
blicanorum violentia vindicaſſet; & Heracleotim *Polit.*
quæ deſciuerat, recuperaſſet. Meminit Plutarchus *Æſchines*
Ladæ cuiuſdam, cui aut corona data, aut triumphus *in Cteſiph.*
decretus quoties legationem obiret. Et verò Athenis
legati è legatione reuerſi, ſimulatque rationes ad æra-
rium retuliſſent, corona donabantur. Hilarius lega- *Zoſim. lib.*
tus ab Antiochenis ad Theodoſium ex admiratione *4.*
virtutis vniuerſæ Palæſtinæ cum imperio præfectus
eſt. Refert Dio Chryſoſtomus, Apameæ ijs qui lega- *Dio Chry-*
tione functi ſint, publicè honorem haberi; eoſdem- *ſoſt. orat. 51.*
que priuatim ab ſingulis, data dextera excipi. Cùm è *Pauſ. lib. 2.*
ſingulis Græciæ ciuitatibus miſſæ eſſent legationes
ſciſcitatum cauſas & remedia inuſitatæ ſiccitatis, reſ-
ponſumque eſſet, vt Æaco deprecatore vterentur; iſ-
que Græciæ imbres impetraſſet, ſtatuæ legatis Ægi-
næ poſitæ ſunt. Xenocrates, feliciter perfunctus lega- *Diogen.*
tione apud Philippum, à ſuis ciuibus geminato ho- *Laërt. lib. 4.*
nore honeſtatus eſt. Quemadmodum & Theophi- *in Xen.*
lus Indus poſt legationem proſperè obitam apud na- *Niceph. lib.*
tiones orientales. Neque verò ſuperſtitibus tantùm, *9. cap. 18.*
ſed & defunctis legatis, & nomini, ac poſteris ipſorum
præmia decernuntur. Nam ſi funus publicum cura-
tur ijs, qui in bello ceciderunt; ſi liberi ipſorum vſque
ad pubertatem aluntur publico ſumptu; annon eâ-
dem benignitate complectendi videtur qui Reipub.
vitam impenderunt? Carthaginienſes Philenis fratri- *Salluſt. in*
bus aras conſecrauere, quòd Reipub. vitam ſuam *Iug.*
condonauerant. Cn. Octauio miſſo ad Antiochum *Cic. Philip.*
ad necandos elephantos, & incendendas naues An- *9.*
tiochi Eupatoris, qui nepos fuit Antiochi magni,

Laodiceæ interfecto à quodam Leptine, Senatus ſtatuam poni iuſſit quàm oculatiſſimo loco in Roſtris. *Plin. lib. 34. cap. 6.* Hic obiter emendandus Plinius, apud quem, ſicuti apud Zonaram, huic Octauio prænomen eſt Caius, non malè. Sed illud perperam, quòd huic Octauio aſſignat factum Popilij, à quo extemporali audacia Antiochum virgula circumſcriptum ſupra retuli. Neque enim Popilius in legatione interemptus fuit, ſed vtique hic Octauius, miſſus ad Antiochum quidem, ſed non illum cum quo primum Roma bellum geſſit, ſed illo prognatum. Nempe Plinio impoſuit συνωνυμία qui pro filio nominauit patrem, & factum Popilij tribuit Octauio. Ergo quæ ad apud Plinium ita ſcripta ſunt, *ob vnum verbum hic regem Antiochum daturum ſe reſponſum*, & quæ ſequuntur, vſque ad illud, *inuenitur*, expungenda ſunt, & in horum locum *Cic. Philip. 9. & Liu. lib. 4.* ſubſtituenda hiſtoria, quæ eſt apud M. Tullium in Philippica nona, & Appianum Alexandrinum in Syriaca. Quatuor legatis Romanis à Tolumnio interemptis quatuor ſtatuæ in Roſtris ſunt poſitæ. *Quia cùm honor mortuorum ſit poſitus in iudicio viuentium, illis iudicatum eſt æquum eſſe ſtatuam reddi pro vita, & pro* *Plin. lib. 34. cap. 6.* *mortalitate immortalitatē.* Statuæ Tullij Cœlij, L. Roſcij, Sp. Nautij, C. Fulcinij à Fidenatibus in legatione interfectorum Romæ in Roſtris erāt inter antiquiſſimas. Nimirum, id honoris à Romano populo habebatur ijs qui cùm Reipub. cauſa abeſſent, vitam Reipub. impenderant, vt accidit C. Iunio & T. Coruncanio. *Pauſ. lib. 1. Cic. Philip. 9. & Pomp. lib. 2. De orig. iur.* Pari æquitate Athenienſes Antemocrito caduceatori ſuo occiſo à Megarenſibus in via ſacra erexerunt monimentum. In ſententiam M. Tullij factum eſt S. C. quo, Seruio Sulpitio, qui legatus ad Antoniū miſſus, in legatione mortē obierat, *ſtatuam Roſtris Auguſti poſita. Circaque eam locum gladiatoribus, ludiſque liberi poſteríque eius quaquauerſus vt haberent, decretum; quòd is ob Rempub. mortem obyſſet. Eaque cauſa in baſi inſcripta eſt.* Non dubito quin Rhodij grauem caſum

legati ſui manſuro honore proſecuti ſint. Is enim cùm patriæ cauſam in Senatu magna cum admiratione oraſſet, in limine curiæ protinus expirauit progredi volens. Cætera legatorum priuilegia, qualis eſt vacatio biennij à muneribus ciuilibus, & oneribus, prærogatiuæ, ac tituli ſpecioſiores, quibus honeſtantur illi qui abfuerunt Reip. cauſa, eamque peregre miſſi feliciter geſſerunt, de quibus vbertim Iuriſconſulti, & homines impenſè docti, qui de legationibus ſcripſerunt ante me, ſuorumque librorum indagine hanc partem complexi ſunt, inde ſumi poſſunt. Ego nihil quicquam tanti eſſe puto, quod non is mereatur, cui decerno vera præmia, de quibus ago, quæ poſita ſunt in iudicijs hominum, in ore famæ, in præconijs incorruptæ poſteritatis. Quæ omnia magno viro haud magis eripi poſſunt quàm Herculi claua. Cæterum vt virtuti additur honos, ſic ſceleri pœna. Sceleri, inquam, non infelicitati, ne eò ſæuitiæ prolabamur, ob quam Perſæ, Athenienſes, Carthaginienſes duces ſuos re malè geſta, accuſarunt, damnarunt, interfecerunt. Qui mihi ſæuus mos magis ad abolendam rem, quàm ad augendam pertinuiſſe ſemper eſt viſus. Itaque in legato nihil puniri placet niſi dolum, malam mentem, turpitudinem. Atque huc ſpectaſſe actionem malè geſtæ legationis Græcis vſitatam puto. Hac tam iuſta ſeueritate Q. Fabio, ſimul primum magiſtratu abijt, ab C. Martio Tribuno plebis dicta dies eſt, quòd legatus in Gallos, ad quos miſſus erat orator, contra ius gentium pugnaſſet. Sic Seoſes Adraſtaras apud Perſas Salanes à Mabade ſuo collega inſimulatus ea dixiſſe in legatione iniuſſu regis, quæ paci impedimento fuiſſent, capitis damnatus. Et Mithridates de Methrodoro Scepſio, vt ſupra dixi, capite anquiſiuit. Nam cùm ab rege in legatione deſciuiſſet, eum Tigranes inuitum remiſit ad Mithridatem. Et Orobazus legatus Arſacis, quòd Syllæ loco ceſſiſſet, iuſſu regis interfectus eſt. Nempe, tali loco

Plin. lib. 7. cap. 33.

Xenoph. hiſt. Græc. lib. 1. in fi. & Thucyd. pluribus locis & alij.

Quintil. Inſtit. lib. 7. cap. 5.

Liu. lib. 6.

Procop. lib. 1. bel. Perſ.

Plutarch. in Lucullo.

Plutarch. in Sylla.

Strabo lib. 13. 582.

incogitantia legati accipi debuit pro ſiniſteritate, qua maieſtas imperij minuta. Ille quoque Epicrates à Demoſthene memoratus, ob ea quæ in legatione perpetrauerat, capite punitus dicitur. Et hæc quidem in eos legatos conſtituta ſunt qui maioribus delictis tenentur. Id quod etſi quandoquè accidiſſe legimus, tamen & his ipſis qui legationem aliquo dedecore polluerunt ſæpiſſimè parcitur, ſi non ob aliud, certè propter honorem obitæ legationis. In hanc ſententiam Demoſthenes ait, legatos malè adminiſtrata legatione, nec laudari neque in Curiam vocari. Et hoc quoque vſque eò raró accidit, vt ne Timagoræ quidem, quem poſtea populus capite damnauit, euenerit. Ibidem Demoſthenes firmat, malos legatos ita nocere bonis, vt hi propter illorum commiſſa plectantur. Hæc habui quæ de legato & legationis munere ſcriberem, nuſquam ambitioſè, vbique ingenuè, & ex fide earum rerum quas legendo, fortè & experiendo comperi.

Demoſth. de fal. leg. 237.

Demoſth. de fal. leg. 204.

FINIS.

SVMMÆ

SVMMÆ EORVM QVÆ HOC *opere continentur, accurate ſcriptæ.*

Prior numerus caput, alter paginas indicat.

A

IN perſona legati elucere debet Abſtinentia. 30. 144.72.326
Legationes miſſæ ad Accuſandum.64 289
Ciuilibus Actionibus an legatus teneatur.73.329
Actio malè geſtæ legationis. 87.415
Adire,verbum. 49. 231
Legatio ad aliquem miſſa ex Admiratione virtutum eius. 64.286
De Admiſſione legati,& quid in ea aduertendum. 36. 169.
legatio ſit admittenda , necne,quid ſpectandum.41.201
Cuius ſit Admittere legationem.42.210
Forma & ordo Admiſſionis. 43.211
Adoleſcenti quando legatio detur.36.170
Nullus mortalium Adorari debet.37.182
Adulteria imperijs funeſta. 33. 153
Aedes liberæ legatis dantur. 35.168
Ægrotorum cura.35.168
Æneatores.5.18
Æquabilitas.52. 244
Princeps Æqualem ſe præbere debet illis quibus vnam eandemque legationem dat. 85. 399
Æqualitas legatorum. 9.33
Aliqua debet eſſe in mundo Aequitas quæ iuſta cuiuſque noſcat.74.336
In legato ſpectanda Aetas. 18. 85
Ἄγγαροι quales legati.22.110
Ἄγγελος & ἀγγελία. 2.8
Color Albus. 64. 282
Multis legationibus Ambiri. 86. 405
Apologos admittit legatio.55. 253

Araldi.5.18
Arcana cuiuſque imperij. 77. 355.&arcana legationis promere.36.174
Argutia.84.387. Quædam legatorum Argutiæ.66.298
Arietis ſimulachrum. 3. 10
Ἀρητὴρ.2.6
De eo legato qui Armatus incedit,29.139.
Arrogantia legatorum,30.143
Legatio αὐτοκράτωρ. 21.101
An domus legati cuiquam Aſylum eſſe poſſit.76.351
Communium amicorum Autoritas adhibetur inter principes. 22.113

B

BArbaries qua re potiſſimùm prodatur.72.328
Beneficia qua ratione potiſſimùm commendentur, 85.398
Legationes Beneuolentiæ & officij cauſa miſſæ,64.284.
Ioannes Boccacius.13. 55
Breuitas,4.14

C

CAduceatòr,4.12. Horum tria genera, 4. 13.
Caduceum.5.15.&16.
Captiuis datæ legationes. 7.25
Carcer quid,76.352
In Caſtra quando legati admittantur aut non, 42.208
Caueat legatus ne negotia Cauponetur,66.301
Cēſus in legato ſpectandus,15.59
Cerycia,22.113
Ceryx κήρυξ.4.12
Characteres & notæ quæ legato dantur.21.108
Ciuilis ſcientia.15.61
Clandeſtinæ legationes. 29.138
Coloniæ,40.198
Inter quos proprie legationes Commeent.11.41
Quæ hodie vocantur Commiſſiones,13.51
Legationes dantur Comitibus principum,18.88. Comites qui dicantur & horum munus,32.149
Concordia legatorum, 9. 36
Concordiam imperiorum ſtabilire legatus debet,62. 273
Conditio triplex eorum quibus magnitudo Romana præerat,40.198
Cōfœderatorum legationes. 8.28
Admiſſionum & Congreſſionum ſimilitudo,38.184. Congreſſus principum & legatorum,38.185.& 39.191
Quando legatus Conſilium dare, quando accipere poſſit, 62.272. Conſilium.82.381. Le-

gationes per quas Conſilium petitur. 64. 287. Legatorum Conſilia. 64. 288. Legationes miſſæ ad danda Conſilia. 64. 288
Legationes miſſæ ad Conſolandum. 64. 283
Conſtantia legati. 36. 171. 66. 295. Legationes miſſæ ad Conſulendum. 64. 288
Quandoque legatus Contemnitur, 36. 174
Contumelioſe habere legatum eſt lædere ius gentium. 25. 121
Quos legatus in itinere Conuenire debeat. 30. 141. Conuenire aliquem. 49. 231. Illuſtres legationes multæ alicubi Conueniunt. 64. 288
Conuitio excipere legatum eſt lædere ius gentium. 25. 121
Qualem ſe in Conuiuio legatus exhibere debeat, 65. 294. & 66. 295. Conuiuia ad quæ legati vocantur, qualia eſſe debeat, 68. 305
Habeat legatus illud neſcio Quid Cordatum & perſuadens, 15. 63
Corollæ floreæ. 22. 111
Cornu Amaltheæ. 5. 16
Corona legato reuerſo non datur, ſi nondum rationes ad ærarium retulit, 73. 330
Literæ Credentiæ, id eſt, fidei. 21. 107
Legatis non ſemper Credendum. 63. 274
An ob alia Crimina præter læſam maieſtatem plecti legatus, aut eius Comites & familiares poſſint. 75. 341
Cultus quem reges exigunt ab externis legatis. 37. 182
Cupes Cupedia. 35. 167
Curioſitas priuata & principalis, 18. 82. De ea quæ audet introſpicere & ſcire acta principum, 21. 103

D

DAutia, 35. 167
Debitum, 79. 369
Quandoque Decipi expedit 54. 250
Decretis Rom. Senatus inerat neceſſitas. 56. 256
Violatores legationis Deduntur, 26. 131. legationes quæ petunt quempiam ſibi Dedi. 64. 289
Legationes ad Reges aut ad ſummos magiſtratus Deducendos miſſæ. 64. 286
Defunctis legatis præmia decreta. 87. 413
Admiſſa legatio vberiùs audienda Delegatur vni aut duobus. 36. 180
Deliaſtæ, 5. 17
Deſidia perfidioſa. 22. 109
Detinere legatum eſt lædere

ius gentium.25.122
Dextræ elatæ, 22.111
Suæ Dignitatis inſignia ſemper legatus præ ſe ferre debet,8.32. E duabus Dignitatibus maiorem minori præferre. 8.32. Dignitas in eligendo legato ſpectanda. 15.60.17.69. Ita conſulendum alienæ Dignitati, vt non obſimus propriæ. 35. 165. Dignitas legati quandoque regia non inferior, 38.185. legatus & ſemper & vbique Dignitatem præſtet.67.302
De Dilatione admiſſionis.36. 169.& 37.180
Diſcordia legatorũ.9.34.& 37
Diuinæ legationes.10.38
Doctrina quando legatus vtiliter vtatur ac tempeſtiuè.66. 299
Dominatus triplex, & de eo plura.76.344
Domus legati.34.159. Quo reſpectu habenda.76.352 & 353
Dotes ſuas legatus apud eos promere debet quos adijt. 66.299
Duces.2.9

E

Modus Edendæ legationis.44.& ſeqq.216
Effectus legationis.14.57
Electio legati, & in ea quid ſpectandum, id eſt, è quibus legatus Eligatur.1.1. & 5
Eloquentia legati.15.62
Encomium legationis & legati.8.32
Epiſcopis olim datæ legationes.19.91.20.97. Hodie quoque à Pontifice Max.19.91
Legatus ἐπιςολεύς. 21.107. ab Epiſtolis, ſiue à ſecretis.32.151
Equitibus Romanis quando datæ legationes.18.84
Eunuchis datę legationes.20. 98
Ἐυρυβάτης.4.14.
Ἐυθυνταί.85.400
Exarmare legatum eſt lædere ius gentium.25.122.
Quomodo Excipiantur legati & à quibus.35.160
Qua hoſpitalitate Exciperentur legationes eæ quæ Romam venerant.40.197. Mos Excipiendarum legationum.43.211. Tempore belli vbinam legationes exciperentur 42.205
Excludere legatum eſt violare ius gentium.25.124. Excluſio legatorum 42.207. Legatio à principe aut à Senatu Excluſa an debeat adire plebem.44.217.
Excuſatio.30.141
Exercituum legationes ad principem & huius ad Exercitus.13.54
Experientia.15.62

Romæ quinam dicerentur Exteri.40.198
Externa deſiderantur in legato.16,198
Exules legati.7.25. 20. 94. ad Exules miſſæ legationes.13.55

F

QVandoque legato eundi Facultas eſt impetranda, & à quo impetretur. 22.1.3
Falſus legatus, eiuſque pœna. 74.334
Familia legati.34.156.Familiares legati.32.152
Faſtuſolæ ac tumidæ legationes.39.194.& 51.241
Februarius menſis Romæ audiendis legationibus attributus.40.196
Feciales.3 10
Plus vtique repoſitum eſt in Fide legati quam in mandatis.57.258.Fidem ſuam legatus liberet.58. 262. Fidei ſimulachrum.64.282
Per Filios & comites legati legatio perferri poteſt.31.148
Fœdera. Et quomodo ſanciãtur.64.278
Fœminis legationes datæ 20. 94. Aliquot fœminarum enumeratio quæ viris occupatis ſolatio fuerunt. 33. 155
Legatus ne ſit Fœnerator. 66. 300
Formulæ legationum minaces dantur caduceatoribus potiùs quàm legatis. 51. 239
Fors.1.3
Fortunæ ludibria.12.47
Fraudulentis legatis ſua fraus regerenda.29
Fraudulentæ legationes.41. 141
Adiri Frequentia legationum 86. 405
Frugalitas legati.34.158. Summorum quoque principum 43.215.& 68
Fugitiuorum legationes.12 48

G

GEſta & conſummata legatio quando dicatur. 79 369
Græci ſcriptores inuiſores Rom. magnitudinis. 41. 203
Græcoſtaſis.35. 167
Grammaticis datæ legationes. 20. 93
Diſcedenti legato Gratię agũtur.81 380
Gratulatorię legationes. 64. 281.
Legatus Gulo.65. 293

H

HElueticę & Rhæticę legationes in Gallia à qui-

bus excipiantur.43.11
Herculi ſtatuæ erectæ cum Muſis communes.17.78
Hiſtoriam legatus teneat. 15. 62. Fides Polybij & Appiani Alexandrini Græcorum vbi ſuſpecta. 41. 203
Nouo Honore ſæpe honeſtatur is cui legatio datur. 18. 83. Honorem quo legatus habitus eſt princeps continuò reſcire debet. 30. 143. Honor quomodo cuipiam habendus. 35.161. & 163
Hoſpitalitatem violare. 40. 196. de Hoſpitalitate erga legatos omiſſa.30.142. Hoſpitio publico legati excipiuntur.35. 167
Hoſtilis legatio quomodo admittatur & vbi.22. 114. & de legatis Hoſtium.23.115
Hoſtis.23.115

I

Ικετηρίη. 22. 112
Literæ ignorabiles. 21. 108
Illuſtres legationes. 84. 387. 64. 277
Ordo Imperandi multa.53.246
Legatio illi danda qui ſit Impetrabilis, 18. 88
Qui legatum lædit eſt Impius.23.116
Improbo non danda legatio. 18.86
Inæqualitas virtutis legatorum.9.36
Inconſulta dicta & facta legato vitanda.66. 296
Vt legatus ſit Indigena.15 57
Per quos Romæ legationes in Senatum Inducerentur. Et de hoc more 43. 211
Induſtria legati quibus rebus cenſeatur.15. 61. Quantùm legatus licentiam contrahere, tantundem induſtriam extendere debet. 58. 263
Inepta legatio.84.391. Ineptia legato vitanda. 65. 289
Infamia.75.340
Infantes vocati legati.10.97
Legationes Infauſtæ.30.143
Infelicitas legatià quibuſdam gentibus punita.87. 415
In electione legati Ingenij ratio habetur.18. 85
Ingenuitas in legato elucere debet.55. 253
Inquilinis dantur legationes. 15.58
Inſolens inſcriptio literarum. 11. 41. Inſcriptio literarum præſentibus rebus conueniens. 46. 222. Plura de Inſcriptione.51.238
Reges Inſeruientes.40.200
Iocos legatio an admittat. 55. 252
Inſolentia & Impudentia legato vitanda.51. 238. & 242

Inſtitutum & vitæ ratio eius cui legatio datur, attendi debet.19.89
Inſtructio i.mandatum.21.99
Interficere legatum eſt violare ius gentium.25.123.Interdum tamen licite fit. 28. 134
Interpretes occidere eſt violare ius gentium. 25. 123. de Interpretibus eorumq; munere. 49.229
Maior minorem Interrogat. 38.185. legatio incipiens ab Interrogatione. 51. 241. quilibet in Senatu legatos interrogabat ſi quid vellet. 82.380
Legati non ſtatim Intromittuntur.36.169
Irreuerentia.24.119
Irridere legatum eſt violare ius gentium.25.122. Irriſus legatorum punitus.26.126
Iudicum hodierna eademque perpetua poteſtas. 17. 73. An Iudices ſint magiſtratus.76.348
Iumēta legati per oppida imperabant.35.164
Legationes miſſæ ad iurādum & exigendum Iuſiurandū. 64.280
Ecqua in ſuam familiā Iuriſdictio legato data ſit. 76. 350

L

QVibus rationibus Lædantur legati. 24. 119. Quando legati Lædant ius gentium. 27.132. Vſque eò ius gentium proſpicit legatis ne ipſi lædantur, non vt quemquam Lædant.27.132
Lætitia.64.281
Latronum legationes.12.48
Lectus quis dicatur. 1. 1. Legationes miſſæ ad Laudandum.64.282. & 13.49
Laureati nuntij.5.18
Lautitia lautitiæ.35.167
Legatiuum legatis dandum. 73.332
Legationes mutæ. 5.18. Legationem quis inuenerit.6.20. Legationes quandoque iterandæ.6.21. Legatio eſt ſingularis, i. vnus non poteſt obire duas legationes.8.28. inter quos commeent legationes.13.49. Legatio ſimulis curationi alicuius negotij. 13.51. Dare alicui legationē ad aliquā rem quid ſit.13.51. libera legatio.ibid. Legatio collocatur in octaua parte Reipub.14.56. De legatione indignis modis cōcepta. 18.89. Legatio per partem legatorū, aut per aliquem è comitibus perferri poteſt..

& de hac re plura. 31.146. Legatio edi debet ea lingua quæ ijs vernacula eſt quorum eſt. 47.224. Legationis eſt omnimoda libertas.59.264. Legatio ad eum mittẽda cuius legatio principem adijt. 80.374. Quid ſignet principem aut Rempub. nullis legationibus adiri. 86.406 Quandoque non ſtatim mittenda legatio. 7.26. Legati non miſſi. 7.24
Legatus definitur 1.1. Quandoque non ſumitur nomen legati, niſi præſtituto aliquo tempore. 7.26, Tribus rebus cẽſetur legatus. 15.57
Legatus propioribus lineis ſignatus. 18.81. Legati appellatio latiùs extenditur. 20. 97. Anlegatus aduertere debeat ea quæ nihil ad legationem pertinẽt. 61.269. Plures legati ſe inuicem anteponere debent. 85 398
Legato ille ipſe locus debetur, qui illius eſt cuius legatio eſt. 38.186. Locus congredientium. 38 188. Virtute & fortuna eminentior loco quoque eminere debet 39. 192. De loco inter legatos contentio. 39.195. Legatus ſit ſui loci animoſus aſſertor. 67.302. Legationes miſſæ ad ediſcendas tranſcribendaſque leges. 64.286.
Libera legatio. 13.51
Libertas loquendi. 47.225.
Libido legati. 65.290
Limitanei milites 40.198
Linguæ & idiomata gentium. 47.224. Peregrina lingua quando princeps & legatus vtantur. Huius peritia commendabilis. 48.227
Literæ fidei. 21.107. Sæpe Literis tota legatio continetur, ſæpe pars tantùm. 21.99. Literas legati ad ſuos quales par ſit. 86.408
Hodierni quidam literati. 17. 75. Intempeſtiua literarum oſtentatio legato vitanda. 66.297
λόγος. 2.7
Latine Loquendi ius. 47.225
Ludimagiſtri legati. 20.93

M

Maieſtas legationis nulli barbaro faſtui ſubmittenda. 37.182. Maieſtas vnde conſtet. 56. 255. Quatenus liceat legatum peragere reum Maieſtatis. 74.335
Mandata legatus ab nemine accipiat niſi ab illo cuius eſt. 8. 31. An legatus cogi poſſit edere Mandata. 59. 263. Mandata proferuntur ob

ob quinque cauſas. 60.267. An legatus ad ſuos Mandata illius quem adijt, in patriam perferenda licitè accipiat. 80.374. Mandatum non ſcriptū, liberum, captioſum, abſurdum, ineptum, occultum. 21. 101. & 102. Quomodo ſcribi debeat. ibid. An liceat legato ſoluere religionem Mandatorum. 56.255. & 57.257. Libera Mandata. 58.261
Legati Maximi. 64.277
Medicis datæ legationes. 20. 94
Medius locus eſt tutiſſimus & honoratiſſimus. 39.192
Quale Mendacium legatus vitare, cuius item ſubſidio vti poſſit. 54. 250. Mendacium. 78.367
Legationes à Mercatoribus obitæ. 7.24
Mercurius præfectus legationibus, i. legatio eſt ſub tutela huius numinis, & cur. 14.56. Mercurius cur fingatur alatus. 79.371
Miraculum in perſona legati. 8.33. legationes quæ nuntiant Miracula. 64.285
Moderatio legatorum. 30.143. Legato ſectanda potiùs Moderatio, quàm dignitas intempeſtiua. 45.218
Modeſtia legati. 39.195. Legato in ſumma licentia retinenda eſt ſumma Modeſtia. 58.262. Modeſtia eius qui è legatione redijt. 86. 407
Mora legatorum. 77.356. & 79. 372
Moribus ingenuis legatus commendari debet. 45.219. Mores legati 54. 249. Mores omnium ferè gentium hodie cur permixti. 77.359
Multitudo legatorum. 9. 33
Municipales legationes. 8. 28. 13. 49. Municipalibus magiſtratibus ſignificandum eum qui tranſit eſſe legatum. 29.139. & 30. 142
Quale munus legatus accipere poſſit. 30. 144. Dum excipiuntur legati qualia eis Munera mittantur. 35. 167. De muneribus quæ commeant inter imperia. 69. 312 Mutua hoſtium Munera. 70.318. Munera victi ad victorem. ibid. 318. Munera illius qui dubius eſt aut ſuſpectus. 70. 319. Cuius Munera ſint accepta. 70.316. & 320. Quædam Munera loquuntur. 70. 319. Munera diuinis ſimilia, regia. 70. 320. Quædam Munerum cautiones. 71. 322. An ea principum miniſtri legitimè capiāt. 72.325. Per quem

Munera mittantur. 80. 375. Diſcedenti legato Munera dantur, quæ ab ipſo publicè reddi debent. 81. 376
Muſæ & Mars coniunguntur. 17. 71
Mutæ legationes. 5. 18.

N.

NAtales in legatos ſpectantur. 15. 57
Legationes miſſæ ad enodandas rerũ Naturalium quæſtiones. 64. 287
Negligentia legatorum. 22. 109
Nobilitas in legato ſpectatur. 15. 57. Nobilitatis hodiernæ ſtudia. 17. 70
De Nomine legati. 16. 68
Princeps debet Noſſe ſuos. 18. 82
Numerus legatorum. 9. 33
Nuntius & Nuntiatio. 2. 8. ordo & ratio Nuntiandi res funeſtas. 53. 247. Nuntij coronati & adlubentes. 84. 389. Infauſta Nuntiantes malè rem gerunt. 84. 388

O

PVblicè Obærato an legationem dari expediat. 73. 330.
Obſidibus accipiendis ſibi quandoque legatus cauet. 22. 114
Breuitati callidè additur Obſcuritas. 84. 388
Legato Obuiam itur; & de alijs Obuiam itionibus ac de ijs quæ hîc aduerti debent. 35. 160. & ſeqq.
Occultæ legationes 7. 24
Odioſæ legationes. 7. 26
Qui ijs eſt Odioſus quos legatio aditura eſt, ea abſtinere debet. 19. 90. 7. 26
Oeconomi ius, poteſtas & iuriſdictio. 76. 345
Oracula ſunt diuina conſilia. 64. 287
Oratio. 2. 7. Oratio legati qualis eſſe debeat. 51. 238
Orator. 2. 6
Ordinariæ legationes. 77. 353. Monitus quidam ijs aduertendi qui in ordinariam legationem eliguntur. 78. 365
E' quo Ordine eligi legatus debeat. 17. 69. Ordo exponendæ legationis. 67. 303
Ornatus legatorum. 34. 157. & 158
Quænam legatis Oſtendi debeant. 68. 304. & 310
Magnifica Oſtentatio magnitudinis regum & imperantium. 39. 194. & 195

P

Legatio Pacificatoria. 64. 276
Legatio Palam ambulat non occultè.29.137
Palladem antiquitas qualem finxerit.17.70
Paritas regnantium.11.41. Paritas congredientium.38.185
Πάροχοι & παροχὰ.35.164
Qualis Parſimonia legato conueniat.73.332
Paruæ legationes quæ.13.53
Paterpatratus.3.10
Patroni gentium & ciuitatium. 40.197
Pax.64.276
An Perduellionis legato dies dici poſſit. 74. 333
Peregre legatio ire dicitur. 11. 41.12.46.14.56
Legatis cauendum ne degenerent in Peregrinitatem. 34.158
Perſonam legati contumelioſiùs contrectare eſt violare ius gentium. 25. 122. legatus non poteſt ponere Perſonam legati, & induere perſonam amici.62.272
Legato obſeruanda quoties quidpiam Petit.53.246
Franciſcus Petrarcha.13.55
Petrus Ramus.13.53
Legatio φιλάνθρωπος.21.107
Philoſophis legationes datæ. 20.94
Legationes miſſæ ad exequenda officia Pietatis. 64. 284
Piſcatorum quorundam legatio.13.50
Plinij error.87.414
Porci effigies cur fuerit inter ſigna militaria 64.278
Summa imperantium Poteſtas quæ.11.41
Præcones violati.25.124
Prædonum legationes. 12. 48
Mos Præfectorum prouinciarum.61.270
De Præmijs quibus reuerſi legati donantur.87.408. Quædam exempla talium præmiorum 87.409
Quando legatis Præripiatur oratio.50.237
Prærogatiuæ ſedendi.39.191
Legationes Præſidum & Præfectorum prouinciarum. 13. 53
Præſumptio quæ Græcis prolepſis legato vitanda.51.240.
Preces principi offerũtur cõceptis libellis.49.230
Πρεσβευτὴς & πρεσβεὺς. 2. 6
Principis legationes ad ſubiectos. 13. 50. Principum ad priuatos. ibid. 55. Principũ facta prudentes non vidẽt. 21. 105. Princeps in ſua ditione eminentiſſimo

loco eſt.38.186
Princeps legationis. 9.36
Priorem loqui.38.188. & 185
Nullis Priuatis rebus legatus obſtringatur.66 300
Legati quando Priuatim inuitentur & à quibus.66.308
Priuilegia legatorum eis proſunt ex quo tempore creati ſunt.22.109.& de his 87.409
Probitas in legato ſpectandā. 15.63
Legatio Proconſulibus addita.13.49
Prodigo non danda legatio. 73.331
Proditionem legatio ignorat. 29.138. pœna legati Proditoris & quædam alia quæ huc pertinent.74.333.& 338
Tempus Profectionis legati. 22.109
Caueat legatus etſi doctus eſt ne Profiteri videatur.66.297
Promiſſorum fides ſeruanda etiam ab illo cuius eſt legatio.58.262
Προτίκτωρ.43.212
Prouinciales legationes. 13. 49.Prouinciæ. 40.199
Quando legatio Publicè edi debeat.44. 216
Legati non mittuntur vt Pugnent.29.139
Pulchritudo legati.16. 65

Q

Quæſtores hodierni. 17. 73
Quæſtor aduentantibus legatis cur mitti ſolitus.35.164

R

Raritas 71.323
Ratio.15.62
Redeuntibus legatis adduntur legati euntes.80.373.De Reditu legati ad ſuos. 79. 369
Reges fratribus ſuis quandoque legationes dederunt. 18. 88. Ipſi reges & regum filij legatis Rom. obuiam ibant.35. 164. Regia maieſtas quandoque infra dignitatē legati 38.187. Regia inſignia. 11. 44. Regum legationes.43. 211
Legatus ab eo Reijci non poteſt ad quem mittitur.18.89
Rem legatus habeat.15.59
Remuneratio.72.325.87.408
Renunciatio legationis & quicquid ad eam pertinet. 85.395.& 86.399
Reſcribere illi qui legationē miſit, non ſemper ſatis eſt. 80.372
Legatus præ ſe ferat Reſpectū cum dignitate coniunctum.

78.365

Legatus potiùs Reſpondere quàm interrogare debet. 30. 144. Reſponſorum extemporalitas, opportunitas & argutia. 51.243

Quicquid pertinet ad Reſponſa continetur capitibus. 79.81.83.84

An Retineri legatus poſſit. 28. 135

Rhetoribus datæ legationes. 20.93

Legatio non admittit Ridicularia. 55.252

Rixa legatus abſtineat. 78.367

Rom. Pontificis legati. 19.91. 38.186

Ruſticitas 65.290

S

SAcerdotali veneratione legati circumdati. 3.11. Sacerdotibus legationes datæ. 19.90

Legati ſunt Sacri & ſancti. 23. 116. Legatio miſſa ad deluendos ritus Sacrorum. 64. 286. Sacræ legationes. 19.90

Salutaris legatio quæ. 64.277

Salus Reipub. legato ſit ſumma lex. 57.257

Saluus conductus. 22.113

Legationes miſſæ ad homines Sanctitate inſignes. 64.286

Satellitibus legationes datæ. 20. 94. Satellitio qui legati circummœniantur. 35. 168

Sceleſtus legatus punitur. 87. 415

Scribæ hodierni. 17. 76. v. *Secretarius.*

Σκυτάλη 21 108

Secretarij principum. 21. 106. Secretarius legati. 32.151

Securitas legatis à quibus impetretur. 4.12. Eſt enim impetranda. 22. 110. Legationis propria eſt Securitas. 75.341

Seipſum an liceat in legationem eligere. 1.5

Senatus ſub principibus eligebat legatos. 1. 5. & hanc facultatē permittebat maioribus magiſtratibus. 4.15. Senatus legationes & ad Senatum. 13.49. Romæ Senatoribus legationes datæ. 18.84. Senatorum veſtis 64. 282

Legati ſint Seniores ſaltem moribus. 18.85

Sermones legati quales eſſe debeant. 30.144

Sermonis decor. 47.224 & 51. 238. Sermo legati quando interrumpi poſſit. 50.236

Seruis domeſtica iuriſdictio mandata. 76.349

Signis interdum petitur facultas mittendæ legationis. 22. 111

Silentium legati. 36.174. Silentium.85.395.& 398
Simulatio principis.21.99
Legatus intēpeſtiuè Sobrius. 65.293
Socij populi Rom.qui.40.199
Sordes legati,animi pręcipue. 18.86
An Sorte ducantur legati.1.3. Loci dignitas & prærogatiua quandoque Sorti permiſſa.67.302
Species legati.16.64
Legationes miſſæ ad quempiā inuitandum ad Spectacula. 64.286
Speculatores lecti.1.3. Caueat legatus ne videatur Speculator. 29.137. Speculatores miſſi nomine & ſpecie legatorum. 41.204. Speculatoribus deprchēſis ignotum. 41.205. Legati Speculatores.77.359
Splendor legati.34.158
Statuas legatorum contumelioſè habere, eſt ius gentiū lædere.25.122
Stephanus Pugetus, Pomoſij dominus, Triumuir ærarij. 78.364
Literis eſt Subſcribendum.21. 107
Superba dicta legatorum in ipſorum perſonis punita.27, 133.& 134
Summatus imperantium. 11. 41.& 45
Sumptus legato decreti. 35. 164
Suppellex vnde dicta.66.301
Quādoque legati Supplicum more agunt. 45.221. & 46. 222.literæ Supplices.46.223

T

MODESTA Taciturnitas imperatoris Romani. 11.42
An violatori legationis Talio reddi poſſit.28.134
Tarditas præſtandi alicuius officij.64.281
Θεωροί.19.90.& 64.287
Temeritas & feſtinatio quorumdam.21.105
Temulentia.65.290
Teſſeræ.5.18
Titulus cuique pro dignitate attribuendus. 51.237
Turpes legationes.19.92
Aliud eſt eſſe in Tutela alicuius imperij, aliud in ditione, 40.200
Tybicines.5.18

V

VAgari huc illuc legatus non debet.66.300
Venia.54.251
Verbis atrocibus & contumelioſis abſtinendum quoties

res eſt cum legato.24. 119
Legato reddenda eſt ratio ſuorum Verborum. 52.246 à verbis initium ſumitur omnium rerum.50. 235. Ipſiſſima verba illius cuius eſt legatio quandoque referuntur.51.239.4. 15
Verbenaca legati redimiti. 22. 149
Verbenarius.3.11
Veritate legatus niti debet. 54.249
Veſtis legati.34.158.64. 282
Viæ ductor legatis datus. 42. 206
Victis edicitur ne quopiam legationes mittant, aut cuiuſquam excipiant.13.55
Vilibus ac deſpectis non danda legatio.18.86
Quando Violentur legati.23. 115.& 25 121 pœnæ & ſupplicia illorum qui ius gentium violarunt in perſona legati. 26.125.*V.Dedere.* Quomodo ipſi legati Violent ius gentium.27.132
Violatori legationis an talio reddi poſſit.28. 134
Vires corporis in legato ſpectentur. 16.64
Olim ab Senatu mittebantur qui prouincias Viſerent. 41. 204
Corporis vitia in electione legato Vitanda.16. 65
Coram legato vitia gentis quantum poteſt, occuli debent præcipuè in conuiuijs.68.304
Vitis legatorum.22.112
Vltio in violatores legationis. 28.135
Vtilitas.62.273
Vulnera domeſtica legati nunquam nudare debet. 68. 312
An Vxor in legationem duci debeat.33.152

FINIS.

1029516